

Series II. — « ANALECTA OSBM » — Sectio III.  
Серія II. — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » — Секція III.

---

# LITTERAE BASILIANORUM

IN TERRIS UCRAINAE ET BIELARUSJAE

Vol. I: 1601 - 1730

PARAVIT, ADNOTAVIT EDITIONEMQUE CURAVIT

P. ATHANASIVS G. WELYKYJ OSBM

ROMAE 1979

PP. BASILIANI - VIA S. GIOSAFAT, 8 (PIAZZA S. PRISCA)

---

ANNO MDC A TRANSITU S. P. BASILII MAGNI VERTENTE (379 - 1979)

# « ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI »

(Series II)

## Ex Sectione I-ma - « OPERA »:

1. WOJNAR M., OSBM, *De regimine Basilianorum Ruthenorum a Metropolita Josepho Velamin Rutzkyj instauratorum*, Romae 1949, pp. XX - 218.
2. SOLOWIJ M., OSBM, *De reformatione liturgica Heraclii Lisowskyj (1784-1809)*, Romae 1950, pp. XII - 128.
27. BŁAŻEJOWSKYJ D., *De potestate Metropolitanarum Kiowiensium in clerum regularem (1595 - 1805)*, ed. 2, Romae 1973, pag. 196.
33. ПАТРИЛО Іс. І., ЧСБВ, *Джерела і Бібліографія історії Української Церкви*, Рим 1975, ст. 376.

(sequitur)

## Ex Sectione II-a : ANALECTA (periodica-miscel.)

- Vol. I, fasc. 1, 2-3, 4: Romae 1949, 1950, 1953 (pp. 680)
- Vol. II, fasc. 1-2, 3-4: Romae 1954, 1956 (pp. 578)
- Vol. III, fasc. 1-2, 3-4: Romae 1958, 1960 (pp. 640)
- Vol. IV, fasc. 1-2, 3-4: Romae 1963, 1963 (pp. 572)
- Vol. V, fasc. 1-4: Romae 1967. XIV, 420 (reeditio ex s. I)
- Vol. VI, fasc. 1-4: Romae 1967, (XVI, 608) (Josaphatiana)
- Vol. VII, fasc. 1-4: Romae 1971 (pp. X, 572)
- Vol. VIII, fasc. 1-4: Romae 1973 (pp. XII, 492) (Josaphatiana)
- Vol. IX, fasc. 1-4: Romae 1974 (pp. X, 558) (Jubilaria)

(sequitur)

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

SECTIO III

Series II. — « ANALECTA OSBM » — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » - Серія II

---

*Sectio III:*

DOCUMENTA ROMANA ECCLESIAE CATHOLICAE  
IN TERRIS UCRAINAE ET BIELARUSJAE  
CURA PP. BASILIANORUM COLLECTA ET EDITA

---

ACTA BASILIANORUM ETC.

---

LITTERAE BASILIANORUM IN TERRIS UCRAINAE ET BIELARUSJAE  
Vol. I: 1601 - 1730

Collegerunt: A.G. Welykyj - P.B. Pidrutchnyj  
O. S. B. M.

ANNO MDC A TRANSITU S.P. BASILII MAGNI VERTENTE  
(379 - 1979)

R o m a e

Series II. — « ANALECTA OSBM » — Sectio III.  
Серія II. — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » — Секція III.

---

# LITTERAE BASILIANORUM

IN TERRIS UCRAINAE ET BIELARUSJAE

Vol. I: 1601 - 1730

PARAVIT, ADNOTAVIT EDITIONEMQUE CURAVIT

P. ATHANASIUS G. WELYKYJ OSBM

ROMAE 1979

PP. BASILIANI - VIA S. GIOSAFAT, 8 (PIAZZA S. PRISCA)

---

ANNO MDC A TRANSITU S. P. BASILII MAGNI VERTENTE (379 - 1979)

IMPRIMI POTEST

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S,ti Josaphat, die 15. XI. 1978.

P. Isidorus I. PATRYLO, OSBM  
*Protoarchimandrita*

IMPRIMATUR

Romae, e Vicariatu Urbis, die 10. XII. 1978.

JOANNES CANESTRI, *Vicesgerens*  
*Archiep. pus Moteranus*





S. BASILIUS MAGNUS  
ECCLESIAE PATER (379-1979)



CCCLXXIX - MCMLXXIX

ANNO . MDC . VERTENTE  
A . TRANSITU . SANCTI . PATRIS . NOSTRI

BASILII . MAGNI

PATRIS . ECCLESIAE . DOCTORIS . SCRIPTORIS  
VITAE . COENOBITICAE . PROMOTORIS  
MONACHATUS . ORIENTALIS . PATRIARCHAE  
ORDO . BASILIANUS . SANCTI . JOSAPHAT  
IN . TERRIS . UCRAINAE . ET . BIELARUSJAE  
« ACTA . BASILIANORUM » . RECENTIORUM  
IN . MEMORIAM  
DICAT

CURIA GENERALIS



## PRAEFATIO

Anno 1979, die 1 Ianuarii recurrit annus saecularis a Transitu S. Patris Nostri Basilii Magni, qui plurimis Monachis Orientalibus Pater et Patriarcha exstitit eorum vitae religiosae et nomine Protoparentis et Fundatoris colitur in sensu latissimo; imo etiam a Monachis Occidentis veneratur, ut Scriptor religiosus et Magister vitae religiosae communis seu coenobiticae.

Deest locus et tempus, ut tractemus in hac nostra brevissima praefatione de hoc maximo Patre Ecclesiae et Doctore. Alio loco et occasione tempus prostabit de hoc saeculari eventu loquendi et disserendi, de momento et actualitate eius doctrinae in vita Ecclesiae, praesertim vero de eius momento in theologia, sociologia, spiritualitate imprimis religiosa.

Ab ipsis principiis christianitatis in terris Ucrainae et Bielarusjae figura S. Patris Basilii Magni devenit notissima et quasi principalis inter primos Ecclesiae Sanctos Patres, praesertim ob eius momentum in Liturgia et dein in Theologia spirituali. Immo, eius scripta inter prima apparuerunt monumenta litteraria vitae christianae et assidue colebantur ab omnibus, quibus res scriptoria non erat ignota. Illa notissima trias christiana orientalis - tres illi notissimi Sancti: Basilius Magnus, Gregorius Theologus et Johannes Chrysostomus devenerunt etiam vexillum Ecclesiae particularis in terris Ucrainae et Bielarusjae.

Post plurima saecula vitae nationalis et ecclesiasticae prosperae et dolorosae, dum sub finem saeculi XVI-i coepit renovari vita materialis et spiritualis, iterum S. Basilius eiusque doctrina in primo ponuntur loco, praesertim in renovatione status monachalis, qui Ecclesiae renovatae novam praebuit florituram et vigorem, ita, ut Leo Papa XIII in suis Litteris Apostolicis anno 1882 breviter dixit de momento S. Basilii: « Mirifice inter hos vel a primis saeculis effulsit magnus ille Basilius Caesareae in Cappadocia Episcopus, theologus idemque orator cum paucis comparandus, qui non modo ad omnem virtutis laudem ipse contendit, sed ad imitationem sui vocavit plurimos, quos sapientissimis praeceptis institutos ad communem religiosae vitae disciplinae in coenobia congregavit » (« Singulare praesidium »).

Ab initiis saec. XVII, in unum adunata, coepit florere nova Congregatio Vilnensis SS. mae Trinitatis, duce Metropolita Kioviensi Josepho Velamin Rutskyj et exemplo S. Josaphat Kuncevyecz, Archiepiscopo Polocensi. Post dura et tristia tempora saec. XVII perpessa, Congregatio haec efflorere valuit saec. XVIII, quando, medio saeculo, venit aetas s.d. « aurea » cui, quasi immediate, successit periodus dolorosissima destructionis et collapsus saec. XIX; sed mox nova oblata fuit Ordini reviviscentia (ab an. 1882).

*Ideo saec. XVII-XIX historia Ecclesiae Unitae fere sub nomine venit S. Basilii Magni, quando fere omnes Ecclesiae Pastores sub hoc nomine pro Ecclesia militabant.*

*Proinde, vertente hoc saeculari anno a Transitu S.P. Nostri Basilii Magni, « Analecta OSBM » dignum et iustum censuerunt, ut hunc annum memoriae tradant editione Litterarum Basilianorum in terris Ucrainae et Bielarusjæ, ut opere filiorum Pater glorificetur hoc memorabili die.*

*Proinde volumine primo novae huius partis in lucem dantur omnes Litterae Basilianorum Archivorum Romanorum; huic seriei iungimus memoriam omnium harum Litterarum Metropolitanarum et Episcoporum, qui tunc temporis omnes erant ex Ordine Basiliano SS. Trinitatis Vilmensis, quibus adiungimus omnes Litteras, quae a Basilianis subscribuntur, vel individualiter vel collectivae, praesertim a secunda medietate saec. XVII. Omnes vero hae litterae, quae de Basilianis tractant anonimite, remittimus ad volumen, quod dicitur Documenta Basiliana, quodque omnia comprehendit, quae res tractant basilianas, sive de Variis agatur sive de Miscellaneis.*

*Hoc modo laudabitur Pater in Filiis suis, etsi tempore iam sat posteriori, cui intentioni etiam lingua latina contribuere valet.*

*Volumen hoc primum Litterarum Basilianorum Curia Generalis in lucem ponere statuit, ut seriem hanc reseraret, quam aliae Provinciae mox perficient hac eadem vel simili occasione, quae non tam frequenter in historia veniunt. Praesertim dum annus centesimus ab ultima s.d. « reformatione Dobromylensi » Ordinis nostri adveniet (1882-1982). Imo, proximis annis et aliae occasiones venient, ut editioni fontium nostram attentionem vertamus, ut ex. gr. annus Millesimus a baptisate populi ucrainici (988-1988). Nam ex fontibus editis et ipsa historia Populi, Ecclesiae, Ordinis componitur et cognoscitur profundius, unde et sequentes generationes suam conscientiam acquirere possunt.*

*Speramus et nova generatio Basilianorum ex hoc insigni Iubilaeo Basiliano MDC Anniversarii a Transitu S. Patris Nostri Basilii Magni multum pro vita sua et conscientia trahere valeat.*

« ANALECTORUM OSBM » REDACTIO

Romae, 1 Ianuarii 1979

## INTRODUCTIO

Primum volumen nostrum *Literarum Basilianorum* coepimus ab anno 1601, ad annum 1730 perducendo, diversa sorte annorum. Etsi reformatio monastica Rutskiano-Kunceviciana Basilianorum incipit tantummodo anno 1604 tamen Basiliani antiquioris formulae iam antea erant et quidem in ipso vertice Ecclesiae Ruthenae, ab anno 1595 Ecclesiae Catholicae Unitae; erat inter alios Basilianus unus Auctorum Unionis Berestensis — Episcopus Volodimiriensis et ab anno 1600 Metropolita Kioviensis — Hypatius Potij (1593-1613); ab anno 1604 novam formam monachismi profitebatur Josaphat Joannes Kuncevyz (1604-1623); pressius adhuc hanc novam formulam sequebatur Joannes Josephus Rutskyj (ab anno 1607), ab anno 1611 Episcopus Haliciensis, et ab an. 1613 Metropolita Kioviensis, qui anno 1617, in Capitulo Novogrodovicensi etiam formaliter hanc formulam in Metropolia Kioviensi introduxit, unde haec nova formula, renovata et centralizata, vigere coepit in Ecclesia Ruthena Unita. Proinde hanc nostram Collectionem optime ab anno 1601 incoepimus, etsi documenta Basilianorum scripta et quidem lingua latina concepta, tantummodo paucissima sunt, quia tunc temporis commercium epistolare in lingua palaeoslava vel palaeoruthena aut etiam polonica perficiebatur et hoc commercium, quod certe erat, hodie nobis non est accessibile, ob circumstantias territorii et temporis.

Paucis numeris, plus quam bis centum, volumen nostrum primum componitur, et quidem tempore 130 annorum: est res sat exigua, sed debemus considerare supra dicta. Praeterea necesse est in memoriam revocare, quod nos agimus fere exclusive de documentis romanis et quidem novae et juvenis Communitatis, quae erat sub regimine Metropolitanarum et Episcoporum, secundum ius orientale; proinde res maioris momenti, quae ingerentiam Sedis Apostolicae requirerent, ut plurimum in loco, a Metropolitanis Kioviensibus et Episcopis solvebantur, quod spectat Religiosos simplices; respectu Superiorum majorum seu Archimandritarum res ad summum interventum Regis Reipublicae seu Regni vel aliorum Patronorum postulabat, et in hoc solvebatur. Proinde non erat opus Romam recurrendi, dum iuvenis Congregatio non erat adhuc exempta, neque ad tales recursus aptas habuit personas. Proinde usque ad plenam Exemptionem (1686-1743) Ordinis documenta sunt exigua, et ut plurimum a Metropolitanis et Episcopis solvuntur; monachi vero nonnisi suas querelas exprimebant tum Nuntiis Apostolicis Varsaviensibus tum directe Sanctae Sedi seu potius Congregationi de Propaganda Fide. Alia documenta de rebus potius informationis agebant, de sua nempe activitate tum in patria tum extra eius confinia, praesertim Romae, opera Procuratorum in Urbe.

Usque ad annum 1683 fere omnia documenta nostri voluminis sunt potius individualia diversi characteris tum querelarum tum informationum, aliarumque rerum.

Ab anno vero 1683 miscentur etiam documenta collectiva Consultoriorum generalium, quae potius lamentelas Ordinis exprimunt, tempore luctaminum Ordinis cum Metropolitae de forma regiminis; haec documenta multiplicantur et varias tangunt materias. Praeter has materias, potius externas, tertio decennio saec. XVIII incipit et per plurimos annos agitur quaestio depositionis Protoarchimandritae Maximiani Wietrzynski eiusque Consultoris Generalis Firmiani Wolk-Karaczewskij eorumque redintegrationis in officium, nec non consequentiarum huius dolorosi actus monasticae disciplinae (1720-1725).

Post Synodum Zamostianam (1720) incipiunt iam lenta tentamina et conamina ad formandam novam Provinciam Ordinis s.d. Ruthenam seu Polonam, in eparchiis: Leopoliensi, Chelmensi, Peremyliensi, Luceoriensi etc., quae res summum invenit obstaculum in s.d. monasteriis Volhyniensibus, controversis inter utramque partem Ordinis. Iam tertio hoc decennio, anno scilicet 1727-1728, in pleno vigore apparet haec quaestio, cui mox iungitur quaestio Archimandritarum eorumque subiectionis et praecedentiae, quae ambae quaestiones per plura protrahuntur decennia (quaestio Archimandritarum usque ad annum 1756, et decisionem Benedicti XIV « Super familiam »; quaestio monasteriorum controversorum Volhynensium usque fere ad an. 1762). Hoc eodem tertio decennio saec. XVIII, temporibus Protoarchimandritae Antonii Zavadskij, venit etiam quaestio et lis inter Ordinem et P. Augustinum Lubieniecki, de Archimandria Minscensi, quae multum laboris regimini generali Ordinis procuravit.

Haec sunt principaliora momenta documentorum praesentis voluminis.

Huic primo volumini *Litterarum Basilianorum* plures adiunximus adnotationes ad meliorem intelligentiam horum documentorum, quae non sunt ita universaliter nota prout alia volumina nostrae Collectionis. Fere 500 adnotationes, quasi breve compendium historiae Ordinis Basiliani, Lectoribus gratae esse possunt.

Abbreviationes titulorum et nominum etiam sunt universaliter notae et hic non repetuntur, sed ad alia volumina nostrae Collectionis remittuntur.

Sequens volumen iam proxime accedit s.d. periodo « aurea » historiae Basilianorum, in qua documenta collectiva Basilianorum praevalent.

His collectis in primo volumine, haec ad laudem S.P. Nostri Basilii Magni contribuere valent, anno MDC ab eius obitu vertente (379-1979), cui hac occasione Ordo Basilianus S-ti Josaphat monumentum « aere perennius » erigere statuit et quidem omnibus gratum, ut glorificetur Pater in vita et operibus filiorum.

Romae, mense Januario 1979

P. ATHANASTIUS G. WELYKYJ, OSBM

**LITTERAE BASILIANORUM  
IN TERRIS UCRAINAE ET BIELARUSJAE**

**vol. I: 1601-1730**





**LITTERAE BASILIANORUM  
HISTORIAM ECCLESIAE UNITAE IN TERRIS  
UCRAINAE ET BIELARUSJAE SPECTANTES  
(1601-1730)**

---

**1.**

*Ex Russia, 1601-1640.*

Omnes Archiepiscopi et Episcopi Ecclesiae Unitae in terris Ucrainae et Bielarusjae erant Basiliani, sive reformationis Metropolitae Josephi Velamin Rutskyj, sive formae anterioris, proinde eorum litteras hic adducere iustum esse duximus, quorum textus, ut plurimum, invenitur integer in *Litterae Episcoporum Historiam Ucrainae illustrantes*, vol. I: 1601-1640, Romae 1972, nostrae Collectionis. Quia in hoc volumine posuimus omnes litteras non solum Episcoporum Basilianorum, sed etiam aliorum tum Ritus Rutheni tum R. Latini, nec non Cardinalium, opus est selectionis a casu ad casum, quae res est sat facilis. Item in hoc volumine positae sunt litterae Metropolitae Hypatii Potij, etiam monachi Basiliani, etsi anterioris formulae, quae etiam ad eandem seriem pertinent. Ut facilius respectiva documenta inveniantur, videndae sunt Sedes episcopales.<sup>1</sup>

**2.**

*Ex Russia, 1613-1637.*

Eodem modo etiam omnes Metropolitae Kiovienses Catholici erant monachi Basiliani; omnino iustum est, ut etiam eorum Litterae in nostra serie *Litterarum Basilianorum* ponantur. Praeter monachum Hypatium Potij, Episcopum Volodimiriensem et Metropolitam Kioviensem (1593-1613), praesertim Collectio nostra: *Epistolae Metropolitanarum, Archiepiscoporum et Episcoporum*, quae ab *Epistolis Josephi Velamin Rutskyj, Metropolitae Kioviensis Catholici*, Romae 1956, incipit, hic in quaestionem venit, quae ad finem periodi (ad an. 1838) novem constat voluminibus. Metropolitae Kiovienses etiam res Basilianorum cum Sede Apostolica pertractabant, praesertim primi, qui erant

---

<sup>1</sup> WELYKYJ A.G., OSBM, *Litterae Episcoporum historiam Ucrainae illustrantes*, vol. I: 1601-1640, Romae 1972.

etiam Protoarchimandritae seu Superiores Generales Ordinis (1613-1674). Inter litteras Metropolitanarum posuimus etiam epistolas, quae periodum Metropolitanam praecurrebant, imo saepe etiam statum simplicium Monachorum vel Episcoporum comprehendunt. Haec omnia sunt documenta Basilianorum, imo etiam primae classis, et proinde Litteris Basilianorum connumerantur.<sup>2</sup>

## 3.

Vilna, 7.III.1624.

*Littera P. Nicephori, OSBM, ad Alumnos Romanos de missione P. Joannis ad non-Unitos, et de successione Ant. Sielava in Polock.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 337, fol 307rv, 312.

Ex literis P. Nicephori, Ordinis S. Basilii,  
de dato Vilnae in Lituania, Martii 7, 1624.<sup>3</sup>

P. Joannes<sup>4</sup> noster missus fuerat ab Ill.mo Metropolita ad sentinam Schismaticorum, Palatinatum Chioviensem, in quo multis Cosacorum val-lati millibus delitescunt omnes illi Schismaticorum Pseudo-Episcopi;<sup>5</sup> illuc, inquam, missus fuerat ut manendo aliquantis per ibi, et intellecta prius dispositione ipsorum, persuaderet illis ut Schismate relicto, ex quo nullum percipiunt fructum, tot damna, consentient nobiscum acceptando S.m et Oecumenicum Concilium Florentinum, quod ab utraque Ecclesiae celebratum est. Et cum bonus ille Pater longius esset (sic) ibidem immoratus, diutiusque super hoc gravissimo negotio cum illis egisset, et acerrime galeam salutis indutus decertasset, tandem id effecit in durissimis illis pectoribus, ut aperte agnoscentes se suosque habentes Deo et toti Regno in dies reddi ob suam ipsorum audaciam et pertinaciam odiosiores, ad Unionem cum S.R.E. plane procliviores semet ostenderent, dicerentque quod tantummodo velint aliquo honesto modo acquietari. De Articulis Fidei nullam illi faciunt mentionem, etiam nec de primatu Papae, post toto nostro de hoc puncto cum ipsis per libros peracto certamine, quos ab ipsis accessiti iam conscripsimus 6 hoc triennio,<sup>6</sup> sed ad ultimum libellum hucusque nondum responderunt, et ut audivimus respondere non cogitant. Remanere ergo videntur soli respectus humani, qui in hominibus, quibus non est adeo cordi

<sup>2</sup> T. T. HALUŠČYNSKYJ - WELYKYJ A. G., OSBM, *Epistolae Josephi Velamin Rutskyj, Metropolitanae Kioviensis catholici*, vol. 1613-1637, Romae 1956.

<sup>3</sup> Ut nobis videtur, agitur de Nicephoro Zareski (cfr. in nostra collectione: S. Josaphat-Hieromartyr, I, 35). Alumni Romani: R. Korsak et H. Podbereskyj.

<sup>4</sup> P. Joannes, Basilianus; de quonam agitur est nobis ignotum. Textus relationis habetur in *Litterae Episcoporum* vol. I, pag. 97-103, nr. 58, de data 7.IX.1624 et in *Monumenta Ucrainae Historica*, vol. II, pag. 3, nr. 5.

<sup>5</sup> Tunc erant praesertim Hlob Boreckyj, Metropolita non-unitus et Meletius Smotryckyj, Archiep. Polocensis.

<sup>6</sup> Praesertim annis 1621-1623 copiosa erant ex utraque parte scripta polemica; cfr. ex. gr. S.S. SABOL, OSBM, *De Meletio Smotryckyj - polemista anticatholico*, Romae 1951.

salus animae, multum possunt; durum scilicet esse privari se Episcopali titulo et dignitate, qua turbantur hucusque tam strenue. Unde inter Conditiones quas dicti Pseudo-Episcopi ab Episcopis Catholicis exigebant potissima fuerat, ut Episcoporum et titulo gaudere et manere fungi possent. Ad quod P. Joannes respondit: hoc videri impossibile, viventibus Episcopis nostris Catholicis, et bene Dei Gratia valentibus. Ad haec illi: Medium, inquit, huic difficultati occurrendae aptissimum illud est: Vester Unicus Metropolita intituletur Archiepiscopus Chioviensis et Haliciensis; sit noster Haliciensis, vester Chioviensis. Alter ex Vestris dicitur Vlodimiriensis et Brestensis: Sit noster Brestensis, vester Vlodimiriensis, et sic de aliis 20 numero Episcopis multiplicantes. Pro haec illorum urgentiori Instantia cum dictus Pater certi quidquam nec pro, nec contra sibi statuendum merito videret, rem totam ad Ill.mum Metropolitam nostrum et alios Episcopos tractandam seposuit, ac proinde re adhuc infecta ad nos rediit, quaeque inter illum et Antagonistas suos intervenire Ill.mo Metropolita retulit. Erant vero simul praesentes omnes nostri Episcopi Catholici, qui ad Consecrationem successoris B. Patris nostri Josaphat,<sup>7</sup> pro Episcopatu Polocensi, et alterius pro Episcopatu Pinscensi<sup>8</sup> Novogrodecum convenerent. Hoc itaque audito ibidem rei diligentius examinandae seriamnaverunt operam, iusteque sibi et suae Ecclesiae timentes, modum illum suspectum esse iudicarunt.

Ex eo vel maxime, quod utrum ii exigant bona fide vel (f. 307v) soli investigatori cordium Deo notum sit; non levis vero spes esset omnes Ecclesias ad illos solos penitus devolvendas; mortuis enim Episcopis Catholicis ipsorum Coepiscopis, illi in loca eorumdem succederent. Interim non esset alienum a proposito si R.V.ram hanc S.de Propaganda Fide Congregationi proponeret, ut illa super pactis inter nos et illos aliquid certi statuere, et quibus sit standum conditionibus, tum in quo infirmitati illorum condescendum sit, Ill.mo nostro Metropolitae scribere dignetur. Consideretque utrum non expediat literas ad eosdem Pseudo Episcopos Commonitorias scribere, quibus ad S. Concilium Florentinum amplectendi et veritatem Fidei Catholicae agnoscendum moneantur.<sup>9</sup> Quae literae possent ad nostrum Metropolitam dirigi. Sane non exigua spe alimur rem hanc tandem aliquando, Deo iuvante, felicem exitum habituram, et afflictam Patriam nostram tot hactenus iactatam procellis ad portum salutis et

---

<sup>7</sup> Servus Dei et Martyr Josaphat Kuncevytz, Archiepiscopus Polocensis (1617-1623); anno 1643 beatus et an. 1867 sanctus Ecclesiae Catholicae proclamatus; cfr. de eo copiosam bibliographiam ex. gr. M.M. SOLOWIJ - A.G. WELYKYJ, *Sanctus Josaphat Kuncevytz; eius vita et tempora*, pag. 406-437: Conspectus bio et hagiographicus S. Josaphat (1623-1866), Romae-Toronto 1967 (ucrainice).

<sup>8</sup> Pro episcopatu Pinscensi electus est hoc anno Mychalovyč Gregorius (1626-1632).

<sup>9</sup> Agitur tunc temporis de sic dictis colloquiis de patriarchatu Kioviensi, ut medio unionis; cfr. relationem monachi Joannis in *Litterae Episcoporum*, vol. I, pag. 97, et *Monumenta Ucrainae Historica*, vol. II, pag. 3, nr. 5.

sinum verae Matris S.R.E. appulsuram. Praesertim vero Schismaticis ipsis in petenda pace certantibus, et subitanea (ut dicitur) morte e vivis sublato Pseudo Episcopo Polocensi Meletio Smotricio, qui et doctrina, et praxi omnium aliorum praecipuus esse videbatur, librosque aliquot pro suis contra nostros non sine scandalo vulgaret.<sup>10</sup>

Dum has scribo, literae pervenerunt ad nos scriptae ab ipso Polocensi, in locum S. Martyris subrogato Archiepiscopo, a Rev.mo Antonio Sielava,<sup>11</sup> in quibus significat se 14 Februarii proxime elapsi Archiepiscopatus sui possessionem accepisse, atque Urbem Polocensem, praeter omnes Civitatis ordines sibi extra Civitatem occurrentes, maximo quoque cum Nobilium et ipsius Palatini Polocensis comitatu ingressum fuisse. Dominus benedicat introitum eius et exitum eius. Haec nunc scribenda occurrebant. Si quid postea fuerit, non negligam R.V. scribere. Cuius me precibus etc. etc. ....

Literae ex Russia, scriptae ad Ruthenos Collegii Graecorum (f. 312v)<sup>12</sup>

Die 7 Iulii 1624. (f. 312v)

S.mus mandavit R.mo D. Ciampolo ut Breve Hortatorium ad pseudo-metropolitam Russiae eiusque Episcopos schismaticos scribat, quo eis sanctam unionem suadeat.

S.mus mandavit relationem actorum per Patrem Joannem, Monachum S. Basilii Ruthenum unitum, cum Episcopis Schismaticis Ruthenis super eorum unione cum Ecclesia Romana mitti ad Nuntium Poloniae simul cum Brevi hortatorio ad praedictos Schismaticos, ut velint Sanctam amplecti Unionem.

Al Nuntio di Polonia. Che si manda l'inclusa Relatione del trattato fatto dal P. Giovanni, Monaco di S. Basilio, Rutheno unito coli. Vescovi Scismatici, insieme con un Breve hortatorio all'unione, scritto da N.S. alli detti Vescovi Scismatici; S.S. dopo che haverà fatte le debite considerationi sopra questo importante negotio, e preso anche parere da chi le parerà che possa darlo sicuro, mandi il detto Breve al Metrop.<sup>13</sup> significandoli la risoluzione presa a Roma, acciò se ne vaglia se giudicherà che ne possa giovar all'unione.

<sup>10</sup> Agitur de quodam rumore falso, quia hoc tempore Meletius in Orientem profectus est, et mortuus est tantummodo anno 1633.

<sup>11</sup> Antonius Sielava, Archiepiscopus Polocensis (1624-1655), dein Metropolita Kioviensis (1640-1655).

<sup>12</sup> In Collegio Graecorum tunc studuerunt Hadrianus Podbereskyj, qui anno 1624 in itinere in patriam obiit et Raphael Korsak, Protoarchimandrita, episcopus Haliciensis, Pinscensis, Coadiutor Metropolitae et dein et ipse Metropolita Kioviensis, qui obiit in Urbe an. 1640, in Augusto; cfr. *Annus et dies mortis R. Korsak, Metrop. Kiovien.*, in « *Analecta OSBM* », vol. I, pag. 145-160, ser. II.

<sup>13</sup> Breve aliquod, ut videtur, missum fuit, sed nobis ignotum et in nostra Collectione: *Documenta Pontif. Romanorum* deest.

## 4.

(Ante 31.V.1624)

*Relatio de Valachia et Moldavia manu metr. Rutskyj, ut nobis videtur, exarata: De Basilianis et Seminario, ut remediis iuvandi regionem.*

APF, *Scr. rif. n. Congr. Generali*, vol. 219, fol. 181rv-182rv. - Aliud exemplar: fol. 180rv.

## De rebus et statu Valachiae et Moldaviae.

Valachia et Moldavia sunt duo principatus maximi et abundantissimi, quorum uterque Princeps est tributarius Turcarum. In hos principatus nullus potest mitti a Turcis nisi christianus, isque Ritus Graeci, alioquin ex templo arma sumunt et ut est gens satis bellicosa strenue resistunt Imperatori Turcarum, alienigenam vel alterius fidei in Principem illis conferre volenti. Quod scientes Turcae et experientia docti nunquam illis in hoc vim inferunt. Nam et Gratianus,<sup>14</sup> penultimus Valachiae Princeps, cum esset Romani Ritus, iterum a schismaticis chrysmatus est, vel ut alii ferunt (quod minus probabile est) baptisatus, significans per hoc se recepisse Ritus Graecum, sine quo non poterat consequi illud dominium. Ex quo patet, quam sint tenaces Valachi rituum suorum et quam sint male affecti erga Sanctam Romanam Ecclesiam. Omnes enim sunt schismatici.

In his principatibus Episcopi possunt esse Valachi, Moldavi, Ruteni et Graeci, licet hi diverso idiomate in Sacris utantur. Ipsi vero Valachi et Moldavi eadem lingua utuntur in Sacris cum Ruthenis, vetusta scilicet et nunc iam tantum litterali lingua illyrica, seu ut ipsi volunt Ruthenica antiqua.<sup>15</sup> Sunt tamen aliquot inibi monasteria, in quibus Graeci monachi degunt, in aliis monasteriis Valachi, Moldavi et Ruteni permixti habitant. Ita enim Valachi Rutenis convivunt, ut etiam in Russia non modo monasteria ingrediantur, sed etiam in Archimandritas seu in Abbates Rutenorum eligantur.

In tota Valachia et Moldavia nullae scholae et consequenter nullae scientiae reperiuntur. Ut proinde maxima ignorantia teneantur eorum Episcopi, qui in extrinseca tantum pompa et vestium episcopalium, quibus in Sacris utuntur, ornamentis episcopale officium constituunt, et vix aliqui illorum legere bene sciunt. Iam qualis sit clerus illorum facile colligere licet. Et primo quidem monachi simplicissimi sunt, qui tantum nomine S. Basilii gaudent, et multi ex illis neque quisnam fuerit primus fundator eorum, sciunt. Clerici vero saeculares seu parochi omnes sunt uxorati secundum Ritus Graecum et magis agriculturae, quam rebus Sacris aut litteris intenti, quos certum est non esse doctiores suis Episcopis. Unde consequens est, non modo illos decenter Sacramenta administrare non posse, sed etiam

<sup>14</sup> Forsan agitur de Gasparo Gratiani, principe Moldaviae (1619-1620).

<sup>15</sup> Ut postea dicebatur s.d. palaeoslava, quae usque ad nostra tempora in usu erat in Ecclesia Ruthena.

periculum esse, ne formas Sacramentorum ignorantes vel corrumpentes illa penitus invalida reddant.

Quattuor ergo mala sunt, quae immaniter depopulantur dictos principatus:

1 - um. Est schisma iam inveteratum, et multis erroribus contra fidem Catholicam refertum, maxime ex conversatione cum recentioribus Graecis.

2 - um. Est maxima ignorantia Pastorum, ita ut, a quibusdam bonae fidei relatum sit, diebus festis in ecclesiis Valachorum senatorem illorum principalem, vel concionem ad populum habere, vel aliquid ex libro sacro praelegere.

3 - um. Est extrema penuria operariorum, adeo ut vere nullus sit, qui frangere Panem S. Evangelii tantae nationi possit.

4 - um. Denique, quia nullus est in Orbe Christianorum principum, qui his populis iuvandis vel leniter manum admoveret, atque animabus illorum lucrandis eleemosynae nomine aliquid in illos conferret.

#### REMEDIA

1<sup>o</sup>. Ut Valachi et Moldavi per Rutenos convertantur ad fidem Catholicam. Ratio est, quia per nullum Latinorum iuvari possunt, cum enim sint addicti proprio Ritui, ut dictum est, magnam habent aversionem a Latinis. Cum Rutenis autem Unitis Ritus quoad omnia habent eosdem, iisdem libris et eadem lingua in Sacris utuntur.

2<sup>o</sup>. Modus convertendi tali via faciendus est. Unire primo Episcopos cum S.R.E. Isti consecrabunt sacerdotes, celebrabunt synodos. Talibus Episcopis dum obediunt praesbyteri, licet non sciant distincte omnia pertinentia ad fidem, habentur pro Unitis et sunt revera Uniti, quos et plebs dum sequitur est unita. Satis nam est in plebe, si nihil contrarium fidei et Unioni teneant. Episcopi tamen, in quantum fieri potest, sint docti, scientes distincte omnia.

3<sup>o</sup>. Episcopi tales procurabunt Clerum sibi similem, hoc est, intime unitum. Et quia clerus honoratior constat ex regularibus, qui sunt monachi tantum S. Basilii,<sup>16</sup> non ex Saecularibus, qui sunt coniugati et ex antiqua consuetudine Ecclesiae Orientalis non tantum ab Episcopatu, sed etiam ab omnibus praelaturis ecclesiasticis excluduntur. Monachi ergo S. Basilii bene formandi sunt in disciplina religiosa et fide catholica, qui instituent scholas, iuventutem in fide et studiis formabunt.

4<sup>o</sup>. Ut bene formetur dicta Religio, non assumendi sunt antiquiores Religiosi, sed novi conquirendi, qui sunt tabulae rasae, in quibus inscribi possit quodlibet, etiamsi diutius expectandum sit antequam maturescant.

---

<sup>16</sup> Iam tunc temporis Monachi Basiliani s.d. « reformationis Rutskianae » in Bielarussa (in regione lithuana) sat diffusi erant et quasi semper ex illis episcopi deligebantur pro Ecclesia Ruthena, quod postea usu et iure venit saec. XVII-XVIII.

5<sup>o</sup>. Ut talis Religio sit numerosa, necessarium est Seminarium, ex quo tam Religio dicta S. Basilii impleri, et in magnum numerum operariorum excrescere possit, quam etiam saeculares Valachi et Moldavi nobiles praesertim, qui S. Unionem in suis subditis promoveant, et Schismaticis sua potentia ne noceant obsistant. Prodiret etiam Clerus saecularis ex eodem Seminario Valachico.

6<sup>o</sup>. Ubi numerosa erit Religio,<sup>17</sup> facile occupare possunt in Valachia et Moldavia omnia monasteria, in quibus nunc sunt Schismatici, et ex his monasteriis missiones fieri possunt ad omnem viciniam, et sic informari ac instrui possunt sacerdotes coniugati, qui pauperculas provisiones habent, et ipsi simplicissimi sunt. Per tales etiam Religiosos Episcopi possunt visitare suas dioeceses, et multa alia bona facere ad utilitatem animarum, nunc caeco impetu ad inferos ruentium. Et hoc etiam ordine in Russia proceditur magno bono illius, nisi quod ibi Seminarium non sit.

7<sup>o</sup>. Ubi possit erigi hoc Seminarium, videtur esse difficultas. Non enim in Valachia, quia ut uno verbo complectamur omnia: Valachia sedes est schismaticorum, et in ditione Turchica, ut proinde nullus sit ibi Seminario catholico locus. Neque vero in Italia, quia multi ex illa gente tam viarum longitudine, quam expensarum magnitudine deterrentur, et si forte venirent aliqui, ii certe ut plurimum essent homines vagabundi, qui raro perseverare possent. Deinde semper essent suspecti Latinae fidei apud suae gentis homines simplicissimos et inter quos nullus Latinorum est; suspecti inquam essent cum Latinis tanto tempore practicantes, et sic forte perderent creditum, quod esset maximum impedimentum ad praedicationem fidei Catholicae. Praeterera non essent practici in suis caeremoniis, immo desuerent a Ritu Graeco. Praxis vero in Sacris Ritibus maxime commendat hominem Ritus Graeci et auctoritatem comparat apud populum ac animos plebis mirabiliter demeretur, qui tantum extrinseca admirantur.

Commodissimum itaque locum esse videtur pro dicto Seminario in Russia<sup>18</sup>, in qua omnes Episcopi Ritus Graeci sunt, Dei gratia, Catholici, et pro defensione S. Sedis Apostolicae iam sanguinem una cum vita profunderunt Ruteni tam ex Episcopali ordine, quam ex Monastico et Clero saeculari. Esset ergo hoc Seminarium, in civitate et Regno Catholico. Iuvenes Valachi et Moldavi educarentur in fide catholica, catholicorum conversatione et exemplis gaudentes, catholicis Pastoribus subiecti, sed et Seminarii Rectores catholicos eosque Rutenos habentes. Nam cura principa-

<sup>17</sup> Monachi Basiliani catholici paucissimi erant in hac regione, et solummodo saec. XVIII diffundi coeperunt.

<sup>18</sup> Seminarium in Russia fundandum incipit tantummodo a Synodo Kobrynensi, et sortem habuit sat miseram, ob rationes politicas et circumstantias religiosas; eius existentia erat proinde fere casualis, et solummodo annis 1652-1657 quoddam Seminarium existebat sub ductu P. Benedicti Terleckyj; cfr. documenta huius temporis in praesenti volumine « *Litterarum Basilianorum* ».

lis Seminarii demandari posset Metropolitae Russiae, qui constitueret in illo Superiores Monachos Ordinis S. Basilii Unitos cum S.R.E., qui iuvenes Rutenos etiam secundum vocationem suam instituunt in scholis. Instituerentur ergo Valachi a dictis Monachis simul in pietate et litteris, ab illis addicerent linguam literalem Rutenam, qua in Sacris utuntur, quibus ita est necessaria dicta lingua pro Sacris Ritibus, sicut Latina illis qui sunt in Ritu Latino. In hac etiam Biblia et SS. Patres fere omnes Graecos et antiquiores Latinos translatos habent, et cum citatur Sacra Scriptura vel Concilia vel SS. Patres in hac lingua textus affertur. Unde eandem linguam Sacram vocant. Ab Rutenis addiscent caeremonias et imbent zelum fidei ad schisma radicatum evellendum et disseminandam fidem catholicam, vel ipso exemplo Rutenorum. Eadem enim etiam crudelitas schismatis saeviebat in Russia per tot anteacta annorum curricula. Denique ipsi Ruteni conversando cum Valachis et Moldavis addicerent linguam ipsorum vulgarem, et ita facilius eos iuvare poterunt.

(fol. 182) 8<sup>o</sup>. Et ut summam omnia ex Seminario praedicto manantia commoda colligamus, Alumni illius Seminarii, existentes sub cura Monachorum Rutenorum, fient multi Religiosi Ordinis S. Basilii in Russia inter eosdem Unitos Monachos; hi in vita monastica bene educati mittentur in Valachiam, ubi intrabunt in monasteria Valachiae principaliora, introducent simul cum fide Catholica observantiam religiosam secundum Regulas S. Basilii, a quibus monasteria minus principalia eandem, vel invitis monachis, disciplinam, ex dependentia quam habent a monasteriis principalioribus acceptare cogentur. Hi iidem Alumni, quoniam essent doctiores aliis Monachis, sine dubio vacante Sede Episcopali in pastores assumerentur. Alii vero ex illo Seminario, consecrati ab Episcopis Rutenis in Clericos saeculares, mitterentur in parochias Valachiae, qui proinde exemplo suo et doctrina reformarent clericos illius loci et totam plebem. Prohibent etiam ex hoc Seminario Saeculares Valachi et Moldavi, qui ad sua remeabunt, et ut doctiores aliis ad dignitates saeculares promovebuntur, secumque subditos suos ad fidem Catholicam trahent.

(fol. 182v. *Manu Ingoli*): Relatio Valachiae et Moldaviae<sup>19</sup>.

1<sup>o</sup>. Nella Valachia e Moldavia sono tutti scismatici di Rito Greco.

2<sup>o</sup>. Non vi sono schole, perciò li Vescovi e Monachi di S. Basilio e preti secolari ammgliati sono ignorantissimi e la principal cura di Vescovi consiste in vestir bene.

3<sup>o</sup>. Nelle cose sacre usano la lingua illirica antica, che anche dicono Rutena, poco intesa dalla plebe.

---

<sup>19</sup> Secretarius Congregationis de Prop. Fide, Franciscus Ingoli (1622-1648) attente curabat diffusionem operis missionalis in Europa et in toto mundo; proinde saepe similia documenta commentabat et clarius exponebat, ad captum omnium.



4<sup>o</sup> La lingua loro vulgare è mista d'italiana e Rutena.

5<sup>o</sup>. Sono tributarii del Turco e da quello hanno li loro Principi, e questi sempre di Rito Greco e Schismatici, non potendo il Turco porvi altra sorte di gente a governarli.

*Modi per convertirli:*

1<sup>o</sup>. Essendo nemicissimi al nome latino, è necessario di servirsi de Ruteni uniti, che hanno li medesimi riti, e usano la lingua medesima nelle cose sacre.

2<sup>o</sup>. Se si facesse il Seminario in Russia, si potrebbero allevare da Monachi di S. Basilio uniti giovani Valachi e Moldavi, li quali poi instrutti e ben dotti sarebbero eletti vescovi e diventerebbero parocchi e si farebbono Monachi di S. Basilio, e così potrebbero instruir poi gl'altri de loro monasteri, et in questo modo si convertirebbe la plebe, la quale seguita sempre li suoi Vescovi e parochi, e li dotti Monachi di S. Basilio, delli quali anche s'eligono li Vescovi.

Die 31 Maii 1624. Idem Cardinalis Zolleranus<sup>20</sup> recitavit Vallachiae relationem, et quia negotium ad erectionem Seminarii Ruthenorum redigebatur, Sanctissimus iussit expectari litteras Nuntii Poloniae, ad quem Sacra Congregatio de huiusmodi negotio scripserat.

## 5.

Roma, 1626.

*Opinio P. Nicolai Nowak, OSBM, Procuratoris in Urbe, de Missali Rutheno et de Ritu Rutheno.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 337, fol. 386rv.

Illustrissime ac Rev.dissime Domine.

Liturgia haec Sancti Joannis Chrisostomi Graecolatina convenit in omnibus cum nostra sclavonica; hoc tantum in nostris Missalibus est, quod ponimus nomen Pontificis in duobus locis Missae, quod Diaconus alta voce decantat, et Metropolita dum celebrat, ad differentiam Schismaticorum, qui pro Patriarchis schismaticis Deum orant, et ut nomen Pontificis, hactenus apud Ruthenos peregrinum et odiosum, fiat commune et amabile. Regis nostri Sigismundi nomen ponimus et Reginae Constantiae. Primum facimus ratione praescripti, licet pluribus modis sumus obligati. Secundum vero facimus ratione beneficiorum, quae Religio nostra percepit a Serenissima Regina, quae inter caetera comparavit ad ecclesiam nostram SS.ae Trinitatis,

---

<sup>20</sup> Forsan agitur de Itelio Friderico a Zollern, germano, qui promotus fuit cardinalis 11.I.1621, sed obiit extra Curiam Romanam iam 19.IX.1625; hic, ut videtur, partem habuit in sessionibus Congregationis de Prop. Fide.

valde pulchra et preciosa ornamenta pro duobus sacerdotibus et pro duobus Diaconis; cuiusmodi in nulla ecclesia Vilnae inveniuntur. Evangelium etiam et Epistola hic non ponuntur, quia in Ritu Graeco est separatim; liber Evangeliorum iacet continuo in altari, a nullo tangitur, nisi a Sacerdote et Diacono. Liber Epistolarum pertinet ad chorum, quia Epistolam in nostro Ritu potest saecularis legere. Antiphonae, quia singulis diebus sunt aliae et potius pertinent ad chorum, ideo in Missali non ponuntur. Caetera omnia secundum Sanctum Chrisostomum sunt posita.<sup>21</sup>

Rev.dissimae D. Tuae

Servus et Cliens

NICOLAUS

*Ord. S. Basilii*<sup>22</sup>

(f. 391v) Il Padre Nicolò Rutheno afferma d'aver confrontata la Liturgia Illyrica della sua chiesa con la greco-latina di San Giovanni Chrisostomo, et haver trovato che la Illyrica concorda con la Greca de verbo ad verbum, eccetto nell'infrascritti passi:

Primo, che le parole della consecratione del Pane sono trasferite come la latina, dicendosi: hoc est Corpus meum, e non come la Greca: hoc meum est corpus, perchè dice che un Calvinista fondava la sua opinione nelle parole della Greca, inducendo, che Christo non ad sapientes intendens, sed ad Corpus suum, protulit illa verba, e che perciò la Greca dice: hoc meum est corpus, e non: hoc est corpus meum.

Secondo, che nella Liturgia Illyrica si prega per il Papa e per il Re e per la Regina di Polonia, il che non si fa nella Greca.

Avverte anche il detto Padre Nicolò, che nella Greca, e nella sua Illyrica, vi è una difficoltà considerabile, ed è, che post consecratum, il Sacerdote torna a pregar, che il Pane si faccia Corpo, et il Vino si faccia Sangue di Christo, pur sono già fatti in virtù della precedente consecratione.<sup>23</sup>

Avvertisce di più l'Ingoli, che la Greca dice: hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur, in remissionem peccatorum, e l'Evangelio dice, quod pro vobis traditur in remissionem peccatorum. E quella parola: frangit, pare che riguardi più il pane, che il corpo di Christo, perchè quello non fuit fractum, ne si frangi col pane, essendo il corpo di Christo sotto

<sup>21</sup> P. Nicolaus Novak, OSBM, tunc iam Procurator in Urbe, partem habuit in laboribus liturgicis Propagandae, praesertim quoad Liturgiam sclavonicam, cuius editio tunc attente parabatur. P. Nicolaus optime Liturgiam Ruthenam commentabat, ut ex his litteris patet.

<sup>22</sup> P. Nicolaus Novak, Procurator Basilianorum in Urbe, missus a Metropolita Josepho Velamin Rutskyj iam anno 1626; in variis monasteriis Romanis vivebat, et obiit, ut videtur, anno 1633. Cfr. A.G. WELYKYJ, OSBM, *Procuratores negotiorum Ecclesiae Ruthenae in Urbe...* II. *Primus Procurator...* P. Nicolaus Novak, *Basilianus: 1626-1633*, in « *Analecta OSBM* » vol. I, pag. 62-78.

<sup>23</sup> Agitur de s.d. « epiklesi », quae in Missalibus etiam catholicis erat usque ad ultima tempora.

le specie Sacramentali in modo così ineffabile, che, come dice S. Thomaso nella sequentia della Messa del Corpus Domini, non frangitur res, sed tantum Signum, e Santa Chiesa nella lettione degl'Atti della passione di S. Andrea, scritta dal Clero d'Achaia, dice: ego Omnipotenti Deo, qui unus, et verus est, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari, cuius carnem posteaque omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat, et vivus.

(f. 391) Poterunt interrogari peritiores Graeci, ut R. mus Cariophilus et D. Petrus Arcudius, nam isti facile habebunt suas explicationes, quod mihi persuadeo, qua in examine Rituum Graecorum facto a Clem. 8º, anno 1597, non invenitur aliquid annotatum circa huiusmodi difficultates. In Lithurgia Sancti Joannis Chrisostomi translata a Maronitis in linguam Chaldaicam detur: fac panem hunc praeciosum corpus Christi etc.; curabo hanc legitimam translationem Chaldaicam eamque mittam ad S. Officium; posset etiam fieri aliqua diligentia, ut habeatur (?) Armena a Collegio S. Mariae Aegiptiacae Armenorum, ad faciendam confrontationem.

## 6.

(Roma, 23.III.1629)

*Missio P. Methodii Terleckyj in Slavoniam et Croatiam ad Uskokos et relatio de hac missione, minuta et chronologica, de difficultatibus et periculis, de fructu et necessitate, nec non de aliis multis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Generali*, vol. 219, fol. 189-193r.

*Relatio de hominibus Ritus Graeci in Regno Sclavoniae et Croatiae, sub Sacra Caesarea Maiestate in confinibus Turcarum existentibus.*

Metropolita Russiae S.R. Ecclesiae arctissime unitus,<sup>24</sup> audiens reperiri in dictionibus S. Caesareae Maiestatis multa millia hominum Ritus Graeci, linguae ferme eiusdem cum Ruthenis, sed ob defectum magnum spiritualium et crassam ignorantiam illorum, praeter consuetum schisma, multis praeterea aliis erroribus, non solum haereticis, sed etiam ethnicis involutos teneri. Audiensque plures Religiosos, praesertim ex Ordine S. Francisci, in conversione illorum multum laborasse, nihilominus tamen, ob ritus discrepantiam (cuius illi summopere sunt tenaces) nihil profecisse. Ideo iuvandos esse censuit homines illos per Religiosos Ruthenos S. Romanae Ecclesiae Unitos, ac in ritu et libris ecclesiasticis (cum illis convenientes), proponens hoc me-

---

<sup>24</sup> Josephus Velamin Rutskyj, Metropolita Kioviensis (1613-1637); cfr. *Epistolae Josephi Velamin Rutskyj, Metropolitanae Kioviensis catholici*, Romae 1956, cum brevi praefatione et bibliographia nec non adnotationibus historicis.

dium Nuntio Apostolico manenti penes S. Caesaream Maiestatem, studio hac de re scribens ad illum et scire desiderans, an id placeret S.C. Maiestati.

Libentissime igitur Nuntius Apostolicus pium Metropolitanæ animi affectum acceptans, egit de hoc negotio cum Augustissimo Imperatore, qui gratum sibi id ducens, et medium Metropolitanæ ad iuvandos homines illos probans, me Methodium Terlecki,<sup>25</sup> Ordinis S. Basilii Magni presbyterum, euntem ad limina SS. Apostolorum divertere ad illas Regiones iussit ad investigandas populi illius conditiones et modos iuvandi illos, muniens me literis, quibus mei securitatem Generalibus et Capitaneis suis diligenter commendabat, (*fol. 189v*) quo facilius omnibus exploratis S. Congregationi de Prop. Fide et deinde eidem S. Caesareæ Maiestati referre possem.

Munitus igitur Caesareis litteris, veni Krizium ad Capitaneum, qui ad mandatum sui Generalis, adhibitis militibus ad mei securitatem, ob pericula a Turcis et ab ipsis Valachis, me deducere iussit, eo quo vellem. Idem fecerunt et alii Capitanei, qui me muniebant militibus. Quare, Deo favente, perveni securus ad homines illos, qui duplici de causa nomine duplici vocitantur. Primo enim vocantur Wlasi seu Valachi, quia antequam Turca Illyricis Regnis potiretur, videbantur originem duxisse ex Valachia, et habitasse in Regnis Serbiæ, Bulgariae, Bosnae, Dalmatiae mediterraneae, Rasciae seu Herzegovinae et caeteris adiacentibus regnis. Tandem occupatis regionibus illis a Turcis, excusso iugo ipsorum, sese recepisse (adiuti ab Imperatoribus) in partes christianorum; et ob hoc vocantur secundo nomine Uskoci (idest transfugae), sive translati, quia videlicet se transtulerunt in partes Imperatoris. Alii quidem temporibus Ferdinandi primi Imperatoris,<sup>26</sup> ante centum ferme annos, venientes in has partes et occupantes terras desertas domicilia sua fixerunt in Capitaneatu Zumbergensis, inter montes penes Carinthiam et Carniolam.

Alii vero venientes diversis subsequentibus temporibus ad fines Regni Sclavoniae, dispositi fuerunt in tres Capitaneatus, videlicet Copronicensem, Krizoviensem et Jvanicensem. Denique ultimi, recenter venientes in Regnum Croatiae, constituerunt duos Capitaneatus Goimeriensem et Oguliensem. Dicti omnes Capitaneatus sunt confines Regnis Turcarum, occupantes spatium terrae fere per ducenta milliaria italica, in numero hominum multa millia attingentium. Exceptis enim domibus et personis manentibus in ipsis ferme duo millia familiarum numerantur in illis. Unde magno terrori esse possent, non solis Turcis, quos vel illi soli facili negotio a finibus S. Caesareæ Maiestatis arcent, sed etiam ipsis Catholicis ob fidei disparitatem et morum corruptionem, ac nullam conscientiae curam ex nimio defectu suorum Spiritualium. Ideo neque nunc perfecte illis (*fol. 190*) creditur a Catholicis.

Nihilominus, ob auxilia magna, quae Caesareæ Maiestati praestare solent,

---

<sup>25</sup> Methodius Terleckyj, Basilianus, missionarius, dein episcopus Chelmenensis (1630-1648); cfr eius Litteras in *Litterae Episcoporum*, vol. I-II, Romae 1972-1973.

<sup>26</sup> Ferdinandus I, Imperator S. Romani Imperii (1556-1564).

propellentes Turcas ab incursionibus in partes christianorum, praeter stipendia ordinaria a Caesarea Maiestate, quae singulis mensibus percipiunt, gaudent magnis libertatibus et privilegiis a diversis Imperatoribus ipsis concessis. Et quamvis, emergente necessitate, conscribunt plura millia boni militis ad mandatum Imperatoris. Krizio itaque ulterius pergens ad confinia Turcica eiusdem Capitaneatus (casu omittens Capitaneatum Copronicensem) substiti in oppido Rovisciensi, ubi multos primarios inveni dictorum Valachorum, quos ipsi vocant Woievodas, sive Palatinos, qui eo convenerant ad nuptias celebrandas, quae tunc in aliquot locis habebantur, et volens videre illorum ceremonias, quibus utuntur sacerdotes ipsorum assistentes matrimoniis, accessi ad ecclesiam. In qua praeter desolationem magnam dictae ecclesiae, in ipsis ceremoniis vidi res adeo confusas et corruptas, ut in multis gentilicare viderentur. Et idem vidi in Missae Sacrificio, in quo inter caetera adorabant simplicem panem nondum consecratum, ideoque non soli Saeculares, sed etiam ipsi Sacerdotes. Nam dum more graecorum ex minori Altari ad maius Altare panis ad consecrandum praeparatus a Sacerdote deferebatur, dabatur signum parvae campanae, quale dari solet in elevatione ipsa. Quo illi audito procidebant in terram adorantes illum panem. Contra vero in ipsa consecratione et elevatione stabant erecti tamquam statuae, nullum signum adorationis facientes, etiam ipsi spirituales, tenentes in capite pro more Turcarum pileos, quod processit ex ignorantia formae consecrationis corporis Christi, uti animadverti.

Finitis ceremoniis in ecclesia, a supra dictis Woievodis per triduum fui invitatus ad prandia, quam nactus occasionem investigavi ipsorum errores et illos in praesentia confutavi, ut contrarios Ecclesiae Orientali, ex quo illi agnoscentes me Graecis ritibus addictum, eorumque peritum libenter me loquentem audiverunt, acceptantes ea, quae illis circa fidem Catholicam (*fol. 190v*) et contra vitia erroresque proposui cum fructu multorum. Praesertim dum seniculus unus Sacerdos, in praesentia omnium, nomine suo et aliorum me rogabat, ut illos docerem tam fidem quam ceremonias ecclesiasticas, fatendo quod ob defectum librorum atque scholarum, illas omnino ignorent. Item alter e medio illorum satis grandaenus protestatus est coram omnibus, quod relicta domo et familia vellet mecum ire in Russiam, ad dandam operam studiis statum spiritualem concernentibus. Facta igitur in illos bona dispositione, quantum per angustias temporis licuit, excipiebam multorum confessiones et praescribens sacerdotibus formam absolutionis, quam ignorabant, perrexi ad reliquos Capitaneatus.

Perveniens ad Capitaneatum Jvanicensem, descendi ad Episcopum dictorum Valachorum, nomine Simeonem Vratana, fere iam octogenarium, habitantem in monasterio silvae unius dictae Marcze, cum decem calogieris sive monachis, inter quos tres solummodo erant sacerdotes, reliqui vero omnes laici, homines rudes et simplices, cum quibus miscendo sermones de rebus spiritualibus (res enim fidei minime capiebant) demonstravi ipsorum miseriae illismet ipsis quas patiuntur, tam ex parte corporis, quam ex parte

animae, in quibus id effeci, ut magno desiderio tenerentur sanae doctrinae a me percipiendae penitius, quam ob causam aliquot ex illis, relicto sene illo, volebant mecum ire in Russiam, nisi id denegassem, propter incommoda, quae inde sequerentur. Dictus Episcopus Simeon, temporibus Pauli V P. M. fuit Romae, eique reddidit obedientiam. Propter nimiam tamen ruditatem et ignorantiam in qua versatur, nullum fructum fecit in illis hominibus, permittendo cuilibet illorum fidei libertatem. Atque ideo sacerdotes, qui illi subsunt, orant Deum in publicis orationibus pro episcopis schismaticis sub Turca manentibus. Alii vero cum nullo episcopo habentes notitiam, habitante in Turcia, orant Deum pro episcopis defunctis, precantes ut illos Deus diu bene sanos conservet. Simeoni vero adhaerentes (*fol. 191*) pauci inveniuntur, tum ob Unionem, quam inivit cum S.R.E., tum ob alia odia domestica. Contracta notitia cum dicto Episcopo Simeone, descendi cum ipso ad ecclesiam, in qua nullum vidi ordinem, nulla vasa sacra, nullas vestes decentes ad divina peragenda et si quae huiusmodi fuerunt, illa valde vilia et putrida et quod maius est, portatile altare, quod parvo pretio comparari solet, vidi nimis antiquum et ob sui antiquitatem valde dubium, cum nec signum exstaret in illo, a quonam episcopo consecratum fuerit, quod tamen diligenter observatur apud graecos. Easdem desolationes, imo multo maiores in aliis dictorum Valachorum ecclesiis vidi, siquidem in multis, nec imagines ullae, neque alia ornamenta ecclesiastica reperiuntur; ideo die noctuque ianuis patentibus manent non obseratae, nihilominus Divina in illis peraguntur cum magna offensa Divinae Maiestatis; quare ut facerem aliquod discrimen inter ecclesias illorum et calvinistarum, imagines in charta depictas, quas penes habui curavi in illis appendi, effecique ut noctu clauderentur. Tandem cum viderem Episcopum illum mihi non bene affectum, eo quod metueret, ne a me extruderetur ex Episcopatu, videns affectum bonum omnium erga me, discessi ab ipso versus Croatiam ad Uskokos antiquos, quos uti et priores inveni multis, imo pluribus et gravioribus involutos erroribus, ita ut omni penitus auxilio spirituali destituti, misere omnes pereant. Nam ob simplicitatem sacerdotum, vix ipsum baptismi sacramentum apud ipsos non periclitatur. Inter dictos sacerdotes ipsorum inveni unum, qui nefas esse dicebat sacerdotem excipientem confessiones aliorum, sua alteri peccata confiteri et sic ex quo factus est sacerdos a viginti quatuor annis, nec quidem semel est confessus. Inveni et alterum, qui ante octo annos, a quodam pseudoepiscopo vagabundo, nomine Epiphanio, puer presbyter factus, vix nunc agit vigesimum annum, rudis adeo, ut neque legere sciat. Idem pseudoepiscopus vendiderat litteras aliquot woievodis pro triginta scutis, absolvendo illos per dictas litteras a peccatis, non tantum praeteritis, sed etiam a futuris. Unus ex illis woievodis, in confessione quam coram me faciebat, tradidit mihi illas litteras, quas dum in praesentia multorum hominum legerem, cum exaggeratione gravis sacrilegii et hominis illius malitia, contra quem omnes odio accensi, si non subtraxissem (*fol. 191v*) manum cum dictis litteris illas mihi e manibus eripuissent et dilacerassent. Hic mul-

torum excipiebam confessiones, tam spiritualium, quam saecularium, quod dum gratis facerem et pecuniam sponte ab illis mihi oblatam non reciperem, dixerunt me vere salutem ipsorum quaerere et non pecuniam illorum, ut alii, qui venientes ad illos ex Turcia pro Sacramentorum administratione, pretium cum ipsis statuunt. Unde turmatim integrae familiae ex domibus prodeuntes, confiteri mihi voluerunt. In quo ego operam meam non denegassem, nisi tanta multitudo hominum multo longiori indiguisset tempore, quam ego illis impendere potuerim, praesertim cum indigerent longa cathedisatione et multo longiori confessione, eo quod multi illorum sexagesimum agentes annum et ultra nunquam confessi fuerint, nisi more haereticorum, in unum multi congregati, et unica absoluteione, sine speciali peccatorum enumeratione absoluti et quidem a schismaticis sacerdotibus et formae absoluteionis sacramentalis prorsus ignaris, ideoque eam in absoluteione non adhibentibus. Condolendo igitur illis et promittendo me reversurum ad ipsos atque procuraturum personas idoneas ad illos erudiendos, cum magna laetitia illorum discessi ad ultimos Capitaneatus duos in Goimeriam, in quibus duobus capitaneatibus, pro aliquot millibus hominum unam tantum reperi ecclesiam, penes quam residet quidam calogierus solus in magna opinione doctrinae et probitatis apud omnes. Sed quidquid sit de probitate, quae in schismatico et haeretico vere non reperiuntur, certe doctrinam nullam in illo vidi, cum ignoraret formam conficiendae Eucharistiae, uti et caeteri illorum sacerdotes. Pollet nihilominus bono ingenio, cui si adiungeret veram probitatem et studium, multum prodesset in illis partibus. Calogierus iste de affectu hominum erga me audiens et fama quae spargebatur, antequam pervenissem ad ipsum, commovit homines contra me, persuadendo illis, Imperatorem me misisse ad decipiendum illos, unum e numero Jesuitarum callentem utrumque ritum, sub habitu S. Basilii, monendo illos, ut sibi quam maxime a me caverent. Qua sua persuasione tantum profecit apud omnes, ut in magno versarer periculo, videns odia illorum magna contra me, et verba minantia, dicentium habere se frameas acutas, allatas ex Turcia ad defendendam fidem suam (per fidem intelligentes Ritus), quam si aliter defendere non possent, quod velent iterum redire ad Turcae Imperium. Sic ego inter illos (*fol. 192*) constitutus in periculo, quaesivi media, quibus fidem meam apud ipsos liberassem, quod scilicet non venissem ad decipiendum illos et destruendam fidem illorum, sed potius ad videndas regiones ipsorum et ad serviendum ipsis, si in aliqua re opera mea indigerent. Et quo id citius probarem et efficacius illis persuaderem, exhibui illis libros cum caractere cyrilliano, quem illi communem cum Ruthenis et Moschis habent. Item ostendi quaedam ornamenta ecclesiastica, quae penes me habui Ritus Graeci, quibus visis, fidem mihi omnimodam adhibuerunt, quod essem illorum Ritus, et consequenter eiusdem fidei cum illis, quin inter ritum et fidem discernere non sciunt, utrumque pro eodem accipientes. Ideo non parum gratulabantur sibi, videntes quod in ipsorum ritu ac lingua inveniantur homines docti, qualem me putabant esse atque, depositis odiis, libenter ad

colloquium et ad domos suas me invitaverunt. Ex quo et calogierus ille modestior factus, cum summa humanitate et benevolentia me hospitio excepit et post longas circa fidem controversias, eiurato schismate, elegit me in patrem spiritualem ac in signum suae verae conversionis promisit se iturum mecum in Russiam, ut ibi manendo inter Religiosos nostros, ceremonias disceret ecclesiasticas et fidem catholicam atque alia vitam spiritualem et religiosam concernentia (*In margine, alia manu: Mirum cur bonus hic Visitator tacuerit nomen huius calogieri*).

Peractis itaque in illis regionibus duobus integris mensibus atque illis hominibus ad fidem catholicam atque Unionem cum S. R. Ecclesia ineundam dispositis discessi ab ipsis.

#### ERRORES ET SUPERSTITIONES QUAE INTER DICTOS VALACHOS REPERIUNTUR

1. In Baptismo imponunt sibi nomina gentilium, v. gr. Dean, Vran, Dido, etc.

2. In sepultura mortui mactant duo agmina apum, melle postea atque tritico accepto miscent omnia simul et conficientes cibum, item mactant arietem et illum integrum una cum cornibus assant, et praeparata mensa ad sepulchrum mortui, sacerdotem vocant, qui solus (fol. 192v) mensae assidens, comedit triticum cum melle et apibus, et deinde detracto cornu arietis, sugit illud more gentilium.

3. Virginem priusquam nubat ab ingressu ecclesiae arcent, putantes id non decere, ut virgo compareat in ecclesia.

4. Animalia occisa, quae non fundunt sanguinem comedere nefas esse dicunt. Item limares, cuniculos et huiusmodi animalia, quae a Catholicis Romanis ibi comeduntur, comedere dicunt esse peccatum mortale et homines qui talia comedunt immundos esse dicunt.

5. Cibos a foemina praeparatos non comedunt, putantes id esse grave peccatum. Animalia item a foemina occisa non comedunt.

6. In conviviis, ut se ad melius bibendum excitent, surgit primo sacerdos, quem sequuntur alii, et accipiens vas magnum vini, ac facta oratione, vel potius murmuratione, bibit per sanitatem Dei, totum evacuando et attendendo stricte, ut singuli id faciant.

7. Confitentur more haereticorum, sine specifica peccatorum enumeratione et simul plures collecti, una absolutione absolvuntur.

8. Sacerdotes numerum et formas Sacramentorum non sciunt, imo aliqui neque legere sciunt.

9. Sacerdos unus calogierus a viginti quattuor annis, ex quo factus est sacerdos, nunquam est confessus, putans nullum habere potestatem maiorem supra illum: consequenter neque habere potestatem absolvendi, siquidem ipse alios a peccatis absolvit.



10. Caeremonias eucharisticas corruptas omnes habent et nullam decentiam in illis servant.

11. Ecclesias more Calvinistarum, sine ullis imaginibus habent, et tamen in illis celebrant.

12. Missas nonnulli celebrant sine calice, loco illius utentes simplici vase et hoc vidi apud archipresbyterum antiquorum Uskokorum, qui neque portatile, neque corporale in celebrando habuit. Imo neque librum Evangeliorum: per totum annum unum evangelium legens quod in... to (inserto?) libro scriptum habuit et hoc passim fit apud alios, ob magnum defectum librorum typi Cyrilliaci.

13. Sacerdotes incedunt in habitu saeculari et solummodo distinguuntur a reliquis laicis (fol. 193) capillis longis et tonsura in capite. Unum ex illis vidi celebrantem cum calcaribus.

14. Ecclesias tenent non obseratas, die noctuque patentibus ianuis.

15. Sacerdotes nolentes obedire Episcopo unito, orant in publicis orationibus pro pseudoepiscopis in Turcia existentibus. Alii vero odium aliquod contra eundem Episcopum unitum Simeonem habentes, pro mortuis Episcopis orant, ut illos Deus bene sanos servet etc.

16. Pseudoepiscopi vagabundi, illuc venientes ex Turcia, multos errores important, propter pecuniam ab ipsis extrahendam. Pueros quindecim annorum, qui necdum legere sciunt, ordinant in presbyteros. Litteras absolutorias vendunt, absolventes per illas homines a peccatis praeteritis et futuris, quales litteras inveni apud quendam Palatinum, quas ille dixerat se emisse apud quendam episcopum, nomine Epiphanium, pro triginta scutis. Et similia alia absurda committunt.

17. Tempore elevationis oculos ad terram vertunt, caventes ne videant Corpus Christi, quo viso dicunt se amplius non visuros Deum in vita futura.

18. Ablutionem oris de mane maxime cavent, tam sacerdos quam laici, putantes id esse grave peccatum, et ideo tales non solum a communione, sed etiam a sumptione panis benedicti repellunt.

19. Ex populo orationem Dominicam rarissimi sciunt, imo signo crucis se signare ignorant, sed more Turcico, manu tangentes terram, eadem manu tangunt frontem, quo facto toto tempore in Ecclesia otiose stant, cum nullam orationem ad Deum facere sciant.

20. Ad confessionem non accedunt nisi senes, vel agonisantes.

De his omnibus erroribus et superstitionibus publice cum illis egi, convincendo illos variis rationibus et avocando ab illis, quam non omnes, nec totaliter, ob inveteratam consuetudinem suam, consenserunt in ea quae dixi.

ADNOTATIO: In eodem volumine (fol. 187rv-188rv) invenies et aliam eius relationem: « *Brevis relatio de hominibus Ritus Graeci in confinibus Turcarum sub Caesarea Maestate in Regnis Croatiae et Slavoniae, ac in partibus Carniolae existentibus* (textus valde corruptus). In fol. 206rv, 209 (manu Methodii Terleckyj): « *Media iuvandi Valachos sive Uskokos in ditionibus Caesareae Maiestatis* ».

## 7.

An. 1629.

*Media iuvandi Valachos sive Uskokos Methodii Terleckyj, OSBM: Seminarium in Russia.*

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Generali*, vol. 219, fol. 206rv, 209r.

Media iuvandi Valachos sive Uskokos  
in ditionibus Caesareae Maiestatis<sup>27</sup>

1. Ante omnia summopere necessarium est, ut mittantur aliquot Religiosi ex Russia Ordinis S. Basillii Magni in partes illas, qui Confessiones illorum hominum excipiant et alia Sacramenta administrent, donec ipsimet sacerdotes dictorum Valachorum ad illa administranda fient idonei. Et ex iisdem Religiosis Ruthenis, mortuo Simeone, haberetur in promptu qui succederet in locum illius cum privilegio Caesareae Maiestatis.

2. Habito Episcopo digno, viro catholico, provedendus erit illi panis et locus in quo habitet et a quo denominationem sui episcopatus desumat. Cum modernus Simeon nullam denominationem loci habendo, nullam consequenter exercet iurisdictionem episcopalem, planeque instar vagabundi alicuius Graeci ille habitat, sine nomine. Aptissimus igitur locus habetur pro futuro episcopo, a quo et denominationem sumeret in oppido Methicensi, quod oppidum stat plane in medio illorum sex Capitaneatum, penes Montem Feletrii, in quo dicti Valachi passim habitant, sub capitaneatu Zumbergensis.

3. Cum defectus magnus habeatur ibi spiritualium et personae aptae non habentur, quae ad sacerdotium promoverentur, ideo pernecessarium erit ut erigatur Seminarium pro filiis ipsorum. De loco saltem dicti Seminarii erit difficultas. Nam illi ad Collegia Patrum Societatis nullo modo mittere volunt, id mihi referentibus ipsismet Patribus Societatis Viennae, qui dixerunt, quod Ill. mus Princeps Ekiemberg, primarius Consiliarius totius Imperii et primarius Capitaneus Zumbergensis, sponte sua offerebat sump- tus pro pueris in scholis dictorum Patrum Societatis erudiendis, quam tamen gratiam illi non acceptarunt, immo illi hac de re contrarii fuerunt, timentes ne filii ipsorum, ut filius Martini Dubrovitii, qui studens Graecii in Styria,<sup>28</sup> factus erat sacerdos latinus, ipsi quoque fiant latini. Cum igitur illi scholis Patrum Societatis sunt contrarii neque Seminarium aliud pro illis est fundatum, ideo ne etiam nunc auxilio destituantur, agendum erit cum illis et diligenter instandum, ut permittant filios suos in Russiam ad Seminarium

<sup>27</sup> Haec expositio videtur manu ruthena facta fuit, quia nimis res Ruthenorum sublineat, et praesertim Seminarium eorum fere in eius initiis memorat. Verosimiliter a missionario Methodio Terleckyj provenit.

<sup>28</sup> Gratz, ubi Pontificium Seminarium Propagandae Fidei existebat, ut videtur sub directione Patrum Societatis Jesu.

Ruthenum deduci, ut iam in hoc aliquot ex praecipuis, me suadente, consenserunt, quod uti fieret facile affectus parentum cum filiis transportaretur in Russiam, quo illis omissis partibus Turcicis, et conversationibus cum Graecis schismaticis, coniunctiones suas et correspondentias cum Ruthenis catholicis haberent, et Ritus sui gloriam quaererent ex Russia non ex Turcia. Et deinde amorem maiorem conciperent erga illos nostros Patres, qui circa illos laborarent.

4. In confiniis ipsis transitus liber, uti hactenus pseudoepiscopis Graecis et calogieris schismaticis, ne noviter Unitos turbent et seditiones excitent, maxime prohibendus erit, edicto Caesareae Maiestatis.

5. In libris ipsorum ecclesiasticis, quos nunc (licet paucos) habent impressionis Venecianae multi errores et superstitiones inveniuntur, a quibus ut liberentur non est medium, nisi ut alii pro illis imprimantur, quos non solum illi et alii in Regnis Turcicis gratissime coëment. Quodsi tam fieri non poterit, S. Caesareae Maiestatis erit supplicandum, ut sumptum aliquem offerat pro coëmentis dictis libris in Russia.

*Fructus, qui ex conversione illorum hominum sequerentur:*

1. Salus animarum multorum millium.

2. Fidelitas maior in servitiis Caesareae Maiestatis reddeundis in defensione confinium a Turcis.

3. Securitas ipsismet Catholicis, manentibus inter ipsos, qui ob multitudinem et robur merito sibi ab illis timent.

4. Ductu boni ordinis, qui haberetur inter illos in spiritualibus, multi ex Regnis adiacentibus sub Turca, uti ex Serbia, Bulgaria, Bosna aliisque Provinciis traherentur in partes Caesareae Maiestatis.

5. Daretur occasio conversandi cum schismaticis sub Turca manentibus et illos convertendi.

6. Auxiliante Deo, cum Caesarea Maiestas ulterius promovebit suos fines in Regna Turcica, alacrius homines illi, qui omnes sunt Ritus Graeci et degunt nunc sub Turca, dabunt manus Imperatori et illum fideliter adiuvabunt, cum intellexerint quod ipse promovet et conservat illorum Ritus.

8.

*Vienna, 31.I.1630.*

*Methodius Terleckyj, OSBM, Sacrae Congregationi de Propaganda Fide: Mittit continuationem suae relationis de Valachis seu Uskokis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Generali*, vol. 219, fol. 301rv.

Sacra Congregatio. Illustrissimi et Reverendissimi Domini.

Debitam missionis meae ad Valachos Montis Felletrii relationem dare ad hoc usque tempus distuli, quod ea quae praecipue referenda essent citius

expediri non potuerint. Causa est, tum ipsa negotii difficultas, tum maxime dubium ortum apud Sacram Caesaream Maiestatem, ob ambiguitatem commissam circa me et Samandriensem Episcopum, aequae missum et commendatum ad eundem finem. Tandem mea causa praevaluit, quod manifestum esset, Samandriensem Episcopum ob Ritus diversitatem, ei rei non solum usui non futurum, sed etiam impedimento. Igitur Sacrae Caesareae Maiestati supplicavi pro fundando inter eos populos Episcopatu, scholis et monasterio Ritus Graeci Unitorum. Benigneque habitus bona horum omnium, a Sacra Caesarea Maiestate, spe arrepta in Patriam propero, illic personas librosque cyrilliani typi ad horum populorum usum provisurus, ut cum Sacrae Caesareae Maiestati visum fuerit, cum sociis statim advolem. Reliquum continuationem meae relationis in praesenti mittens Sacrae Congregationi eidem me quam humillime diligenter commendo.

Datum Viennae, ultima Januarii, a. 1630.

Ill.marum ac Rev.marum

Dominationum Vestrarum humillimus exorator

METHODIUS TERLECKI

*Presbyter Ord. S. Basilii Magni, Ruthenus, m.pr.*

(301v, manu Ingoli): Referente card. Ubaldino litteras et relationem Patris Methodii de Uschochis seu Vallachis Montis Feletrii, S. Congregatio iussit commendari diligentias dicti Patris et hortari, ut opus bene coeptum, sicut in Domino ei videbitur, persequat et de suis progressibus saepe diligenter scribat.

Si scriva al Padre Metodio latine, e si mandi la lettera al Signor cardinal Palotto, acciò la ricapiti e se sarà partito la mandi per ricapitarla in Polonia al card. S. Croce.

## 9.

*Roma, 31.I.1630*

*Continuatio Relationis factae Romae coram SS.mo D.N. in Congregatione de Prop. Fide per me Methodium Terlecki, presbyterum Ordinis S. Basilii Magni de Valachis seu Uskokis in Regnis Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae, in Ritu Graeco existentibus.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Gen.*, v. 219, fol. 302rv, 320rv.

Audita relatione et successu rerum in illa descriptis Sanctissimus D.nus Noster una cum Ill.mis Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide iudicavit, ut ego, siquidem feliciter principium fidei catholicae inter Valachos sive Uskokos incepti, finem etiam imponi curarem, propterea constituit me ad eosdem populos Missionarium, concedendo facultates varias, ad hoc munus necessarias, quibus acceptis iterum reversus sum, iam ex oboedientia Sedis Apostolicae, ex professo ad praedicta Regna praedicandi gratia illi populo Evangelium Christi Domini et doctrinam Catholicam.

Pervenì itaque primo ad Goimerienses, qui uti antea de me suspicabantur, quod potius essem unus ex Jesuitis, quam illorum sacerdos, ita et postea in eadem sua opinione tenebantur, timentes sibi, ne aliquam in Ritu

suo turbationem paterentur; potius iudicarunt, si iterum ad illos reversus fuero, positis insidiis in itinere, in locis aliquot, me de medio auferre. Sed aliter res successit, alia enim via redii ad illos, quam ipsi opinarentur; deinde ex dispositione Dei, Venetiis imagines pro ecclesiis illorum mecum tuli, quas cum vidissent sibi oblatas a me fuisse, aliter de me iudicarunt quam antea suspicabantur et ita per illas imagines omnino liber evasi ab omni periculo, vitamque meam redemi. Quae omnia postmodum aperuerunt illi, qui iam facti erant catholici, abiurato primo schismate et aliis erroribus, in confessione coram me facta (*fol. 302v*). Intellecto ego igitur pravo animo dictorum hominum, contra me conspiratorum, et ut evellerem ipsum de cordibus ipsorum, manendum apud ipsos aliquo tempore iudicavi et mansi plus quam integro mense, quo temporis spatio, auxiliante gratia Dei, effeci illa omnia quae desiderabantur. Nam vix illorum aliquis, praecipue ex maioribus, remansit, qui mihi non confiteretur, acceptata primo fide catholica.

Dispositis iam animis illorum ad suscipiendam fidem catholicam, ulterius ab ipsis profectus sum versus Capitaneatum Zumbergensem, ad antiquos Uskokos, qui alias maximo animo me expectabant. Sed cum sint longe lateque per montes dispersi et necessarium erat iacere ubique fundamenta veritatis catholicae, aliquot menses in praedicatione consumere cogebar. Hi ferme omnes ardentissime petebant, ut vel ego ipse apud illos manerem, promittentes omne obsequium et obedientiam futuram vel si id fieri non possit, saltem procurare operarios pro illis partibus, mihi similes, cum illi magis quam alii positi sint in maxima spirituali desolatione. Promisi illis, quantum ex me fieri poterit unum horum, tam apud Caesaream Maiestatem, quam apud Superiores meos procuraturum. Deinde cum litteris S. Congregationis de Prop. Fide ad Episcopum Simeonem Vratana, aetatis satis decrepitae, virum olim unitum, in Slavoniam, ut easdem litteras redderem, perveni. Admonebar quidem, tam a Goimeriensibus, quam a Zumbergensibus Uskocis ne eo proficiscerer, maximo enim discrimini, et certo periculo vitam meam exponerem propter Episcopum et conspiracyonem illius (*fol. 320*) cum saecularibus; timebat enim sibi hic Episcopus, ne ipsius Episcopatum ambirem.

Protectioni itaque me Dei commendavi neve seniculus inde triumpharet, quod aliquomodo mortem timerem, non via recta, sed circulari ad eum eundo, profectus sum recta Jvanicium ad Capitaneatum illius loci, ubi ipse habitat. Illic omnia Capitaneo aperui. Mirabatur quod nihil horum sciverit; certitudinis tamen maioris gratia invitavit ad coenam aliquot praecipuos Valachos, amicos Episcopi, qui tunc praesentes interfuerunt custodiae propugnaculi. Ex his Valachis facile colligi poterat, quod illius hospes non gratus fuerim et quod animis suis infensissimis mala mihi minarentur; advertit hoc Capitaneus, propterea curabat ne aliquid mihi adversi accideret sequenti die, ut tamen per me ipsum litterae redderentur Episcopo, quibus innuebatur illum esse catholicum, Capitaneus stipatus militibus, tam equitibus, quam peditibus, ad Episcopi residentiam me deduxit. Non minus

apparebant signa et ex Episcopo hostilis in me animi, declarabat hoc tonus, ipsius aspectus et silentium profundum: ne unum enim verbum bonum ad me proferre dignatus est. Litteris redditis Episcopo, post aliquam moram Ivanicium ad noctem redii. Eandem ob causam in reditu apud Valachos Slavoniae manere non poteram. Intellexi tamen ex multis, tam saecularibus, quam spiritualibus, non male illos mihi esse affectos. Ultimo rationem facturum villicationis meae Sacrae Caesareae Maiestati unius anni, Viennam veni, qui principiis et processu rerum expositis, voluntati illius commisi totum. An ipse ductus zelo gloriae Dei et amore suorum subditorum (*fol. 320v*) hanc rem prosequi per certa media velit, scilicet advocando plures operarios ad excolendam tam incultam vineam et amictum haberent.

## 10.

(Constantinopoli), 29.XI.1630.

*Quidam Archimandrita Dorohobuscensis de sua visitatione patriarchae Constantinopolitani Lucaris, de difficultatibus etc. ad Alumnos Collegii Graecorum de Urbe; adnotationes alia manu, forsitan Secr. Ingoli.*

APF, *Scr. rif. n. Congr. Generali*, vol. 73, fol. 65rv, 66v.

Copia litterarum Hieremiae Lisiaticki, Archimandritae Dorohobuscensis Rutheni, ad Ruthenos in Col. Graeco manentes, Anno D.ni 1630, Novembr. 29.

Secundum promissum meum scribo ad R.V., significans me pervenisse Constantinopolim 29 Novembris. Ibi me contuli ad Patriarcham, qui statim quaesivit, utrum essem in Unione necne? Cui ego ambigue respondendo, propter diversa pericula, cum non satisfacissem, re cognita, iussit ut omni metu et suspitione seclusa ei indicarem qualis nam essem? Proinde assecratus ab eo, confessus sum me esse unum ex Unitis et ex nunc Roma venisse. Quibus auditis, vocat Protosingelon eique committit, ut inquireret quid vellem et cur venissem Constantinopolim. Post haec ipse discedit, me relicto apud Protosingelo, a quo interrogatus unde et qua de causa venissem, respondi non esse opus, ut mecum Patriarcha agat per tertias personas, cum sim illi bene notus a pluribus annis, sed petii ab eo, ut liberam audientiam apud illum haberem, quo cognito Patriarcha, tertia die iussit me ad se accedere, ibi rebus meis sincere expositis ac ostensis litteris, quas Roma mecum in Patriam ferebam, dixit: parcas mihi, nemini enim Ruthenorum fidem praestare possum, cum ille canis Meletius<sup>29</sup> fraudulenter mecum agens me deceperit; interrogatus, dum apud me esset Constantinopoli, de articulis fidei semper tacuit, omnia mea interrogata silentio solvens, quam rem ad-

---

<sup>29</sup> Agitur de Meletio Smotryckyj, qui post excidium Polocense iter in Orientem fecit et apud Patriarcham Cyrillum Lucaris commorabatur et varias res ex ipso exquirebat, de quibus nunc Cyrillus lamentatur; cfr. litteras Meletii in his etiam rebus in *Litterae Episcoporum*, vol. I: 1601-1640, Romae 1972.

miratus intra me dicebam: ille ne est qui dictis et scriptis omnibus notum se effecerat? Nunc mutus et elinguis factus, neque tamen illi molestus esse volui, immo concessi privilegium, quod quidem ego privatim retractavi propter eius infidelitatem mihi exhibitam (fol. 65v) et postquam res meas composuero ad ipsius scripta respondebo, ac privilegium illud publice retractabo.

Post haec de Meletio dicta multa egit de fide, praesertim de Sacramentis, quorum tantum tria se tenere et credere dixit, nimirum ea, quae expressis a Christo verbis in Evangelio enumerata fuerunt, scilicet Baptismum, Ordinem, Eucharistiam, symbolice tamen et pneumatice acceptam. Remissionem vero peccatorum et alia Sacramenta nugae esse dixit. Proinde etiamsi omnes rumperent capita sua in Evangelio quaerendo, plura non invenient, praeter tria enumerata.

Me praesente contigit, dum Patriarcha solemniter Missam celebraret, ecce venit Legatus Holandorum, cuius adventu cognito Patriarcha, sacro apparatu indutus ad portam usque templi iturum (?) se praebet, eoque deducto, sacrum inceptum perfecit. Interim petivi ab eo, ut ille, qui haberet notitiam partium nostrarum, differentias nostras componeret et litteras ad Pontificem, Regem Poloniae et Metropolitam de eadem re scriberet. Dixit se nihil cum illis habere, cum neque ille ad ipsos, nec ipsi ad illum pertineant; quod vero me dicant et teneantur esse calvinum, scio quid ad haec dicturus sum. Tandem praecepit, ut quam citius me itineri committerem: proinde veritus ne quid mali contingat Deo propitio brevi discedas, etc.

(fol. 66v; alia manu): Geremia Lisiatico, Archimandrita Ruteno Unito, dà conto ad un alunno, suo paesano, nel Collegio Greco d'essersi abboccato col Patriarca Cirillo, il quale dopo essersi gravemente deluso di Melezio, che l'abbia tradito, gli disse in progresso del discorso, non trovarsi se non tre Sacramenti nel sacro Vangelo e che gl'altri erano tutte baie. Trovandosi poi un giorno presente alla Messa del medesimo Patriarcha vide, che pontificalmente celebrando incontrò l'Ambasciatore d'Hollanda che venne in chiesa etc. (si potrebbe legger per esteso).

Die 4 Julii 1631, Congr. 43, n. 28. Ref. R.mo Assessori S. Officii copiam litterarum.

*Nota Ingoli:* Sacra Congregatio iussit perquiri originale dictarum litterarum, ut transmitti possit ad Metropolitam pro recognitione praedictarum litterarum et pro examine dicti Archimandritae.

## II.

(Romae, 1632)

*Quaedam sententia P. Nicolai Novak, OSBM, de missione ad Uskokos in Croatia.*

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Gen.*, vol. 219, fol. 309rv - 310rv.

Cfr fol. 312v, ubi in Congr. Generali, habita die 26.IV.1632, de sententia Patris Nicolai mentio fit.

MODUS IUVANDI VALLACHOS SEU USKOKOS.

(fol. 310v) *Sententia Patris Nicolai, Agentis Metropolitae Russiae, circa iuvandos Vallachos seu Uschocos Montis Feletrii. Ad Em.mum Cardinalem Spadam (Adnotatio manu Ingoli).*<sup>30</sup>

Cum gens illa sit Ritus Graeci et nullum de medio sui habeat, qui illi sedenti in tenebris et in umbra mortis, lucem salutis demonstraret, quaerendi essent illi, qui facilius in animos illorum illaberentur ob conformitatem Ritus et linguae affinitatem, et qui super omnia non quae sua, sed quae Jesu Christi sunt quaerendo salutis illorum inservirent.

Ante triennium Metropolita Russiae tactus dolore cordis intrinsecus, ob miserabilem statum illorum, quo parum abest quin gentilibus adaequerentur, expediverat Patrem Methodium nostri Ordinis Religiosum, ut exploraret modos iuvandi illos, qui dictus Pater munitus pro securitate Caesareae Maiestatis litteris ab Capitaneos illorum datis, functus officio sibi iniuncto ea quae ibi vidit Sacrae Congregationi de Propaganda Fide retulit, a qua iterato ad illos missus, sex mensium spatio illis cohabitavit, et ob cognationem aliqualem linguae et Ritus conformitatem, carior illis redditus, plurium quam sex millium animarum excepit confessiones. Quo invitatus dictus Pater ad tam nobilem piscaturam voluit socios vocare, et ideo contulit se denuo ad Caesaream Maiestatem, petendo ab illa, ut assignaret sibi suisque in illa vinea excolenda laboraturis provisionem, ita ut ex liberalitate Caesarea viverent et nulla re ab illis hominibus indigendo, clarius demonstrarent se nihil aliud nisi salutem illorum intendere. Ad quam petitionem cum se iam pius princeps inclinaret, et litteras ad Regem paratas de hac re daret, ingruens bellorum moles pium propositum illius et evidens animarum lucrum impedit.

Nunc si Sacra Congregatio, (fol. 309v) zelo salutis proximorum et primaevo suo instituto, velet illam gentem iuvare, hoc medio per Patrem Methodium iam probato uti posset: procurata aliqua provisione mittendis illuc Religiosis Ruthenis quo commodius salutis animarum inservire possint. Iidem Religiosi Rutheni pro fundamentali et ulteriori auxilio illius gentis, et pro comparando sibi affectu et securitate apud illam filios illius, qui aptiores studiis viderentur, mitterent ad Seminarium Ruthenum in Russiam,<sup>31</sup> ut in proprio Ritu Catholico et probitate vitae ac studiis, quae feras etiam gentes edomant, eruditi, et ad Sacros Ordines promoti, melius quam quispiam alter suam gentem erudirent et performarent. Nec credendum est iis, qui dicunt, odio Patrem Methodium ab illis habitum fuisse; scripsisset enim hoc Pater Methodius S. Congregationi ac mihi, qui minima quaeque mihi scripsit.<sup>32</sup> Imo dum ab illis dictus Pater abiret, lacrimis discendentem prosecuti, ut quanto-

<sup>30</sup> Adnotatio est Francisci Ingoli, « modus iuvandi » P. Nicolai Novak, qui ut Procurator de hisce rebus tractabat, praesertim temporibus Methodii Terleckyj et Metropolitae Rutzkyj, quibus Valachi seu Uskoki cordi erant.

<sup>31</sup> De Seminario Rutheno in Russia tantummodo a Synodo Kobrynensi Episcopi cogitabant, i.e. ab anno 1626.

<sup>32</sup> Cfr. documenta praecedentia.



cius rediret aut sibi similes submitteret orarunt. Quod autem proponitur S. Congregationi de dando Coadiutore dictorum Vallachorum Episcopo, nomine Simeoni, cum futura successione, id ego non suaderem, ne detur occasio seditionum et tumultus et ne animi illorum hominum exulcerentur, sed mortuo illo dandus esset aliquis ex iisdem Religiosis Ruthenis. Maximilianus enim ille, qui episcopatum praetendit,<sup>33</sup> solet cum aliis excurrere in Turcarum confinia et praedas agere; de fide autem eius sit altum silentium. Et pro pleniore informatione et comprobatione veritatis supradictorum consultum esset designare pro visitatore (*fol. 310r*) illorum hominum aliquem Episcopum viciniorem illis partibus, prout ante triennium designaverat Sacra Congregatio Episcopum Samandriensem, qui in ipso itinere morte sublatus illam visitationem exequi non potuit. Et ita sentio et teste Deo humilliter ex animo propono, salvo meliori iudicio aliorum.

## 12.

Romae, ... 1633

*Responsum Nicephori Losowskyj de Alumnis Romanis et aliis rebus.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 75, fol. 388rv.

Ill.mo, et Rev.mo Signore.

Non potendo io aboccarsi con V.S. Ill.ma dell'alcune cose necessarie, per difficultà della licenza, li espongo in brevità in questa charta. Et primo, come habiamo prese alcune lettere da Vienna, dove si avisa che i Schismatici già actu si impossessorno dei duoi Vescovati, cioè di Luceoria et di Mscislavia, dove son stati Vescovi, Alunni di questo Collegio, e di più dei alcuni nostri monasteri. Secondo, come Padre nostro Rettore fa gran difficultà di tener in Collegio Signor Adamo Kopez,<sup>34</sup> nepote del Monsignor Metropolita, per haver già finiti i suoi studij, a chi ancora non son mandati quei centocinquanta cechini che li consummò Patre Nicolo,<sup>35</sup> pie memorie, per il negotio del Servo di Dio Josaphat; altri vero denari non ha, et così per forza per adesso non può partirsi; ma Padre Rettore, non considerando queste difficultà, li disse che si provedesse, perchè non li può tener più di trenta giorni, et hormai sono scorsi dieci. Et cum questa occassione in diverse volte chiamò noi altri Monaci, et disse, che noi Rutheni non habiamo in questo Collegio loco per sempre, ma ad tempus, fin tanto che si fondi Seminario in Russia, ne anco determinato per quatro, ma per gratia o pur per abuso si riceviamo quatro; disse ancor che habiamo molti Collegij in partibus

<sup>33</sup> Homo nobis ignotus.

<sup>34</sup> Adamus Kopez, Alumnus Collegii Graecorum ab anno 1626; finivit cursum philosophiae et theologiae, et dein rediit in patriam; anno 1626 habuit 18 annos; filius Philonis et Elisabethae Kraptoviciovna.

<sup>35</sup> Nicolaus Novak, Procurator in Urbe, et obiit anno 1633; cfr. ut supra nota 22.

ultramontanis et però che doveressimo cedere questo loco ai Greci, et altre mille difficoltà.

Et queste obiettoni contra noi altri Ruteni o più tosto persecuzioni, non solamente in questo Collegio sono, che sta nella vista della sua Santità, et della Sacra Congregazione, ma ancora pegio per tutti altri Collegi, come scrivono li nostri da Vienna, li quali per molto tempo non volsero ricever in Collegio, et così poveretti in sancta paupertate dovevano star per tre settimane in camera locanda, et il suo viver procaciar con elemosina; ma ne anco questo bastava ancora, li fu risposto, si volessero in Collegio entrar, che facessero li suoi vestiti, et così miseri et miserabilmente doveano far come comandavano. Questo avviso io espongo a V.S. Ill.ma come a nostro Padre et Padrone, cercando qualche rimedio; ma sarebbe meglio che V.S. Ill.ma comandasse (f. 388v) a noi venir a se, dove parlaressimo più comodamente di tutte le necessità occorrenti. Di quel Vescovato dei Uscoci ho sentito molte et varie difficoltà dal Padre Sciafone, penitentiero di S. Pietro, et dai altri Padri Jesuiti, quei medesimi che mi prima persuadevano di pigliarlo, et adesso tutt'al contrario mi dicono, et però haverei accaro di esporle in presenza a V.S. Ill.ma. A cui prego ogni bene dalla Divina Maiesta.

Dal Collegio Greco.

Di V.S. Ill.ma Servo indegno  
NICEPHORO LOSSOVIO  
*Monaco di S. Basilio Magno (mp)*

(f. 394v) All'Ill.mo e R.mo Signore Padron mio osservandissimo, il Signor Francesco Ingoli (L.S.).

Die 16 decembris 1633. - Congr. 186.

### 13.

(*Ex Russia*), 1633-1634.

*Quidam anonymus Basilianus de modo gubernandi monachorum Basilianorum tempore Protoarchimandritae Raphaëlis Korsak.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 336, fol. 403-403v.

Modus, quo gubernatur nunc Religio S. Basilij  
Ritus Graeci in Russia.

Totum gubernium huius Religionis duodecim aut tredecim annis ab uno solo Metropolita Russiae dependebat, Ill.mo Velamino Rutschi, quod septem ante annos suo coadiutori R.mo Raphaëli, Episcopo Haliciensis, moderno Pinscensis, omnibus fere tam Episcopis, quam Monachis, immo ipsis etiam Saecularibus repugnantibus totaliter delegavit, proponendo hanc esse voluntatem Sanctissimi Domini Nostri, Sacrae Congregationis, et ipsius Serenissimi Regis Poloniae.<sup>36</sup> Quo gubernio accepto, praedictus R.mus Coadiutor om-

<sup>36</sup> Tunc erat Rex Poloniae adhuc Sigismundus III (1587-1632).

nes Superiores antiquos, sua privata autoritate, praesertim eos, quos sibi suaeque electioni contrarios videbat deposuit, et alios novos, iuvenes, et gubernio minus aptos praeposuit, indiesque praeponit, maxime eos, qui sub eius gubernio ad Religionem suscepti sunt, postponens, ut dixi, antiquos, vere communi bono attendentes; quod et Ill.mus Metropolita, ad eius mala narrata, approbat. Sed haec delegatio intentioni praedicti Ill.mi minus respondet, qui ordinem non disordinem intendebat, sed hac spe pro certo frustratus est; verum iam aliter agere, ne inconstantiae notaretur, non potest.

*Nota* — Rev.mi Ingoli: Contra Episcopum Haliciensem quod praeferat iuvenes in praelaturis Monasteriorum; deponat veteres qui electioni eius contrarii fuerunt.<sup>37</sup>

Congregationes materiales quadriennales instituit, ad quas omnium Monasteriorum Superiores convocat, sed nihil in ijs de bono communi statuere neque consultare sinit, sed solus de omnibus consultat, omnia ad libitum statuit et determinat; si vero aliquis Patrum vellet suam sententiam ferre, eo ipso gratiam ipsius perdit, et ab eodem a superioratu, in cuius solius manibus est, arcetur. Quare omnes obmutescunt, et veritas sepulta iacet. Immo modo Superiorum non alia cura est, quam conservandi gratiam praedicti Coadiutoris, ne a superioratu amoveantur. Unde rebus Ecclesiae, ac monasterij aut nihil, aut vix aliquid attendunt. Hinc nascuntur multa scandala, populi murmuratio, aversio, et nonnunquam totalis alienatio, et ad Schisma (*f.* 403v) apostasis sequitur. Hinc colligi et iudicari potest, quomodo res spirituales, et quo animo pertractentur. Alij enim loco piae meditationis cogitant, qualiter gratiam praedictae personae acquirere, et acquisitionem conservare possent; alij dum eam acquirere non possunt (unus enim sub altero foveam fodit), ad diversos se Episcopos conferunt, et Monasteria deserunt, quod etiam nonnulli eorum, quos praedictus R.mus Coadiutor a Superioratu deposuit fecerunt. Alij Saecularium benevolentiam captant, ut per eos saltem promoveantur. Alij alios modos Deo exosos, hominibus scandalosos, et Religionem maxime nocivos quaerunt.

*Nota* — Ingoli: In quadriennialibus Cong. omnia pro libito disponit, et contradicentes amittunt eius gratiam; unde plurimi tacent et ut gratiam conservent, neve a praelaturis amoveantur, servant ea quod ipse disponit, unde sequent notata scandala.

Monachi nobiles alios qui non sunt nobiles, quamvis pios et doctos contemnunt, hi enim soli et non alii ad omnes dignitates a praedicto R.mo Coadiutore promoventur. Unde illi Monachi, qui non sunt nobiles, videndo has apertissimas partialitates a labore in Vineam Domini desistunt, et prorsus animum a Religione abijciunt, et alij eorum Monasteria deserunt, alij non habendo locum, quo se conferant (ad Schismaticos enim ire ipsis conscientia non permittit) invitati et coacti corpore non spiritu manent.

*Nota* — Partialis est, promovet nobiles et non nobiles relinquit.

---

<sup>37</sup> Hae adnotationes referuntur semper ad textum supra positum, in omnibus locis et documentis sequentibus.

Charitas Superiorum nulla erga inferiores, cum quibus semper serviliter procedunt, quare et inferiorum erga superiores nullus mutuus amor, sed semper dissensiones, discordiae et invidiae.

*Nota* — Superiorum dominatio despotica est.

Praedicti Episcopi Haliciensis, moderni Pinscensis, Coadiutoris Metropolitanae, cui suprema a Metropolitana supra Monachos, ut dixi, potestas data est, haec saepe et similia ad monachos verba sunt: heus tu, faciam te per famulos meos ad carceres trahere, aut fustibus caedere etc. Hic R. mus Coadiutor cum omni sua familia per sex et ultra annos per monasteria mansit (nam hucusque titularis Episcopus fuit), quae omnia indebitavit, et nonnulla ita, ut vix, aut ne vix quidem solvere sufficiant; ex ijs enim se, et suam familiam ditissime vestiverat, et salarium solverat. Famuli eius in eodem Monasterio habitabant et ad eandem mensam comedebant; unde maximus dishonor Monachorum sequebatur, saepius enim multis iniurijs monachos afficiebant. Quando vero alia Monasteria praedictus Coadiutor visitat, non solum ipse, sed etiam eius famuli tanquam absoluti Domini in iis comandant. In iis lautissima convivia habitatoribus eius loci instruit, ita ut post eius visitationem vix aliquid Monachis ad comedendum remaneat.

*Nota* — Gravamina varia quae intulit monasteriis, non sine dispendio pp. vestes, et moram cum famulis.

#### 14.

(*Ex Russia*), 1633-1634.

*De modo meliorandi administrationem Basilianorum, idem monachus Basilianus anonymus temporibus Raphaëlis Korsak.*

APF, *Script. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 336, fol. 404-405v.

Modus, quo posset cum fructu gubernari Religio S. Basilij in Russia.

Primo a charitate incipiendum esset, quae est radix omnium communitatum bene ordinarum; hanc deberet sequi uniformitas tam in victu quam amictu, quae hucusque servata non est. Nam Supremus Superior qui nunc est, eam servare non potest, quia Dominus et Episcopus est, quam nec alii Superiores a dicto Episcopo praepositi servare volunt, sed Regis ad exemplum vivunt. Immo alii eorum non solum eam servare nolunt, sed positive contra eam agunt, pecuniam communitatis abradendo, qua aut se in gratia praedicti Episcopi conservare possint, aut illa amissa, eam penes se habeant, eaque in suis necessitatibus, et praesertim in infirmitatibus se adiuvent, nulla enim infirmorum cura est, quod idem nonnulli etiam inferiores, exemplo ducti Superiorum, faciunt.

*Nota* — Ingoli: Provisiones, uniformitas in victu et vestitu introducenda et Superior non deberet esse Episcopus, ut posset servare hanc uniformitatem.<sup>38</sup>

<sup>38</sup> Hae adnotationes referuntur ad textus supra positos.

Quare Praepositus Generalis non deberet esse Episcopus, nec per vim et contra voluntatem omnium intrusus, sed ex numero Religiosorum communi omnium suffragio, non habendo ullo respectu nobilitatis, sed solius pietatis et habilitatis electus, et hoc ad quadriennium; quolibet vero quadriennio omnes Superiores ad unum locum in charitate fraterna convenire deberent, cum uno socio a fratribus cuiuslibet Monasterii pro tunc electo, ibique aut eundem confirmare, aut alium instituere, prout in Domino visum esset. Pariter et alii Superiores aliorum Monasteriorum ibidem, aut alij eligi aut iidem confirmandi essent. Superiores vero omnes omnium Monasteriorum, antequam quid de bono communi consultare caepissent, deberent reddere rationem in facie omnium Patrum redditus Monasterii eiusque expensarum, quod idem in primis deberet facere Praepositus Generalis suae visitationis (non enim necesse esset facere alium Visitatorem).

*Nota* — Et deberet communiter eligi, ut fit in aliis Religionibus et similiter alii Superiores eligendi essent in quadriennialibus Congr., in eisque reddendae rationes de administratis redditibus Monasteriorum.

Qui Praepositus Generalis posset esse Superior alicuius Monasterii, ob paucitatem illorum, in quorum nonnullis vix quatuor aut quinque monachi habitant, quamvis ad triginta habitare possent, redditus vero quorsum abeant apud praedictum Metropolitanæ Coadiutorem et supremum Monasteriorum Superiorem quaerendum esset, non enim fabricant neque ecclesias (*f. 404v*) ornant etc. et in aliis nullus, ut Grodnensi et Mscislaviensi, in quibus famuli praedicti R.mi Coadiutoris cum suis uxoribus loco Abbatum et Monachorum habitant. Quo populus maxime scandalizatur, Schismatici vociferant, et merito, unde et moderna nostra a Schismaticis oppressio non mediocrem pro certo causam sumpsit.

*Nota* — Famuli cum uxoribus in Monast. ab episcopo Halicien. introducti cum scandalo.

Multum etiam ad reformandum bonum gubernium inserviret, si antiqui Superiores, gubernii practici, et de Religione bene meriti, quos praedictus R.mus Coadiutor deposuit, restituerentur; hi enim dum Superiores erant plurimos a Schismate ad Unionem cum S.R.E. traxerunt, Monachos bonis haereditarijs aluerunt, fabricas Monasterii auxerunt, et ecclesiam picturis et diversis apparatus ornarunt, quod et nunc pro suo zelo facerent, et ad hoc omnes illos iuarent; tam enim Monachi quam Saeculares maximum amorem erga ipsos habent, ita ut si ipsi Superiores essent, solis eleemosynis multi monachi ali possent, quas populus copiosissimas, si restituantur, promittit, modo vero pauperes, contempti et abiecti, maximis cum talentis sepulti iacent, et iam quasi animum a iuvanda Religione abiiciunt et manum amovent. Immo, nisi vi populi retinerentur, iam pridem in exterarum nationes abirent, aut Ritum mutare et in aliam Religionem trasmeare tentarent, quod absit, ultimum enim Sanctae Unionis exterminium esset.

*Nota* — Veteres Praelati ab episcopo depositi restituendi; nam populus propter eos maiores eleemosinas dabit et plures Monachi alerentur.

Describendus item esset et statuendus modus infallibiliter ab omnibus tam Superioribus quam inferioribus amictus et quotidiani victus servandus.

*Nota* — Stabiliendus amictus et quotidianus victus.

Procuratores bonorum Monasterii Religiosi pii et apti assignari deberent, non Saeculares, prout hucusque a supradicto R.mo Coadiutore eius famuli in praemium suae servitutis assignabantur, qui nec rationem Monachis reddebant, nec eos pro Superioribus recognoscebant.

*Nota* — Religiosi procuratores bonorum Monasteriorum instituendi loco saecularium, et famuli episc. amovendi ab hoc officio, si in eo sint prout erant.

## 15.

(*Ex Russia*), 1633-1634.

*Quoddam projectum anonymum Basilianum de modo meliorandi administrationem Basilianorum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 336, fol. 405-406.

Modus, quo gubernabatur Religio S. Basilii in Russia,  
post ultimam Unionem cum S.R.E.

Primo, maxima cum charitate omnia peragebantur. Superiores, Deo et hominibus grati, nullo habito respectu nobilitatis instituebantur. Unde quamvis nulla tunc bona haberemus, tamen in Monasterio Vilnensi SS.ae Trinitatis plus quam quadraginta monachi, praeter aliam familiam, solis eleemosinis alebantur, in quo vix quindecim nunc aluntur, quamvis multas possessiones habeat ita, ut solis annuis redivitibus totidem quot primo eleemosinis ali possent, sed ob disordinem supra enumeratum omnia pessum eunt.

*Nota* — Antea nobiles et ignobiles ad praelaturas promovebantur. Et plures erant Monachi, qui vivebant ex eleemosinis, quam nunc redditibus.<sup>39</sup>

Populus maximum honorem et amorem erga Monachos portabat; Monachi item pari honore et amore illum afficiendo, tanto magis eius animum et benevolentiam captivabant. Demum particularem modum populum ad se trahendi habebant, invitando ad sua consilia nobiliores Cives et homines prudentiores, quod qualibet die Dominica faciebant, ubi de bono communi, et de modo iuvandi Sanctam Unionem discurrebant, quo maxime populum affectionabant, et non minorem inde fructum referrebant, quia ita, his et similibus mediis, populum disposuerant, ut non solum suas opes pro Unione cum S.R.E. spargere, sed si necessitas postularet, etiam proprium sanguinem fundere parati erant. Nunc vero e contra, populus maxime contemnitur,

<sup>39</sup> Eadem adnotatio, ut in nnr. 37, 38.

nec homines nobiles et prudentes ad consilia invitantur. Immo sua sponte ad ea accedentes non admittuntur, sed parvo cum honore ablegantur.

*Nota* — Nobiles saeculares solebant convocari ad consilium cum monachis et propterea eos amabat populus, nunc non admittuntur sed excluduntur.

\* \* \*

Modus, quo posset iuvari Religio Sancti Basilii in Russia.

Procurandum esset, ut habeant Studia monachi in tribus aut ad minimum duobus Monasteriis, quae hucusque ob defectum personarum non erant.

*Nota* — Studia saltem duo Generalia in Religione instituenda.<sup>40</sup>

Secundum, supplicandum Sacrae Congregationi, ut hac in parte vellet auxiliatricem suam porrigere manum, quod facile efficere posset, si Summo Pontifici supplicaret, ut Seminarium Vilnense in Lituania, a Gregorio 13 pro Ruthenis et Moschovitis fundatum, Monachis Ruthenis applicaret, quod nunc sub cura PP. Societatis est, qui Ruthenos praeter quatuor monachos (et hos maxima cum difficultate) non suscipiunt, Moschovitae autem ad illos non veniunt, et ita praedicti Patres pro libitu suo, quibus placet personis applicant, modo Germanis, modo aliis adolescentibus bonae indolis, et illorum Religionem ingredi pollicentibus, etc. Item ex iisdem redditibus fabricam suorum Patrum adiuvant. Unde intentioni fundatoris minime satisfit. Si vero illud Monachis S. Basilii applicaretur, praeterquam quod intentioni Fundatoris satisfieret, maximum inde fructum S.R.E., Deo iuvante, brevi reportaret.

*Nota* — Seminarium seu Collegium Vilnense pro Ruthenis, et Moschovitis fundatum, applicandum esset monachis; nam ex eo fructum maximum Romana Ecclesia susciperet.

<sup>68</sup> Josephus Velamin Rutskyj, Metropolita Kioviensis (1613-1637), qui simul erat et Instaurator Ordinis Basiliani Congregationis SS. Trinitatis.

<sup>69</sup> Episcopi Volodimirienses et Brestenses erant s.d. Protothronii Metropolitae Kioviensis, quasi substituti Metropolitanarum; annis his erat Protothronius Josephus Mokosij-Bakovecky (1632-1650).

2. Cum primum consecratus fuerit ac novum sibi iniunctum a Divina Providentia Pastorale onus, Angelicis humeris formidandum, exceperit, indicet Synodum Episcopalem, et eam statim primo anno celebret, quam deinde singulis quadrienniis Decreto Sanctissimi, in Sacra Congregatione de Prop. Fide emanato,<sup>70</sup> obligatus tenebitur celebrare, in qua maxime illud Apostoli suis confratribus proponat: « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo, ut scilicet operarios irreprehensibiles nos exhibeamus », deinde intelligamus Episcopale munus (ut inquit S. Hieronymus) opus esse non dignitatem, labores, non delicias, ac demum sciendum eas animas meae curae commendari, quae pretioso sanguine agni immaculati redemptae sunt, ideoque studio perenni esse custodiendas et asservandas, et similia in tali Synodo de bono Ecclesiae tractet, praecipiat Metropolitae. Item in eadem Synodo quadriennali, ut super, quaerendus Episcopus quilibet de progressu fidei sanctae, propagatione Unionis et difficultatibus, dispensatione reddituum, autione ecclesiasticae suppellectilis, administratione Sacramentorum et aliis occurrentibus, ut eo facilius, cum Metropolita Limina Apostolica sive personaliter, ut est de iure, visitaverit, sive impeditus morbo, senectute, negotiis aggravantibus, Sedes Apostolica de omnibus informari possit. Idem Metropolita tenebitur visitare in persona Episcopos, quod officium modernus ne semel quidem exequutus. Item (*fol. 471v*) iudices Synodales pro expediendis negotiis declarentur et examinatores pro ordinandis deputentur. Non negligat Metropolita reddere obedientiam Sanctissimo tempore praefixo. Episcopi vero, illi subiecti, reddant obedientiam Metropolitae suo, secundum praescriptum Conc. Tridentini singulis quinquenniis et statum Ecclesiae in scriptis expressum dimittant, ut Metropolita facilius de Episcopatum suorum progressu et necessitatibus Sedi Apostolicae referat. Item tenebuntur Episcopi tenere ad latus suum Theologum, Canonistam, Praedicatorum pro resolvendis casibus, negotiis determinandis, examinandis ad Ordines promovendis. Item Scholas, si non in qualibet civitate, ad minimum ad ecclesias Cathedrales fundare obligentur. Catechismum Romanum in linguam Ruthenam translatum populum ibique a Parochis doceri inhibeat Metropolita. Pontificale, Missalia aliique libri bene revisi et correcti typis mandentur, facta etiam ad id speciali contributione, et sic servabitur ubique uniformitas et decentia requisita in administratione Sacramentorum neque Episcoporum aliqui, absque celebratione Liturgiae, fas esse ducent ad Ordines maiores ordinare.

3. Cum ergo in Summa S. Nazianzenus: vitium cum sit Episcopo non esse optimum, quod requiritur in Pastore, quia sicut dignitate, etiam optimis moribus caeteris debet antecellere ideoque prohibeatur a Sede Apostolica ne Metropolita propria auctoritate facere praesumat, indignos scilicet ad Episcopale munus promoveat, sed pro more et consuetudine a Generali Ordinis

<sup>70</sup> Cfr. *Acta S.C. de Prop. Fide*, vol. I: 1622-1667, pag. 24-25, nr. 29, de die 9.VIII.1624.

S. Basilii Magni inquirat<sup>71</sup> quinam sint bene meriti de Religione, et qui vita, doctrina, et praxi ecclesiastica pollent, etc. Ex his unum Regiae Maiestati praesentet et privilegiatum, praemissa professione fidei, obedientiae iuramento, et de non alienatione bonorum ecclesiasticorum, et ne quemquam suorum de bonis ecclesiasticis ditet onerando illa, et dando chirographa super summa determinata tamquam mutuo ab illo suo consanguineo pro necessitatibus Ecclesiae accepta, sed Ecclesiam dumtaxat, sponsam Christi, in Episcopum consecret.

Hinc cessabunt ambitiones in Monachis ad dignitatem eiusmodi, qui alias favoribus suffulti, cum ipsius Metropolitae, tum reccommendationibus Parentum aut aliorum, caeco plane impetu feruntur, immemores illius Hieronymi ad Nepotianum: In Episcopum, inquit, omnium oculi diriguntur, quia domus et conversatio eius quasi in speculo constituta magistra est publicae disciplinae; quidquid fecerit, sibi omnes faciendum putant. Quare quicumque ad tuendam salutem aliorum consecratur, sibi ipsi indicere debet legem singularis innocentiae, ut ipsius vita sit magisterium sanctitatis, schola perfectionis et aerarium omnium rerum excellentium. (*f. 472r*) Qui ergo se talem non exhibet, licet Thiara, an Paludamentis, aut phrygia gemmatoque auro variatis luculenter exornetur, non est Pastor, sed idolus et sepulchrum dealbatum, ad speciem tantum externam excultum.

4. Sedes Apostolica non concedat tenere Metropolitae plures Episcopatus, nisi viderit vel necessitatem vel evidentem Ecclesiae utilitatem. Modernus enim possidet non modo Metropoliam cum bonis sat sufficientibus, verum etiam Archiepiscopatum Polocensem, Episcopatum Vitebscensem, Mscislaviensem, qui si non pus redituum important, saltem aequae ac bona Metropolitae. Et hinc qui duobus Dominis servit, nemini satisfacere potest, maxime sine ullo tam in Archiepiscopatu Polocensi, quam in sua sede Metropolitana, Coadiutore; unde in civitatibus et urbibus regiis, alias ditissimis, exceptis pagis, oppidis etc., vix nomen Catholicismi remanet, sed omnia nefandum absorpsit schisma. Videre licet in vastissimis civitatibus Mohiloviensi, Vitepscensi, Orsanensi, Mscislaviensi, Holowczynensi, Sklovensi et caeteris. Quoad Sedem Polocensem haec fuit Decreto Regni, ob Martyrium B. Martyris Josaphat munita, ne unquam Schismatici possideant vel minimum locum pro exercendis Divinis Officiis, et eo magis ne extruant Basilicas, Monasteria, multo minus administrent Sacramenta. Modernus non modo non resistit, sed Deus scit utrum non annuerit, ideoque Basilicam cum Monasterio fraternali in meditullio urbis exstructam habent. Sacramenta populo in schisma recidivo administrant palam. Metropolitana Dioecesis cum Episcopatibus dicitur habere 4 vel 5 millia Basilicarum, in quibus maxime Cathedralibus vix alicubi praedicatur et divinum peragitur officium. Visitationes etsi fiant a Vicariis, marsupiorum potius implendorum, quam ecclesiasticae immunitatis et

---

<sup>71</sup> Ad Protoarchimandritam seu Superiorem Generalem Basilianorum pertinebat tunc visitatio canonica Religiosorum, prout statuunt Capitula Generalia.

negotiorum spiritualium promovendorum vel eorum, quae contra decorem fiunt, corrigendorum causa. Monendus in hoc sedulo a Sede Apostolica, ut Visitatoribus praedictis praescribatur sub poenis ecclesiasticis, ut nihil audeant praeter victum acceptare neque a pauperibus sacerdotibus ultro oblatum recipiant; faciunt etenim omnia ob timorem, quia nimis rigore castigantur.

5. Item gravis est cum sua aula Monasteriis, dum pertransit; populosa enim est, et onerosa pauperrimis monachis, et proinde salubre esset, ne sit Metropolita aut Episcopus Protoarchimandrita, (fol. 472v) seu Generalis Ordinis, sed potius simplex monachus seu Abbas seu Archimandrita, amans boni communis, qui per quadriennium, secundum Decretum Congregationis ad mentem Sanctissimi emanatum, regat familiam Basilianam. Hinc plus emolumenti haberet Ecclesia et Ordo melius per unum de medio sui electum gubernaretur, quam despotica gubernatione. Tales videndo exorbitantias Saeculares difficulter Religionem ingrediuntur, proinde deficientibus personis, deficit absque dubio sanctissima atque antiquissima Religio Basiliana, si enim tot suis Dioecesibus (non dico Russiae universae, cuius nec medietatem novit) non satisfacit, multo minus etiam gubernandis Monasteriis satisfaciet. Dicunt iidem monachi loca in alumnatibus Pontificiis pro studiis, magno labore et sudore per Josephum Velaminum bo.me. Metropolitam a Sede Apostolica expetita, nunc vacant, etiamsi subiecta adsunt; Patres vero Jesuitae fructus usu, possessione, ex quo modernus factus Metropolita, gaudet. Si ergo Religio Catholica Basiliana carebit viris doctis actum est de Russia universa, actum de Clero saeculari, actum de Episcopis et insuper et ipsomet Metropolita, quia isti omnes a Religione Basiliana bene ordinata dependent, quae Episcopos producit et alios gubernat Ecclesiasticos et Laicos. Quaerendus in hac visitatione, cur huic bono, tam extreme necessario, non invigilet.

Loca assignata a SS. Pontificibus pro studiis Monachorum Basilianorum Ruthenorum haec sunt:

1. Romae Coll. Graecorum habebatur pro 6 locus — non sunt nisi duo.
2. In Vilmensi Pontificio Alumnatu pro 6 — nunc est unus aut nullus.
3. In Brunsbergensi Alumnatu Pontificio pro 6 — modo nullus.
4. In Viennensi Alumnatu Pontificio pro 2 — modo nullus.
5. In Graecensi Alumnatu Pontificio pro 2 — modo nullus.
6. In Pragensi Alumnatu Pontificio pro 2 — modo nullus.
7. In Holomucensi Alumnatu Pontificio pro 2 — modo nullus; qui quidem modo a Suecis detinetur aequo quocirca animo tolerandus, tum alio sit translatus Alumnatus, quod verosimile est, quia etiam Brunsbergensem Pultoviam transtulerunt, dum Brunsbergensis (fol. 473r) a Suecis possidebatur; certum est quod Romae semper pecunia pro omnibus exigatur. Unde Sedi Apostolicae supplicandum esset, ut illi reditus, durante tempore illo defectus studiosorum mittendorum vel locorum a Suecis occupatorum aut bellicis tumultibus obnoxiorum, applicentur Romano Ruthenorum Collegio nondum

erecto. Et Sedes Apostolica ista videret, Deo favente, brevi et fructum in Ecclesia Dei, quia possunt mitti in Moscoviam, Bosniam, Serbiam, Croatiam, Valachiam et alias Provincias et Regna, quae eodem Ritu utuntur, immo et Graeciam, quia ritus multum iuvaret et lingua Graeca Romae facile disceretur, habita bona Collegii fundatione. Proponatur quocirca haec utilitas Sanctae Sedi Apostolicae.

6. Item Metropolita in hoc maxime monendus, ne veniendo ad Metropolim Vilnensem, divertat ad Monasterium monachorum, ut saepissime facit, sed recte potius ad suum Palatium Episcopale discedat. Ratio est, quia manente ipso clausura monastica noctu dieque exulat penitus et consequenter omnia pessumdamur; hoc fit propter ipsius Aulam et creberrimas visitationes magnatum aliorumque sua negotia expedientium. Ad hoc monasterium SS. mae Trinitatis Basilianorum situm est aliud (ut vidi et bene observavi quoque) in eadem fere contiguitate monasterium Monacharum Regulae Divi Basilii Magni; illas ergo ne saepius in die visitet, maxime absque ullo monacho seu confessario eiusdem Ordinis et sine gravi necessitate, non ibi prandeat, non coenet, non diu solus moretur de nocte etc. Haec enim omnia tam nos Latini quam iidem ipsi Uniti, nostri fratres dilectissimi, deflemus amarissime. Iisdem Monialibus dispensat evadi ad bona saepissime, veniendi semper ad ecclesiam Monachorum, etiam pro Nocturno; mos enim Monachorum antiquissimus est, maxime vero Basilianorum, aliquando media nocte, aliquando integerrima in ecclesia stare in psalmodiis et orationibus Divinis. Unde Virgines Deo dicatae, etiam sub titulo adeundi ecclesiam ac faciendi orationes, noctu vagari non decet, sed potius detineantur in suo Claustro, maxime cum habeant intra moenia monastica suam propriam ecclesiam, (*fol. 473v*) non tamen eam perficiunt, ut eo magis, dum exeunt extra Monasterium proprium, libertate fruuntur. Praedictae Moniales sunt maiori ex parte ex familia nobilissimorum Magnatum Lithuaniae Ducatus, habent bona et redditus sufficientes. Proinde Sedes Apostolica in proxima visitatione ponat terminos et metas huic lapidi offensionis et non minoris scandali.

7. Item ad Comitata Generalia Varsaviensia vix aliquando comparet, cum teneatur, utpote Pastor Generalis Russiarum, in quibus maxime Schismatici habent faciuntque insultus contra Unitos nostros et non est qui resistat (ut saepissime observavi Varsaviae), praeter pauperrimum Episcopum Chelmensem. Hinc ut Decretum sit in executione, a S. Congr. Romae, ni fallor, A.D. 1624, die 6 septembris, factum: Jubeatur Metropolitanus, ut in Synodo, facta contributione pro viatico, et conservatione semper deputet duos (si ipse non potuerit in persona), aut unum Episcopum cum aliquot Archimandritis Varsaviam, qui invigilent ne aliqua Schismatici moliantur, uti inimici Ecclesiae sanctae.<sup>72</sup>

---

<sup>72</sup> Revera officiose haec deputatio nunquam ad effectum deducta erat; sed Metropolitae ipsi et praesertim Episcopi Chelmenenses, ut proximi, semper quasi in Comitibus partem habuerunt; solummodo per modum exceptionis etiam aliquando alii etiam Episcopi partem habuerunt, praesertim temporibus difficilioribus.

8. Item Abbates seu Archimandritas in praeiudicium Monachorum, in iis maxime Monasteriis, in quibus nunquam auditi fuerunt, instituit eosdemque conservavit, infulas portare permittit, in quo multum videtur derogare Sedi Apostolicae, cum plus sibi quam habeat usurpet authoritatis; vergit etiam id in exterminium Religionis, quia sic monasteria a communitate separantur, neque possunt illi infulati, uti advitalitii Superiores et in dignitate positi, a Generali Ordinis pro excessibus castigari. Deinde ab iisdem plura beneficia, sine dispensatione apostolica, patitur, ab aliquibus, contra Canones et expressissima ecclesiastica possideri iura.

9. Item bona Kniaze dicta, empta contributione tum cleri, tum ipsorum Epicoporum Ruthenorum, tum denique Summi Pontificis munificentia et intentione, ut Minsci in loco S. tae Praxedis seu alio, (quem locum commodissimum esse iudico), penes Monasterium PP. Basilianorum erecto Seminario filii Praesbyterorum saecularium (*fol. 474r*) vel etiam aliorum, qui aspirant ad statum spiritualem, erundiantur in Divinis humanisque scientiis, quatenus ea ratione facilius animarum saluti, uti per doctos operarios provideatur.<sup>73</sup> Supradicta bona, quo iure, quo titulo praetextuve, quo denique colore usurpet sibi Metropolita et arendari permittit cuidam Monacho simplici. In visitatione quaerendus est a Sede Apostolica de perceptis. Videtur, absque dubio, tenetur ad restitutionem, ille autem monachus meretur eodem modo poenas a iure et constitutionibus praescriptas, verum etiam, ut volunt Canones, deponatur.

10. Pro conclusione huius capituli dico quod, stante hoc regimine Metropolitanae moderni uniti, a quo omnes dependent, ut notum, schismatici sint in flore: Academias fundant et erigunt, non modo scholas simplices, sed monasteria reformant, vivunt (si adesset fides Catholica) sanctissime, ordo in Divinis Officiis peragendis immutatus, nec ullus audet quidquam privata auctoritate pro suo beneplacito introducere, fastus saecularis a Pseudo Episcopis longe abest, observant adamusim festa omnia, a carnibus, uti voto obstricti, abstinent, habitum deferunt Episcopalem, Monachis S. Basillii consuetum.

Uniti autem et Episcopi et Monachi ferme omnes in omnibus Monasteriis publice carnibus, absque dispensatione Sedis Apostolicae, vescuntur cum scandalo plurimorum. Habitum vero Episcopalem unusquisque defert pro libitu suo, ita ut non dignoscantur saepius esse Episcopi et difformitas scandalum parit; saltem convenient inter se et Sedi Apostolicae, quo modo incedere velint, proponant. Ceremonias ecclesiasticas non modo Episcopus, sed et Monachi multi privata auctoritate absque Synodi decisione et S. Sedis approbatione (mutant). (*fol. 474*) Hinc non est mirum, quod populus infinitus, videndo haec, haerent eorum parti et non Catholicae. Uno verbo: prudentiores sunt filii tenebrarum filiis lucis.

---

<sup>73</sup> Agitur de s.d. Seminario Minscensi, quod bona temporalia ad sustentationem Alumnorum possidebat; postea alia bona huic scopo acquisita erant, s.d. Usiacz, de quibus sat longo tempore res agebatur, imo et ipsi Theatini in primo decennio saec. XVIII de his bonis contendebant; cfr. documenta infra posita.

## CAPUT SECUNDUM: ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI

1. Archiepiscopus Chioviensis et Haliciensis totus est in schismate. Unitus Metropolita tam est diligens, ut neminem ex Monachis, etiam vocatis et invitatis, velit illuc mittere. Ecclesiarum ad minimum habet duo milia.

2. Archiepiscopus Polocensis cum duobus Episcopatibus, scilicet Vitebscensi et Mscislaviensi, quorum possessor est modernus Metropolita, populo et bonis abundat, at destitutus vigilantia pastorali. Ecclesiae possunt esse 2200 inclusive cum Schismaticorum ecclesiis. Hic Episcopus habet antagonistam Pseudo-Episcopum, nomine Sylvestrum, alias dexterrimum in schismate promovendo.

3. Archiepiscopus Smolenscensis, Cernihoviensis, cuius Pastor est nomine Andreas.<sup>74</sup> Homo totus saecularibus deditus. Aulae cuiusdam Magnatis audio plus inservit et negligit, quae suo debito muneris et officii pastoralis sunt (vidi semel sub tempus Comitiorum Varsaviae; non potui dignoscere quisnam fuit, in habitu etenim diversissimo tum a nostro latino, tum etiam a proprio Basiliano incedebat). Hic potest habere circa octingentas ecclesias: desolatio in spiritualibus summa, non est qui praedicet, visitet, doceat, etiam in ipsa ecclesia Cathedrali, excepto uno Monasterio Basilianorum, et hoc sibimet ipsi non sufficit.

4. Episcopus Vladimiriensis et Brestensis, Protothronius Metropoliae Chioviensis, cuius Pastor est nomine Josephus.<sup>75</sup> Huius Dioecesis extenditur a Volinia usque in Lithuaniam, est abundantissima (*fol. 475r*) Dioecesis, tam in temporalibus quam in spiritualibus; Ecclesiae possunt esse plures quam mille, sed deest non modo pastoralis, sed nec debita Pastore vigilantia. Hic ultro Schismaticis reddit ecclesias, Metropolitam pro nihilo aestimat, ad Comitum vocatus nunquam venit Varsaviam, plus litibus, quam ecclesiasticis officiis inhaeret. Dioecesim nunquam visitat etc. Proinde omnibus abominabilis, concordiam inter fratres Episcopos dirimens, mercaturas exercens, in frumento potissimum, cum subditorum Ecclesiae gravi damno et onere. Unde maxima pecuniarum quantitate pollet, ecclesiae vero desolatae remanent, scholae ad ipsam Cathedram ab Antecessore, ut audio, fundatae, una cum fundatione ab ipso sunt sublatae. Monendus est serio et si opus fuerit fraterne corrigendus.

5. Episcopus Luceoriensis et Ostrogiensis, Exarchia eiusdem Metropoliae Chioviensis (hic ab Unitis non pridem receptus); Pastor Pseudo-Episcopus Athanasius;<sup>76</sup> habet Dioecesim amplam, numeratur ad mille et ultra Basilicas;

---

<sup>74</sup> Archiepiscopus Smolenscensis erat tunc temporis Andreas Kvasninskyj - Zloty (1640-1654).

<sup>75</sup> Protothronius Volodimiriensis erat Josephus Mokosii-Bakoveckyj (1632-1650).

<sup>76</sup> Athanasius de Kozielsk Puzyna, Episcopus non-unitus (1632-1649). Administrator Luceoriensis, post divisionem eparchiae erat anno 1637 Nicephorus Losovskyj, et dein, inter alios, Procopius Chmelovskyj, Episcopus Peremysliensis (1652-1664), qui anno 1660

adest Administrator unicus, qui vocatur Abbas et Episcopus Vitepscensis titularis, habet sub se Praesbyteros catholicos centum et ultra, maxime in Ostrogiensi Districtu.<sup>77</sup>

6. Episcopatus Leopoliensis habet ad 3000 Ecclesiarum, ut audio, si non plures; totus in schismate; culpandus est in hoc noster Archiepiscopus latinus Leopoliensis,<sup>78</sup> ipse enim promovit cubicularium suum iuvenem Schismaticum in Episcopatum,<sup>79</sup> licet nobiles ac doctissimi praesentantur Monachi Basiliani, sed quia non est amplius in vivis, Deus sit vindex.

7. Episcopatus Praemisliensis et Samboriensis; Pastor illius Athanasius, vir provectae aetatis et vitae admirabilis;<sup>80</sup> dicitur ab antiquo 4000 habere sub se ecclesias, (fol. 475v) sed vix centesima pars obedientiae illius, omnes in schismate penitus. Provisus est Coadiutor, vir decens et dexter, nomine Paulus;<sup>81</sup> sperandum quid boni in Ecclesia, dummodo habeat operarios et coadiutores doctos.

8. Episcopatus Chelmensis et Belzensis, Pastor nomine Methodius;<sup>82</sup> vir plane apostolicus; habet ecclesias sub se 900, omnes sub obedientia, praeterquam in bonis haereticorum; ipsemet quolibet anno in persona visitat Praesbyteros, docet, hortatur, corrigit paterne, et licet, ut audio, sit omnium pauperrimus, nihilominus semper videtur in Comitibus Varsoviae, semper litigat de ecclesiis cum Schismaticis, strenue defendendo illas et nullo modo ut in manus ipsorum tradantur permittendo, et proinde vocatur a nostris communiter Malleus Schismaticorum. Scholas, propter pauperes, penes suam Cathedrali ecclesiam fundavit; uno verbo, non quaerit quae sua sunt, sed quae Dei.

9. Episcopatus Pincensis et Turoviensis; Pastor nomine Pachomius,<sup>83</sup> habet ad minimum 500 ecclesias; nullus ordo, nulla pastoralis vigilantia, praedicator nullus ferme aut vix unus in tota Dioecesi; totus venationibus deditus. Monendus serio a Sede Apostolica, ut potius venet animas pretioso sanguine Christi redemptas et invigilet Dioecesi.

---

etiam Luceoriensem eparchiam administrabat. Nicephorus Losovskyj erat simul et episcopus tit. Vitepscensis, et praeprimis districtu Ostrogiensi occupabatur.

<sup>77</sup> Post obitum Athanasii Puzyna erat Episcopus Luceoriensis non-unicus Josephus Szpanovskyj Czaplíc, Archimandrita Mielecensis (1650-1654).

<sup>78</sup> Archiepiscopus Leopoliensis latinus tunc temporis erat Stanislaus Grochowski (1633-1645), qui anno 1641 Arsenium Zeliborskyj in Episcopum Leopoliensem nominavit (1641-1658).

<sup>79</sup> Episcopus Leopoliensis non-unicus Arsenius Zeliborskyj (1641-1658).

<sup>80</sup> Athanasius Krupeckyj, Episcopus Peremysliensis (1610-1652), cuius Regimen sat difficile fuit propter ingerentiam non-Unitorum, post pacificationem anni 1632-1633, et nominationem non-Uniti Sylvestri Hulevyč (1634-1645).

<sup>81</sup> Agitur de Paulo Ovlučynskyj, Coadiutore Peremysliensi (1645-1649).

<sup>82</sup> Episcopus Chelmensis-Belzensis Methodius Terleckyj (1630-1649), cui successit Nominatus Andreas Furs (1649).

<sup>83</sup> Episcopus Pincensis-Turoviensis erat tunc temporis Pachomius Oranskyj (1637-1653).



10. In genere monendi sunt omnes Rev.mi Domini, ut servent maxime inter se charitatem fraternam, invigilent suo gregi, Sacramenta rite subditis administrari curent; visitentur in charitate pauperes Praesbyteri iique ignari ecclesiasticarum rerum doceantur, Ceremoniae antiquae serventur, novitates a nemine in ecclesias introducantur absque Synodali decisione et Sedis Apostolicae approbatione. Metropolitanum ut suum patrem (*fol. 476r*) honorent, reveantur ut Pastorem, ut nimirum videndo in omnibus unitatem et conformitatem Schismatici eodem ore et corde possint laudare et glorificare venerandum et magnificum nomen Patris et Filii et Spiritus S., permanentes sub eodem Pastore visibili Ecclesiae Dei, cui haec praeeminentia semper debetur.

CAPUT TERTIUM: ARCHIMANDRITAE SEU ABBATES  
ORD. S. BASILII MAGNI

1. Archimandrita Vilnensis<sup>84</sup> habet tantum redditum, ut possit alere monachos 60, non tenet 20.

2. Idem incompatibile aliud beneficium tenet absque dispensatione Sedis Apostolicae - Archimandriam scil. Suprasliensem, in qua possent ali 90 Monachi; non sunt, audio, neque 16.

3. Archimandria S. Honuphrii,<sup>85</sup> eam possidet Paulus, qui potest alere plures quam 90; neminem hucusque tenet.

4. Archimandria Zidicensis, cui praest Nicephorus,<sup>86</sup> Episcopus titularis Vitepsensis, potest alere 80 Monachos; non tenet nisi 3, aut ad summum 6, eosque simplices.

5. Idem aliam tenet sine dispensatione, Lescinensem, ubi ali possent 12 monachi; unus aut nullus pro nunc.

6. Archimandria Dermanensis, eam administrat Joannes,<sup>87</sup> posset alere Monachos 40; non sunt nisi 12.

7. Archimandrita Dubnensis nomine Procopius, potest alere Monachos 24; non sunt nisi 10.

8. Archimandrita Grodnensis Eustachius,<sup>88</sup> potest alere 12; pro nunc unus aut nullus. (*fol. 476v*).

<sup>84</sup> Archimandrita Vilnensis erat Alexius Dubowicz, qui hunc titulum habuit ab an. 1637; ab anno vero 1645 habuit etiam titulum Archimandritae Suprasliensis. Obiit an. 1652.

<sup>85</sup> Forsan agitur de Paulo Korsak, Archimandrita.

<sup>86</sup> Tunc temporis erat Nicephorus Losovskyj, Ep. tit. Vitebscensis, qui erat simul et Archimandrita. Obiit an. 1649.

<sup>87</sup> Agitur, ut videtur, de Joanne Dubowicz ab anno 1634; anno 1638 depositus a Methodio Terleckyj, Episcopo Chelmensi; dein restitutus et notus in hac Archimandria adhuc anno 1646.

<sup>88</sup> Archimandrita Eustachius Pieszkowskyj ab an. 1642, qui forsitan erat Archimandrita usque ad an. 1664, quo anno devenit Archimandrita Marcius Bialozor, et dein Gregorius Bienkowski (1665-1675).

9. Archimandrita Polocensis nomine Theophilus;<sup>89</sup> hoc monasterium nunquam fuit sub titulo Archimandriae, multo minus sub advitalitio, utpote et reliqua plura superius recensita, sed modernus nescitur qua auctoritate dispensavit; possunt ali ex redditibus Monachi 19; non sunt nisi 4, iique idiotae.

10. Archimandrita Cobrinensis nomine Paulus;<sup>90</sup> Episcopus Samboriensis; hoc monasterium potest alere 12; non adsunt nisi 1.

11. Archimandrita Pustinensis, nomine Barlaam;<sup>91</sup> hoc monasterium nunquam fuit sub Archimandria, modernus dispensavit; possunt ali Monachi 13; non sunt nisi unus aut duo.

12. Archimandrita Smolenscensis, nomine Stephanus;<sup>92</sup> potest alere 15; non sunt nisi tres aut 4.

13. Archimandrita Cereiensis, nomine Andreas,<sup>93</sup> alias Archiepiscopus Smolenscensis; potest alere Monachos 30; non sunt nisi 4, iique simplices; possidet sine dispensatione.

14. Archimandrita Braslaviensis potest alere Monachos 10;<sup>94</sup> non sunt nisi duo.

Monasterium Mohiloviense, in quo Superior sine consensu Religionis per Privilegium Regiae Maiestatis advitalitius, nomine Gervasius,<sup>95</sup> potest alere monachos 35; non sunt nisi 4 aut tres, et redditus quo et quomodo convertantur nemo requirit.

Hae Abbatae sive antiquitus fundatae sive noviter a Metropolita, ut dixi, moderno in praeiudicium Religionis, titulo scilicet advitalitio erectae habent redditus certos et satis sufficientes; posset Unio S. promoveri ab ipsis, si salus propria et proximorum cordi esset, et nollent privatae attendere commoditati, sed bono publico promovendo et lucrandis schismate infectis animabus, quae pereunt, quia ab iis qui possent succurrere ipsis non iuvantur. Quoad vero numerum, in tantum retuli, inquantum ex relatis multorum (*f.* 47) coniecturari potui. Patebunt haec omnia visitoribus a Sede Apostolica deputatis, dummodo pro Gloria Dei velint laborare sincere, et inquisitioni non parcere, a quo multorum dependet salus. Reliqua Monasteria sunt pauperrima praeter duo aut tria, in quibus eleemosynis, ut plurimum, vivitur, et quia non possunt

<sup>89</sup> Archimandrita Polocensis SS. Borysi et Hlebi erat ab an. 1637 Theophilus Olszanica, et ab anno 1652 Nicolaus Korsak (1652-1654). Anno vero 1661 Josephus Grodzicki.

<sup>90</sup> Ab anno 1642 erat Archimandrita Kobrinensis Paulus Ovluczynskyj, dein Coadiutor Peremyshliensis cum tit. Ep. Samboriensis. Obiit an. 1649.

<sup>91</sup> Archimandrita Pustinensis erat tunc temporis Barlaam Kosinskyj, qui habuit hanc Archimandriam adhuc anno 1658.

<sup>92</sup> Agitur de Stephano Wolosowicz, qui erat hic Archimandrita an. 1658.

<sup>93</sup> Anno 1658 nominatur Archimandrita Czereiensis Andreas Zloty-Kvasninskyj, Archiepiscopus Smolenscensis (1640-1654), dein vero Pinscensis-Turoviensis (1654-1665).

<sup>94</sup> Archimandrita Braclaviensis an. 1658 erat Athanasius Sokolinskyj.

<sup>95</sup> Superior Mohiloviensis tunc temporis erat Gervasius Hostilowski, qui « multum laboris sustinuit inter Schismaticos Mohiloviae... donec Moscovitica potentia eundem Mohilovia et praesidentia propulsaret... »; in *Vitae Basilianorum*; cfr. AOBM, I, Lviv 1924, pag. 124.

plures ali; in iis autem, in quibus possent, non aluntur. Unde Religio Basiliana iacturam patitur et animae, quae possent facili negotio iuvari, propter defectum personarum privantur doctrina etc. Quilibet Archimandrita seu Abbas contra Regulam, Professionem, Canones etc., splendide at non religiose incedunt (volendo se adaequare nostris Latini Ritus Abbatibus, qui ut plurimum saeculares sunt), seiugis in rhedis suis utuntur, famulos non paucos equos suos habentes secum ducunt, pro quibus quantae expensae fiant inutiliter liquebit facile, et alia faciunt cum expensis, quae ipsis libent.

Hinc, meo iudicio, aliter remediari non potest, quam familiam Basilianam excipiendo a iurisdictione Metropolitanae, non tamen dico totali, nam monachi tenetur subesse, ut et nostri omnes in dioecesibus suorum Episcoporum. Constituatur, ut supra dixi, Monachus in Proto-Archimandritam, et si fieri non potest aliquis Abbatum per quadriennium, qui sit totius Ordinis Generalis et disponat de omnibus monasteriis et Abbatibus,<sup>96</sup> independenter a Metropolitana, iisdem gaudeat privilegiis, secundum decretum S. Congr. de Prop. Fide, quibus gaudent Generales nostri Latini Ritus; quodsi aliquod impedimentum a quopiam habuerit, recurat ad Sedem Apostolicam, ne bonum commune Religionis patiat. Hinc sequetur maior copia personarum, vita religiosa, monastica disciplina, et studia vigerent, Praedicatores, Lectores, et alii Operarii pro conversione Schismaticorum sufficientes haberentur. Omnes etenim redditus in promovenda S. Unione et subiectis conservandis converterentur. Dioeceses Episcoporum et Ecclesiarum 18 ferme millia, si non plura,<sup>97</sup> quae in Russia numerantur, ut mihi relatum, iuvarentur a Basilianis, quia Parochi, ut plurimum, sunt idiotae et isti commodius de omnibus ad administrationem Ordinis Presbyteratus digne instruerentur.<sup>98</sup>

## 30.

Varsavia, 4.VII.1648.

*Pater Samuel Osieckyj: de Metropolia et Metropolita Kioviensi, de P. Philippo, de quibusdam documentis ex S. Congregatione etc.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 65, fol. 132-133v.

Ill.me et Rdss.me Domine, D. Benefactor Colendissime.

Infelicitati meae adscribere cogor, quod post tot directas ad Suam Ill.mam Celsitudinem literas quidpiam responsi obtinere potui. Nunc certissima usus

<sup>96</sup> Hoc projectum de exemptione Basilianorum iam tunc temporis propositum effectum non habuit, sicut et haec Visitatio generalis totius Ecclesiae Unitae. Quaestio haec de Protoarchimandrita simplici monacho inde tantummodo ab anno 1665, et praesertim annis 1683-1686 agitur. Agitur revera de exemptione Basilianorum.

<sup>97</sup> Numerus hic exaggeratus videtur hoc tempore.

<sup>98</sup> Hoc propositum manet potius in ordine desideriorum, nam Visitatio haec locum habere non potuit, ob bellum polono-cosacicum mox exortum (ab an. 1648) et s.d. sublevationem Bohdani Chmelnycyj (1648-1657).

occasione Ill.mi Nuncii reitero mea humillima obsequia et venerandam Ill.mae Cels. Tuae, Benefactoris mei Amplissimi deosculor dexteram. Non immemor beneficiorum Sacrosanctae Sedis Apostolicae in Collegio de Propaganda Fide, quorum cum sim impar in reserviando, nihilominus sicut coram Ill.ma Cels. Tua obtuli me ad servitia Sacrae Congregationi, sic idipsum literis testor, me minime animo mutatum esse, imo ad quodcunque clima orbis paratissimum existere. Pro Brevi Apostolico per suam Ill.mam Celsitudinem obtento noster Universus et Ordo pauper, et Clerus afflicto, infinitas ac summas Ill.mae Cels. Tuae persolvit gratias; effectum etsi non in toto, in parte tamen optimum experimur, quod scilicet Ill.mus Nuncius in Lithuania existens, iam nobis assignaverit (videndo inhabilitatem moderni Metropolitanus) Protho-Archimandritam pro regendo Ordine.<sup>99</sup> Titulo Missionaratus gaudeo hucusque et pro posse operor, sed facultates nondum habeo; quare supplex rogo Ill.mam Cels. Tuam efficere et ad Ill.mum Nuncium transmittere dignetur; nonne minus etiam ardentissime et enixe provolutus ad pedes oro Ill.m Cels. Tuam pro die Lunae Privilegium (si possibile) pro eliberanda unica anima, sacrificio Missae, ex purgatorio. Mors Serenissimi Regis nostri<sup>100</sup> totius Reipublicae Poloniae in tantum mutavit faciem, ut difficulter ad pristinum reditura et colorem et florem. Clades maxima facta in exercitu Polono per Kosakos schismaticos, Tartarosque, paucis ut complectar damnum irreparabile.<sup>101</sup> Haec cum sint iam trita apud Ill.m Cels. Tuam, non audeo uti anafora. Ill.mus Chelmsensis Episcopus posuit me in quadam civitate nuncupata Lublinum; Unitos vix decem habeo, de reliquo Schismatici pertinacissimi; spes tamen est futurae, Deo juvante, conversionis.

Superest, conquerar coram Ill.ma Cels. Tua contra R. Patrem Philippum,<sup>102</sup> quod scilicet agat hominem (ut vulgo dicimus) Cretensem; ferme non qualibet posta cani ad Ill.mum Chelmsensem, iam ad alios scribens, ita me traducit, ut vix eloqui possim, iam turbatorem Collegii, iam quasi decreta facta in Sacra Congregatione contra me, et vidisse et legisse se fatetur in litteris suis in Archivio seu Cancellaria Ill.mae Cels. Tuae. Per amorem Jesu Christi rogo Ill.mam Cels. Tuam, Benefactorem meum, moneat Patrem. Sumus satis hoc tempore afflicto, moerenti danda est sycera potius, non afflictio afflictioni addenda; si ipse bonis fruitur Romae diebus, ut ita est, relinquat nos afflictos aut potius stylum invertat. Hoc scribo dolore percussus, scriptum enim:

---

<sup>99</sup> De facto Nuntius Joannes Torres (1645-1652) P. Simeonem Olszanyca assignavit (cfr. APF, *Scritt. rif. n. Cong. Gen.*, vol. 65, fol. 46 rv).

<sup>100</sup> Rex Vladislaus IV obiit initio belli polono-cosacici, i.e. 20 Maii 1648 in Merez, in confiniis Lithuaniae et Poloniae, ignarus sublevationis Chmelnicianae, cui favebat.

<sup>101</sup> Bellum polono-cosacicum duce Bohdan Chmelnyckyj graves habuit effectus pro toto Regno Poloniae et per varios periodos sat longum tempus perduravit; ab anno 1654 ducatus Moscoviae in hoc bello partem habere coepit, et dein et alii Status bellum cum Polonia gerebant, uti Brandenburgia, Svetia, Transilvania etc. De hoc bello sat copiosa dantur scripta contemporanea et posteriora, usque ad nostra tempora.

<sup>102</sup> Philippus Borowyk, Procurator in Urbe inde ab an. 1638. Ut videtur, anno 1651 obiit in Urbe.

causam si pergas, famam servare memento. Praeteritis in literis meis multa significavi significanda de rebus nostris Ill.mae Cels. Tuae. Nunc me meaque quam commendatissima apud suam Ill.mam Celsitudinem cupio.

Varsavia, die 4 Iulii, Anno 1648.

Ill.mae Celsit. Tuae, Benefactoris mei Amplissimi humilissimus Servus

PATER SAMUEL

*Ord. S. Basilii Magni*

(f. 133v) Ill.mo et Rd.mo, Domino D. Francisco Ingoli, Secretario Sacrae Congregationis de Propaganda Fide patent. - ROMA

Recomendantur R.do Patri Procurat. Poloniae, P. Cislak in Domo Professa Societ. Jesu. (L.S.).

Il P. Samuele,<sup>103</sup> Ruteno Unito

Che il Vescovo di Chelma l'ha mandato a Lublino, dove vi sono solo dieci Uniti, disidera le sue..., e si lamenta del P. Filippo, che scrive contro di lui...

### 31.

Roma, a. 1648.

*Petitio Patrum Basilianorum Ruthenorum pro extensione Bullae Gregorii XIII P.M., datae monachis Basilianis Italiae, etiam ad favorem O.S.B.M. Ruthenorum unitorum.*

APF, *Scr. rif. n. Congr. Gen. (Memoriali 1648)*, vol. 417, fol. 423.

MUH, vol. II, pag. 342-3.

Em.mi e R.mi Signori.

La Bolla del felice recordatione di Papa Gregorio XIII, nr. 12, fatta in favor di monaci Basiliiani, habitanti in Italia, Spagna e Sicilia etc. non solamente insegna'l modo di conservare la vita monastica nella sua perfettione, m'anco preserva dalli disordini, li quali potriano travenire. Osservanza della medesima Bolla saria utilissima anco per li monaci Basiliiani Ruteni con S. Chiesa Romana uniti, li quali non essendo inclusi in essa, conseguentemente non havendo questo indirizzo e rimedio per li disordini efficacissimo, spessissimo tralasciano li Capitoli generali per 6, 7 e 8 anni, com'hoggi di si fece, non assegniano l'Officiali requisiti a buon governo, non si fanno le visite. Abbatie e Monasterii senza monaci si trovano, e l'entrate tira un monaco havendo privilegio dal Re per tal Abbazia; vivono e si vestono, come pare e piace, et infiniti altri al buon governo concernenti commettono mancamenti.<sup>104</sup>

<sup>103</sup> Agitur de quodam Samuele Osieckyj, OSBM, qui Lublini operabatur sub iurisdictione Episcopi Chelmensis.

<sup>104</sup> Res superius expostae denotant circumstantias huius temporis, sub Protoarchimandritatu Antonii Sielava.

Si supplica però a Vostre Eminenze, si degnino da Sua Santità ottenere il consenso, acciò in tutto e per tutto con le sue clausole detta Bolla s'estenda ai monaci Basiliiani Ruteni uniti in qualsi voglia Regno o provincia abitanti, e si dichiarj come fosse per loro. Ridunderà la gratia concessa a maggior honore e quella di Dio e propagatione di santa fede cattolica et unione. Che il tutto etc. Quas Deus etc.

(fol. 428v) Alla S. Congr. Di Propaganda Fede. Per la Religione Basiliiana di monaci Ruteni con S. Chiesa Romana uniti.

Supplica che si ottenga... Si potrebbe scriver a Mons. Nuntio di Polonia, che fatto il nuovo Archimandrita generale de sudeti Rutheni,<sup>105</sup> conforme s'è contentato si faccia Mons. Metropolita; nel Capitolo generale si proponga detta Bolla,<sup>106</sup> et accontentandosi da esso ne faccia l'istanza che più facilmente s'otterrà la gratia da Nostro Signore.

Die 14 decembris 1648. Congr. 98. Nr. 22.

## 32.

Ancona, 10.IX.1648.

*Paulinus Dembski, OSBM, designatus missionarius ad Patriarchatum Pech, Rev.mo Secretario Ingolo refert.*

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Generali*, vol. 53, fol. 165.

Illustrissimo Monsignore.

Trovando me gravemente oppresso dal perfidissimo procedere delli malateri, li quali tutta mia povertà hanno levato, e però sin adesso non posso proseguire il mio viaggio come sto a quelli poveri Padri. Ma a tutta questa mia afflittione potrà soccorrere una raccomandatione di V.S. Ill.ma al Mons. Governator d'Ancona, il quale già è informato bene del caso; nientedimeno desidiose se res habet. Et io in tanto e perdo tempo, et me consummo affatto. Ma aiutato con la lettera di V.S. Ill.ma, spero in breve tempo d'uscir di questo travaglio et proseguir il mio viaggio per adempire la volontà dei miei Patroni e con questo fo fine e li bacio le sue sante mani.

Datum in Ancona, 10 di Settembre 1648.

Di V.S. Ill.ma et Rev.ma humilissimo Servitore  
PAULINO DEMSKI, Monacho Rutheno,  
*Missionario al Patriarchato di Pech*<sup>107</sup>

<sup>105</sup> Iam tunc temporis et annis agebatur saepius de electione novi Protoarchimandritae, quem projectum bellum polono-cosacicum impedivit. Revera Capitula Generalia habebantur Vilnae an. 1642, 1650, et an. 1652 in Minsk.

<sup>106</sup> Capitulum tunc temporis locum non habuit neque haec Bulla accepta fuit.

<sup>107</sup> Paulinus Dembskyj, OSBM, anno 1648 Romae manens accepit facultates Missionarii ad Uskokos seu Valachos in dominiis Imperatoris, et directe se recepit in suam regionem, in quo multum agebat in diversis locis, praesertim « a Cattaro »,

*Adnotatio:* In eodem volumine quinque aliae epistolae Patris Dembskyj ad Secretarium Ingoli de a. 1648, ex Ancona, inveniuntur: fol. 164 - gratias agit pro commendatione et petit libros (de die 24.IX); fol. 168 - aliam commendationem ad Gubernatorem Anconae petit, ut quam primum iter suum prossequi posset (18.X); fol. 169 - De suo itinere (1.XI); fol. 166 - gratias agit pro diligentissima cura in suum favorem (19.XI); fol. 167 - de proximo discessu ad Ragusam (10.XII.1648).

## 33.

Cattaro, 6.XII.1649.

*P. Paulinus Dembski Congregationi de Prop. Fide de sua missione, de concessione cuiusdam ecclesiae et de subsidio pro Missione.*

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Gen.*, vol. 220, fol. 488rv, 491v.

Em.mo e R.mo Signor mio, Signor Patron osservantissimo.<sup>108</sup>

Essendo io già tempo fà dall'Eminenze Loro destinato al Patriarchato di Pech in Servia et Bolgaria, sottoposti alla tyrannide Othomanica, per servitio di quel popolo del Rito Greco Serviano, ma stante questa rivoluzione di grandissima guerra, agitata dal capital nemico di Christiani, restai consigliato dal Ill.mo Signor Cavaglier Bolizza, il quale è molto pratico in quelle parti, havendo con una grandissima sua destrezza corrispondenza con diversi Conti et i Nobili principali di questo Rito Greco, soggetti al Turco, che me tratenessi ancor qui a Cattaro per servitio di questi confinanti Morlacchi, sino ch's'acquieti questo ardore Othomanico, il quale hoggidì anco non cessa li contorni di Cattaro infestar con la fiamma et la povera gente con la schiavitù.

In tanto tratenedomi qui in questa città con la fatigha et instruttione di questo povero popolo tanto del Rito Latino, quanto del Greco Serviano di quelli confinanti, li quali sfugendo la tyrannide del Turco, ricorrono tamquam ad ultimum asylum a Cattaro, con gran utile ed honore d'Iddio, ma non havendo affatto niente, ne potendo aiutarmi con questa mia Messa Greco Serviana per l'amor del R.do Capitolo Latino, il quale asserisce al popolo ignorante che questa Messa Serviana è una cerimonia Turchesca<sup>109</sup> e per questo fine ne mancò la chiesa Monsignor Vescovo di Cattaro mi voleva concedere,

---

ubi etiam scholam fundavit; saepe Romam scribebat et Congregationem de Prop. Fide informabat, unionem procuravit et libros liturgicos, etiam ex Collegio-Hospitio SS. Sergii et Bacchi Romae, ut monstrant Archiva. Quosdam successus habuit in hac regione et patriarchatu orthodoxo Pechensi.

<sup>108</sup> Ut videtur, Praefecto S. Congr. de Prop. Fide, qui tunc temporis erat Antonius Barberini (iunior): 1631-1671.

<sup>109</sup> Solitae suspitiones et accusationes Latinorum in toto Oriente, sive europeo, sive balcanico, sive medio, sive longinquo, in regionibus Asiae. Haec omnia proveniebant ex ignorantia, ex invidia, et saepe etiam ex mala voluntate. In hac regione ex. gr. Missa orientalis in lingua serviana suspiciebatur, ut quaedam «ceremonia turcica», quia periculum turcicum in hac regione notabile erat, et proinde hae suspitiones odiosos faciebant homines orientales, qui Ritus Latinum sequi renuebant.

se non s'interponeva Signor Cavaglier al Procuratore et altri Signori della medesima città, che mi fusse data dalla comunità una chiesa di San Luca, nella quale hoggidì me tratengo per servitio di quel popolo ignorantissimo Serviano; onde forza è che muoro di fame. Supplico però all'EE.VV. a degnarsi di dar l'ordine accioché (fol. 488v) *mi sia mandata questa provisione*, concessa a me dall'EE. Loro per i miei bisogni o vero licentiarne di questo carico e per tanto aspettando la paterna resolutione dell'Eminenze Loro prego a Dio per lungo e felicissimo governo di Sua Eminenza Rev.ma et con ogni humil inchino li baccio con ogni soggettione la Sua sacra Porpora.

Cattaro, 6 Decembre 1649.

Di V.S. Eminentissima e Rev.ma humillimo e devotissimo Servo  
PAULINO

*Monacho Rutheno di San Basilio, Missionario per Servia e Bolgaria*

fol. 491v: Card. Cornaro (*alia manu*).

*Adnotatio:* In eodem volumine (fol. 488rv) sub eademque data exstat etiam alia epistola eiusdem tenoris, scripta, forsan, ad Secretarium Ingoli. Hoc anno (1649) nomine P. Demski porrecta sunt tria memorialia, in quibus ille supplicat libros scholasticos (fol. 28r, 39v) et assignatam sibi a Congregatione provisionem 40 scutorum (fol. 29r, 38v; 30r, 37v).

### 34.

Cattaro, 25.III.1650.

*De subsidio pro P. Paulino Dembski, cuius defectus impedit laborem missionarium nec non de aliis missionariis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Gen.*, vol. 220, fol. 156r.

Ill.mo et Rev.mo Signor mio, Signor Patron Colendissimo.<sup>110</sup>

Sin hora aspetto con grandissima mia ansietà la paterna resolutione di V.S. Ill.ma di volermi aggradire di quella pietosa provisione, concessami per la mia missione, per la quale non posso in niun modo sodisfare alla volontà del Sacro Collegio de Prop. Fide perché già d'un anno essendo me indebitato qui a Cattaro, li creditori non me lasciano uscir fuori della città. E se non era occasione con il Ecc.mo Patron di Cattaro, il quale facendo le visite ordinarie per il contado, che me associasse per la mia istanza in sua compagnia, non potevo mai far quel utilissimo servitio, quale ho fatto in questo carnevale nel tutto contado, come V.S. Ill.ma potrà vedere della lettera scritta da me al Signor Gio. Domenico Verrusio. L'altro hieri ancora hebbi due lettere del Monte Negro: una del Vescovo schismatico da Cetigna, l'altra d'un Conte di Morlacchi, dove me invitano per Domenica di Palme, secondo il lor antico calendario, di poter administrarli il Sacramento della Penitenza, qual ancora con grandissimo mio cordoglio dovevo ricusare per l'amore della suddet-

<sup>110</sup> Forsan agitur de Secretario S. Congr. de Prop. Fide, Dionysio Massari (1649-1657).



ta ragione, perché quella gente essendo grandemente essinanita della tirannide Othomanica non ha per caso da spendere un minimo bagatin per il servitio ecclesiastico. Aggradisce ben vero il servitio, ma in tanto che non si tocchi la borsa loro, però per non darli più a tedio supplico con ogni humiltà a V.S. Ill.ma a degnarsi interporre appresso la S. Congregatione che mi mandi questa provisione di 40 scudi di poter mi slanciarsi dei debiti e rispondere al bramato desiderio della S. Congregatione. Non mancano adesso occasioni per li Provinciali et Commissarii dei Regolari tanto Dominichani quanto Cecholanti, li quali di questi parti di Dalmazia si son radunati al lor Capitolo et di più se potrà aggradirmi accrescimento a questa sudetta limosina ne farà grandissima l'opra della pietà, e me renderà assai più habile per il servitio di queste errabonde pecorelle di Serviani. Mentre per fine con ogni humil inchino li baccio lembo della Sua S. Veste.

Cattaro, 25 di Marzo 1650.

Di V.S. Ill.ma humilissimo e dev.mo Servitore  
P. PAULINO DEMSCHI  
*Monacho Rutheno del Ordine di S. Basilio  
Missionario di Pech*

*Adnotatio:* Sub eadem data exstat ibidem (fol. 304, 313v) et alia eius epistola, scripta, ut videtur, ad cardinalem Cornaro. Die 10.V.1650 gratias agit pro provisione de anno transacto et pro currenti petit (fol. 489).

### 35.

1651.

*P. Paulinus Dembski supplicat pro prorogatione facultatum Missionarii.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 220, fol. 31r, 36v.

Em.mi et Rev.mi Domini.

P. Paulinus Demski, Ruthenus, Missionarius Apostolicus in Patriarchatum Pech, expleto suae missionis, sibi anno 1648, die 8 Junii a S.D.N. concessae, triennio, supplex eiusdem ab EE.VV. expetit prorogationem, ut inchoatum iam fidei propagandae opus uberiore idem, iuvante Deo, cum fructu prosequi valeat. Quam Deus...

(fol. 36v) Card. Cornaro. 2-VI.1651. S. Congregatio annuit.

*Adnotatio:* Eodem anno supplicat commendationem ad Patriarcham de Pech (fol. 32, 35v), aliquos libros (fol. 280, 294v) et suam provisionem (fol. 295).

### 36.

Varsavia, 28.III.1652.

*P. Benedictus Terleckyj de reditu in Patriam, de laboribus in Chelma et eparchia, de novo episcopo Jacobo Susza, de Scholis et Missionibus.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 339, fol. 63rv, 82v.

Ill.me et Rnd.me Domine, Domine et Benefactor Colendissime.

Scripsi ad Ill.mam D. Vestram ac primum in patriam veni, sed quia nihil responsi accepi, dubito an litterae pervenerint, et altera epistola debitum exequor officium. Postquam Chelmam veni, quae est Civitas Russiae Rubrae, reperi non modo Monasterium mei Ordinis, sed et totum Episcopatum a Schismaticis occupatum, permittente Serenissimo non libenti, sed coacto pene rebellium Cozacorum potentia; <sup>111</sup> mansi ergo cum aliquibus expulsis e Monasterio Patribus in cuiusdam civis aedícula, victitans solis eleemosynis militum, per Civitatem nominatam euntium contra Cozacos. Diebus festis concionabar; aliis attendebam scholae, quam Patres expulsi ibidem instituerant. Aliquot interiectis septimanis, vincuntur Cozaci, et nostrum Monasterium cum toto Episcopatu recipitur a Schismaticis, in administrationem traditur Patri Jacobo Susza,<sup>112</sup> Ordinis mei, a monasterio, cuius Superior erat, a Schismaticis exturbato; laeti Monasterium et ecclesiam nostram recepimus, laetiores inde quod inimicos fidei Catholicae confuderit Dominus, et idolum schismatis praecipitaverit. Civium pauculi admodum fuerunt, qui gauderent, plurimi animo ceciderunt, conscii sui schismatis in quod, iam antea abiuratum, relapsi sunt, conscii iniuriarum et mille insultationum, quibus Cives in Unione cum Rom. Ecclesia constantes, et nos eorum pastores lacesabant. Sed memores modestiae religiosae, et imprimis mansuetudinis, quam nobis Dominus noster mitis, et humilis corde praecepit servandam, obliti penitus iniuriarum illatarum nobis, de solo schismate reliquendo privatim et publice monebamus; nolebant respiscere a malo; prohibuimus ergo (quia omnia parochialia munia obimus) ne quisquam ecclesiam ingrederetur, sed in vestibulo eius, si vellet Divina audire, ingressi educebantur saepius; in vestibulo stantes plurimi audiebant Divina sacrificia, et conciones, quas habebam omnibus diebus dominicis, et festis. Adhuc tamen iis ad bonum redire tergiversantibus, compulsi aliquos Dominus intrare suum ovile, misso morbo, qui gravius Civitatem affligens, efficacius concionatus est et plures convertit, ut a nobis Sacramenta poscerent, et schisma in confessionibus revocarent; plurimis adhuc in Schismate manentibus in morbo et post morbum. Tempus aliud cum aliis impendebam scholis, quas liberius, recepto Monasterio nostro, prosequeremur. Interim visitavit me manus Domini, et infirmitate gravissima deiecit, quae me quatuordecim septimanis vexatum, mortuo quam vivo similiorem reliquit. Restitutus sanitati dictis occupationibus attendi. Interim, quia Monasterium et Episcopatus tantum per administrationem et non per privilegium Patri

---

<sup>111</sup> Agitur de bello s.d. polono-cosacico seu insurrectione Chmelniciana (1648-1657); post victorias cosacorum ad Zovti Vody (16.V.1648), ad Korsun (26.V.1648), ad Pilavci (23.IX.1648), ad Zboriv (VIII.1649); post pacificationem ad Bila Tserkva (IX.1651) etc. eorum potentia fere illimitata erat et semper augebatur, non obstantibus cladibus ad Berestecko etc.

<sup>112</sup> Jacobus Susza, Episcopus Chelmenis et Belzensis (1652-1687), nominatus a Rege an. 1652; cfr. documenta inferius posita.

Jacobo praecitato collatus fuit, inter spem et metum manebamus, timentes ne iterum urgentibus Schismaticis alicui illorum privilegium daretur. Nihilominus timorem nostrum non prodentes, semper ut schisma omnes abiurarent monebamus; inclinavit Dominus corda inimicorum suorum (*f. 69v*) et fecit illos amicos, quia tota Civitas, demptis quatuor aut quinque personis, in Natali Domini proxime praeterito, Schisma abiuravit, omnes confessi, omnes communicarunt. Dum haec geruntur, indicuntur Regni Comitia, ad quae sine mora cum Patre Jacobo Susza discessimus, impedituri per quasdam personas, ne privilegium Schismatici obtinerent. Vix venimus Varsaviam, vix alloquuti aliquem, cum insperate quidam ex Magnatibus ad Patrem illum, cum quo veneram, accurrit et Episcopum illum salutatur, et admiranti clarius exponit, se ex Aula Regis nunc redire, et ibi ex ore Regis audivisse, coram Senatoribus Regni, Patrem Episcopum esse promulgatum. Postridie Suam Maiestatem adiit bonus Pater et gratias egit; nos vero omnes Domino Deo gratias egimus, quod virum catholicum, religiosum et eximie doctum, Episcopum nobis dederit, maxime his temporibus apud nos difficillimis, et necdum securam nobis pacem pollicentibus. Varsaviae manentem Ill.mum Nuntium, ad quem statim litteras Sacrae Congregationis cum meis, post reditum Roma, misi, adivi, et debita obsequia mea suae Ill.mae Dominationi obtuli; facultates tamen Missionariis dari solitas, ab Ill.ma Dominatione Vestra mihi promissas, nec ille nec ego in hunc usque diem vidimus; quare ea, qua par est, devotione ab Ill.ma Dominatione Vestra peto, ut pro gloria Dei et fructu animarum, dictas facultates transmittere mihi dignetur; poterit autem dirigere per Patrem Gregorium,<sup>113</sup> Ordinis mei, manentem Romae ad SS. Sergii et Bacchi ecclesiam.

Dominum Rectorem Collegii et DD. Professores ac totum Sanctum illud Collegium humillime saluto, et me solitae gratiae et favori Ill.mae et Rnd.mae Dominationis Vestrae commendo.

Varsaviae, Anno 1652, die Martii 28.

Illustrissimae et Rnd.mae Dominationis Vestrae,  
Benefactoris mei Colendissimi humillimus in Christo Servus

P. BENEDICTUS TERLECKI <sup>114</sup>

*Ordinis S. Basilii M., S.Th. Doctor (mp)*

<sup>113</sup> Gregorius Bienkovskyj, Basilianus, Alumnus Collegii Graeci, filius Petri et Dorotheae, an. 27 (tempore ingressus), ingr. die 18.12.1645; post absoluta studia et obitu P. Philippi Borowyk, Procuratoris in Urbe ab an. 1638, et ipse nominatus Procurator negotiorum in Urbe ad hospitium SS. Sergii et Bacchi (1652-1656); Urbem reliquit inexpectate et in patriam redux multum perpessus est, sed tamen in variis Actibus monasticis partem habuit et fuit etiam Archimandrita Grodnensis, ab an. 1665.

<sup>114</sup> P. Benedictus Terleckyj, OSBM, Alumnus romanus, Rector Seminarii Ruthenorum Minscensis (1652-1655), dein electus Provincialis Basilianorum, post mortem Antonii Sielava, in Capitulo Torokanensi an. 1656, mense Februario et postea tribus vicibus reelectus ad idem officium: an. 1658 in Februario (Cap. Zyrovicense), an. 1661 in Februario (Cap. Torokanense). Cfr. M.M. WOJNAR, OSBM, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, pag. 259-261, Romae 1958.

(f. 82v) Illustrissimo et Rnd.mo Domino, D.no Dyonisio Massario, Secretario Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, Domino et Benefactori Colendissimo. Roma.

37.

Cattaro, 25.IX.1652.

*P. Paulinus Dembski supplicat de diversis rebus pro sua missione, commendationes nec non de subsidio mittendo.*

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Gen.*, vol. 220, fol. 486r.

Em.mo e Rev.mo Signor mio, Signor Padron Colendissimo.

Ubedientissimo al commando di V.S. ex nunc procurai d'inviarmi verso di quelli Calogeri Serviani, li quali più che con smisurato affetto aspettano la mia venuta, con mezzo però delle raccomandazioni di VV.EE. Rev.mae, li quali apunto sta mattina me han mandato avviso accioch'io me tratenessi ancor a cotesta città per questi quatro giorni per amor del Begh, il quale capitò in quelle parti per essiger il tributo di quelli sudditi Christiani, il quale subito che si transferirà a casa sua, stesso Igumeno di quel principal convento di Moraccia ha promesso d'arrivar quà a Cattaro per menarme in sua compagnia. E Dio sa che V.E. ne ha fatta l'opra di pietà tanto per me, quanto per quelle idiote pecorelle Serviane havermi mandata questa pietosa ammonitione, perché altrimenti quel popolo di codesta città allettato di quel poco utile, quale ho esibito in conto d'ammaestrar li lor figlioli nelle buone lettere me volse per forza trateneere, ma essendo hora mi sforzarò dal commando supremo delle EE. loro, non posso dir altro. Ben vero Ill.mo Signor Cavagliere F. Bolizza ancor si dimostra molto desideroso in questa parte dimostrando poca voglia che io me transferisca alla mia missione. È però con genuflessione e supplicationi procumbo ai piedi d'E.V. a compiacersi accompagnarme con le benigne lettere della S. Congregatione, raccomandando la mia persona tanto ad esso Signor Cavagliero, il quale può assai in quelle parti della mia missione, quanto al Patriarca di Pech et al Rev.do Igumeno di Moracia, per via delle quali più darrano credito alla mia missione et con aiuto di Dio s'aggregarano al grembo della santa Chiesa Romana et accioché tanto più vigorosamente me posso impiegare al servizio di questo popolo greco Serviano, sviato del vero grembo della S. Chiesa, è necessario ch'io sia slontanato del interesse loro in ogni cosa, ove principalmente appartiene al mio mantenimento, perché essendo quella gente poverissima et tributaria del Turco, non ha da caro spender del suo et per questo supplico alla E. R.ma a compiacersi di dar l'ordine alli Signori ufficiali che mi sia mandata per tempo questa pietosa carità assignatami per la mia missione, onde non havrò ansa d'infastidir quel popolo interessato mentre sarò provisto della clementissima pietà delle EE. Loro. Et io servitore et creatura dev.ma di V.E. avviserò tra le

più speciali miei obligationi questo insigne atto e in fine con ogni humil inclino baccio il lembo della sacra Porpora.

Catara, 25 di 7-bre, anno 1652.

Di V.S. Ill.ma humillimo e dev.mo Servitore

P. PAULINO DEMSCHI

*Religioso dell'Ordine di S. Basilio*

*Missionario per Servia e Bolgaria*

*Adnotatio:* Ibidem extant adhuc duae epistolae Paulini Demski de eodem anno (1652: 2.III et 25.IX), in quibus informat de sua missione et provisionem petit (fol. 398; fol. 485rv, 494v).

## 38.

1654.

*P. Paulinus Dembski, OSBM, supplicat pro subsidiis pro monachis, quos secum conduxit Romam.*

APF, *Scrutt. rif. n. Congr. Gen.*, vol. 220, fol. 144r, 147v.

Em.mi et Rev.mi Domini.

Pater Paulinus Demski una cum Abbate Maximo socioque eius Cyriaco, quos in Urbem deduxit ad reddendam oboedientiam Sanctissimo, humillime supplicat EE.VV., ut dignentur pro sua singulari clementia elargiri illis aliquid de indulgentia, seu potius rebus devotionis, ut illuc venientes aliquid etiam populo et confratribus suis possint communicare de hac gratia obtenta, quam EE.VV. aliquibus Missionariis et conversis ad fidem solent exhibere. Quam Deus...

*fol. 147v: 24 Augusti 1654. Decem scuta pro medaliis et aliis devotionibus.*

*Adnotatio:* Aliae supplicationes Patris Demski in eodem volumine de anno 1654: ut detur illi pro coadiutore Pater Stephanus Martyszkiewicz, OSBM, « pro nunc in Collegio Graecorum » (fol. 138, 153v); petit libros (fol. 139, 152v), calices (fol. 142, 149v), commendationem ad Ducam Venetiarum (fol. 143, 152v), viaticum (fol. 145, 146v), admissionem iuvenis Serbiani 14 annorum ad Coll. de Prop. Fide (fol. 140, 151).

## 39.

1655 (?)

*Relatio missionis P. Paulini Dembski, OSBM, in Serbia et Bulgaria.*

APF, *Scrutt. rif. n. Congr. Gen.*, vol. 220, fol. 755-757rv.

Emin.mi e Rev.mi Signori.

Nell'anno 1648, fugendo della schiavitù Turchesca, Giovanni di Basilio Szuiski,<sup>115</sup> prencipe Moscovita, passando per Serbia, arrivò al monastero di

---

<sup>115</sup> Basilius Szuiski erat praetendens ad thronum Moscoviae (1610-1612), victus a Polonis Sigismundi III et in captivatem ductus. Eius filius Joannes aliquo modo venit captivatus a turcis, de quo in nostra littera refert P. Paulinus Dembski.

Moraccia, ove a quel tempo tutti i Prelati Serbiani, doppo la morte del Patriarca di Pech, nomato Payssio, elegevano in suo luogo successore Gabriele, che vive in patriarchatu per hora. E pensando e ripensando li sudetti prelati, arcivescovi e abbati, qualmente i Dio li castiga per havere lasciato la dipendenza del Supremo Pastore e Capo della Santa Chiesa, Pontefice Romano, e come gli dato in potestà e giogo di Turchi, synodalmente hanno destinato mandar in Roma lor Ambasciatori, chiedendo humilmente la licenza della Sede Apostolica accioché possa uno delli maggiori prelati venire per stabilire l'Unione con la Santa Chiesa Romana, conforme si fece quondam in Polonia con li Ruteni.<sup>116</sup> E mentre supradetto Prencipe Moscovita volse venire in questa Alma Città in sua compagnia, ex nunc hanno mandato un gran loro Secretario e ecclesiarcha Theodosio per conseguir effetto della lor intentione, come si può cognoscere della lettera synodale della quale copia qui inchiudo (*N.B. Exstat in eodem volumine, fol. 758rv*).

Al hora S. Congregatione per scoprir il veridico di questo popolo ex ordine SS.mi D.N. Innocentii Papae X, benché ero inhabile a questa sacra carica, mene ha destinato Missionario al Patriarchato sudetto, dandomi la instruttione con la quale dovevo io procedere tanto con il Patriarcha, quanto con tutti li altri prelati e popoli Serbiani.

In primis autem et ante omnia mi ha incaricato che io arrivandoli non facessi l'altro solamente che mi dichiarassi avanti loro, che (*fol. 756v*) vengo non per qualche rumore o disturbi di loro Religione, ma per far la scuola per la gioventù serviana. Doppo esser arrivato alli confini di Serbia volevo in instanti essequire li comandi della S. Congregatione, ma trovai grandissimo obice per essere arrivato li il Turcho con grandissima gente, facendo scorrere per le parti circumvicine.

Mi fermai dunque in Cataro, città degli Signori Venetiani, confinante di Serbia, de i Turchi, ove non mancai adempire pro viribus et tenuitate mea, aprendo la schola nella medesima città et instruendo molti giovani, tanto del Rito Greco, quanto Latino, in litteris sacris et humanis; il numero di scholari arrivava a cento, et del tutto quanto se può informare la S. Congregatione dal Mons. Vescovo di Cataro e delli Signori Proveditori e la comunità della medesima città. Scorrendo molte volte per luoghi circumvicini, alla Marina, a Zupa, a Mayni, a Pobori, a Lustica, a Cartoli usque ad Buduam e Pastrovich, predicando, cathechizando, confessando et altri Sacramenti della S. Chiesa amministrando. E sapino VV.EE. che in questi luoghi predetti sono numerosissimi Morlachi schismatici del Rito Greco.

In Cataro vi era un pelliciaro, vive ancora, il quale essendo di settanta anni, mai si confessò; doppo arrivo mio stentai tanto indur questo huomo a confessarsi e comunicare; con aiuto di Dio nella mia indegnità ho effettua-

---

<sup>116</sup> Anno 1595-1596 in s.d. Unione Berestensi sub papa Clemente VIII, missis episcopis Hypatio Potij et Cyrillo Terleckyj. Cfr. volumen unicum nostrae Collectionis documentorum s. tit. *Documenta Unionis Berestensis eiusque Auctorum*, Romae 1971.

to, che quel huomo, abiurato schismate, constantissimus est in fide Catholica, et saepe expiat peccata sua et il medesimo ho fatto con trenta quasi altri schismatici, li quali essendo in schismate et non confessandosi, nella medesima città di Cataro, sono buoni Catholici adesso.

Nel anno dunque 1651, quando furono al quanto quietati li rumori della guerra di Turchi, andai di Cataro al Patriarcha (*fol. 757*), il quale trovando flessibile in tutto, conforme ha scritto il Synodo alla S. Congregatione, li ho scoperto la intentione della medesima dicendoli che la Sede Apostolica conforme già tiene tutto il mondo sotto la sua protezione e padronanza, il medesimo a lei promette. Accettò volontieri ambasciata il Patriarcha e con gran allegrezza a questo effetto intimò la Synodo, alla quale trovandosi in persona nella città di Budimla con altri molti arcivescovi, vescovi et abbatì, igumeni, li quali tutti unitis votis et animis hanno destinato acciò in persona del Patriarcha e di tutti ecclesiastici vada a rendere obediienza alla S. Sede Apostolica Arcivescovo di Budimla et Albania nomato Payssio, il quale già essendo inviato per Roma con lettere patriarchali, hebbe tradimento da un suo servante Caloiero, il quale andando alli Turchi, rivelò il fatto, qualmente il supradetto Arcivescovo veniva in Roma, subito fu cattivato dai Turchi et in instanti strozzato dalli medesimi. Di più, il medesimo Turcho non voglie più ricevere Arcivescovo di Albania, et sono numerosissimi popoli, li quali non hanno pastore, morono senza li Sacramenti, et tutti questi sono del Rito Greco schismatico.

Io intanto accioché li Turchi non scoprissero li fatti miei con comando del Patriarcha tornai a Cataro continuar essercitio della schola incominciata.

Essendo successo questo caso, cadde gran terrore sopra il Patriarcha e tutti li Serbiani. Io però non mancai sollicitare con le lettere tanto il Patriarcha, come li altri vescovi, acciò quanto prima la loro intentione deducessero ad effectum, mandando qualche vescovo, il quale renda obediienza a Sua Santità.

Arriva intanto rumore e sdegno del prencipe di Valachia e Moldavia, li quali, ad invicem guerreggiavano, onde per pacificarli venne l'ordine del Gran Turcho, accioché il Patriarcha badi a acconciarli; inviandosi dunque al comando del suo signore, non scordò della sua buona intentione (*fol. 757v*) scrisse al Euthemio, Arcivescovo Valense et Vzynse, acciò intimi la Synodo per effetto di mandare li ambasciatori in Roma, li quali diano notitia a Sua Santità, che il Patriarcha è prontissimo con tutti suoi prelati eseguire tutto quello che la Sua Santità comanderà. Fu fatta dunque Synodo, presidente Euthymio predetto, nella quale fu destinato con la lettera synodale a Sua Santità abbate Massimo di Moracchia, e di questo monasterio ordinariamente si fanno li patriarchi.

Finita la Synodo mi han scritto in Cataro che già son in ordine, per venire a Roma, del che io scrissi alla S. Congregatione, hebbi risposta che venissi in Roma, conducendo il sudetto Abbate, il che feci.

Questa è nuda e vera relatione della mia missione, piaccia a la sua Divina Maiestà che fra poco tempo possi condurre il medesimo Patriarcha, il quale infallibilmente spero di averlo.

Pro coronide questo ancora sia noto a EE.VV. che il sudetto Patriarcha di Pech ha sotto di se arcivescovi dodeci, vescovi quaranta uno, abbatì trenta, delli monaci di S. Basilio alias caloieri quatordecì millia.

Quanto alla qualità e costumi et osservanza nei riti e larghezza del paese, già fù fatta relatione fusissima dal quondam dignissimo prelato e ben merito di questa S. Congregatione Mons. Leonardis, che il tutto si trova nelle relationi, le quali sono registrate in libris S. Congregationis di questo clero e popolo Serviano.

40.

*Minsk, 29.I.1655.*

*Benedictus Terleckyj, Rector Seminarii Minscensis, ad Secretarium S. Congregationis de Prop. Fide, de erectione et conductione Seminarii.*

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Gen.*, vol. 339, fol 105rv et 107rv.

Ill.me et R.me D.ne, D.ne et Patrone Observantissime.

Iam tertius vertitur annus, ex quo indignus Missionarius in patriam meam veni, ex qua aliquoties ad Cel.nem V.am scripsi, sed quia nunquam responsionem accepi, vehementer affligor: existimo enim suppressas esse aut in tam longo itinere interiisse meas litteras. Utinam praesentibus sors melior, quae me eum esse, qui debeo, significant; debeo autem non vivere, si ingratus viverem. Sanguinem, vitam, me totum voveo S.ae R.E. et eius partis nobilissimae Sacrae Cong.ni, in primis autem Beatissimo Patri. Superioribus litteris perscripseram Cel.ni V.rae ubi degam, quid agam, quo occuper; idem modo repeto, ut fungar officio meo.

In primo limine redeuntem excepit me morbus gravissimus et diuturnus; postquam convalui, Varsaviam cum moderno ep.po D. Jacobo Susza ivi, et Deo auxiliante et bonis catholicis ferentibus opem, ep.patum Chelmensem, ereptum Unitis a Schismaticis, recuperavimus.<sup>117</sup> Varsavia redux, iussu D.ni Ep.pi Chelmensis visitavi magnam partem Presbyterorum nostrorum Ruthenorum, quorum plurimi luculenter crassi et ignorantes, et hoc ausim dicere de tota Russia. Sed dum haec ago, subitanea ferme ubique invadit pestis, qua ipsemet ego infectus, sed post incredibiles dolores liberatus, ex Russia, quam Voliniam vocamus, in Russiam Albam me contuli.

Ibi inveni Reverendissimum Primatem Russiae cum omnibus Ep.pis Unitis, Abbatibus et Igumenis monasteriorum, consulentem de rebus Unionis. Singulariter autem agitabatur de Seminario nostrorum Ruthenorum. Ferme vigesimus premitur annus, ut Sanctissimus R. Pontifex non parvam Metropolitano Josepho dedit pecuniam pro Seminario, in quo iuventus Ruthena a Monachis nostris fidem catholicam, mores probos et litteras doceretur. Eidem

---

<sup>117</sup> Annis 1652-1653.



bono operi liberaliter sunt auxiliati R.mi D.ni Ep.pi latini et graeci uniti, item Presbyteri graeci (*fol. 105v*) (pauperes licet communiter) dederunt tamen non contemnendam pecuniam, empta sunt bona, sed quia Superiores nostri vel Magistros pro Seminario non habebant, vel exaedificatione domus pro seminaristis detinebantur vel aliam ob causam ipsis notam moram trahebant, tam diu nullus ex illis bonis coemptis educatus Alumnus. Modo igitur in dicta nostra Cong.ne petierunt D.ni Ep.pi et R.mus Primas a Monachis, qui confluxerunt, offeret se aliquis ad laborandum in Seminario. Libenter obtuli me,<sup>118</sup> illi vero actis mihi publice gratiis, praefecerunt me Seminario et scholis, ubi sub Rectore Abbate quodam legi primo Rhetoricam certis horis, aliis vero certis eadem die Theologiam moralem, lingua vernacula, propter rudium intelligentiam legi et hucusque lego. Rhetorica finita, cursum Philosophiae orsum biennalem, ad cuius iam ferme calcem essem, si haec tempestas, quae ex Moschovia in Poloniam invaderit, annum medium non surripisset.

Iam tamen e fuga redux ago agenda; sed duplici et utroque maximo percussus timore, altero quem collatero hostis incutit, altero quo me mea flagellat tenuitas, cui nunc R.mus Primas hoc onus imposuit, ut non tantum agam lectorem, sed et indignum Rectorem dicti Seminarii bonorumque ad ipsum pertinentium et scholarum, quas Seminaristae et saeculares et Monachi nostri frequentant, nos autem qui docemus sumus quinque; sunt scholae grammaticam concernentes, est philosophia et theologia moralis; frequentat autem numerosa satis iuventus scholas, imo ipsi etiam Schismaticorum filii, quos convertendi ad Unionem modus unicus (et hic facillimus et suavissimus, ut res docuit), si a nostris monachis in scholis doceantur, nam non ita a nobis Unitis, quos vident easdem ac illi habere ceremonias Graecas, ut a Patribus Societatis abhorrent.

Et quia hic incidit mentio (f. 107r) Patrum Societatis, significo R.mae Cel.ni V.rae istos bonos Patres, simul ac viderunt profectum Seminarii et scholarum, quem ipse Deus dederat, statim lapidem recenter emisse pro scholis erigendis, quasi nos sub modium essemus reponendi, ut illi soli luceant. Maxime cum hic (forte hoc genius nostrae patriae facit) ubicumque scholae illorum sunt, maximae rixae et tumultus inter discipulos aliarum scholarum excitari soleant. Sed in his omnibus ita me geram, ut S.a iusserit Cong.o; quae tamen sciat, in illa Civitate (quae vocatur Minscum, in Russia Alba) nihil esse necessarios praedictos P.res, quia habet civitas magnam copiam Sacerdotum latinorum. Ita ut iam vel audita vel brevi audiendae sunt querelae Patrum Ordinis S. Francisci et S. Dominici contra eosdem Patres Societatis, quod se intruserint in civitatem, cum dispendio illorum, utpote mendicantium.

Sed ad Seminarium redeo. Hoc bene florere poterit, et ingens incrementum fidei catholicae apud nos facile adiiciet, si quae dicam, apud S.ram

---

<sup>118</sup> P. Benedictus Terleckyj voluntarie obtulit se, ut dirigeret Seminarium Ruthenum Minscense Immaculae Conceptionis.

Cong.nem impetravero. Primo, ut S. Congregatio velit ad R.mum Primatem scribere,<sup>119</sup> probando factum, quod Seminarium instauraverit; quia talis epistola multum eum permovebit ad curandas studiose eiusdem Seminarii rationes. Secundo, obnixè et humillime a S. Cong.ne peto litteras ad Serenissimum, alias ad Senatum, alias ad Comitìa Generalia, quibus intercedat, ut Seminarium nostrum cum scholis, Regni auctoritate et Comitiorum Constitutione (quod in patria nostra in rebus gravibus statuendis pernecessarium est) firmetur. Quia nostri Superiores ipsi hoc in Aula obtinere non poterunt, obsistentibus contra Patribus Soc. Jesu, qui magna apud Serenissimum gratia pollent. Tertio, id etiam unice et devotissime (f. 107v) a S. Cong.ne peto, ut pro eodem Seminario et scholis expedire dignetur apud SS.mum D.num litteras, quibus benedicat, confirmet, et immunitates ac facultates Seminariis et scholis servire solitas, indulgeat, et parvulam Seminarii ac scholarum nostrarum congregationem, filiam vel potius ancillam Collegii Sacri de Prop. Fide faciat, et ut scholae cum Seminario vocentur *Collegium Immaculae Conceptionis Virginis Deiparae* dominice et paterne concedat.

Verum quia ordo et integritas Seminariorum et scholarum pendet ex proba Regentium et Magistrorum copia, nunquam isti deesse poterunt, si S. Congregatio nostris illis Ruthenis Monachis, qui in Collegium Graecum vel in Collegium de Prop. F. posthac recipientur, iniunxerit, ut absolutis studiis Romae, omnino tribus saltem annis in Seminario et scholis docendo laborent; hoc enim ex illis et rei catholicae maiori erit utilitati, quam si aliquando ii, qui impensis Romanis studia finiverunt archimandrias et regimina, ante annos et merita, occupentur. Ad extremum enixe oro, ut quidam ex nostris monachis, qui iam in Seminario alios docuerunt, sed nondum didicerunt Theologiam, ad Collegium de Prop. F. recipi possint. Si haec, quae prostratus studiosissime humillimeque peto, opera et ope Celsitudinis Vestrae a S. Cong.ne impetravero, polliceor me cum vita memoriam beneficii retenturum, polliceor totam Catholicam Russiam Cels.ni V.rae, S. Cong.ni, SS.mo D.no (cuius animitus sacros exosculor pedes) aeternum debituram.

Valet Cels.do V.ra et nos ac fidei Catholicae apud nos propagationem, ut solet, amet.

Datum in Seminario Minscensi Ruthenorum cum S.E. Romana Unitorum, die 29 januarij, Anno 1655.

Ill.mae et R.mae Cels.nis V.rae devotissimus Cliens

P. BENEDICTUS TERLECKIJ  
*Rector Seminarii*

---

<sup>119</sup> Ad « Primatem » hic significat ad Metropolitanam Kioviensem Antonium Sielava (1640-1655).

## 41.

Cattaro, 26.VI.1655.

*Relatio P. Paulini Dembski, OSBM, Missionarii, de sua missione in Croatia, deque administratione singulorum Sacramentorum eiusque defectibus et de modo providendi necessitati.*

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Generali*, vol. 220, fol. 664rv-665r.

Em.mi et Rev.mi Signori et Patroni Collendissimi.

Per conto del sublime commando delle Em.ze Loro Rev.me vengo con questa riverente Relatione della mia missione in Servia e Bulgaria, ai piedi delle Eminenze loro Rev.me, dando debito raguaglio qualmente questa mia missione per non esser discrepante del Rito Rasciano, sia molto profitevole a quelle anime sepolte in infiniti errori di scisma, perché in confidenza vedendo loro la mia persona della lor Religione, ed anco pratica delle cose ecclesiastiche del Rito loro, facilmente scuoprono li lor mancamenti, li quali repugnando notabilmente alla dottrina e volontà di Santi Padri et anco a stessa ragione, si piegano volontieri d'emendarli, principalmente dimostrandoli questa contrarietà dei loro proprii libri, dei quali havendo loro in alcuni monasterii abbondanza, ma non sanno che cosa in essi si contiene, il che procede della grossissima ignoranza, la quale regna tanto in clero, quanto in alto popolo. Però mercé alla sollecita provisione delle Eminenze loro Reverendissime mentre hanno fatto introdur il lume dello studio di buone lettere in questi anco paesi abbandonati, ove in hora per tutta Servia et Bulgaria in nissun luogo, per non si trovare le scuole, se non nelli confini del dominio Veneto, ma per esser in quelle scuole per l'ordinario li maestri del Rito Romano, per questo non era mai possibile introdurre qualche Rasciano accioché mandasse li suoi figlioli a scuola; hora verò più che volontieri li mandano sotto la mia disciplina; et spero con l'aiuto di Dio che queste novelle piante fundamentalmente instrutte nella dottrina christiana facilmente emendarano li lor errori, li quali commettono nei riti loro et principalmente nei SS.mi Sacramenti, con risico della lor nullità. perché in quanto ne ho potuto notare, tanto in principali monasterii praticando, dove sino a 200 ed oltre monaci si conservano, quanto nelli altri claustru minori, nella consacrazione del SS.mo Sacramento gran fallo commettono non attribuendo la vera forma di quelle parole: Hoc est enim Corpus meum etc. a questo SS.mo Sacramento, ma vogliono ed anco gli altri novelli sacerdoti imparano, che la forma transubstantiale consiste in quelle parole di S. Giovanni Chrisostomo, mentre dice: Fac quidem panem hunc pretiosum Corpus Christi tui, etc., il che si dice già dopo la consecrazione et di più sul fine della Messa, immediate avanti la comunione, infondono nel calice già consecrato per esempio a un mezzo bichier di vino, un bichiero e più d'acqua calda. Nel comunicar poi il popolo, infiniti assurdi ne ho trovato con grandissima mia ansietà, vedendo io che questo SS.mo Sacramento sia in grandissimo dispreggio in questo popolo. Il Sacramento poi della

Penitenza de fatto anichilato, e non sano far la distinzione del peccato veniale ed mortale, ne manco fanno la distinzione tra lege divina ed humana, onde aggravano più la coscienza del penitente nel transgredimento del digiuno, o nel haver mangiato per esempio le lumache o cose affogate che nel spandere sangue innocentemente del prossimo, o privarlo della vita o altro simil delitto. La forma poi della assoluzione non danno se non immediatamente avanti (*fol. 664v*) la comunione a tutti insieme, legendo una orazione ben lunga del loro Euchologio, e al mio parere men congrua e questo Sacramento.<sup>120</sup>

Nel Battesimo poi pro oleo catechumenorum et chrismate usano l'oglio della lampada, la quale arde avanti la porta regia, e questo procede per la gran disidia di vescovi Rasciani, li quali a ogni duoi o tre anni consecrano la Cresima, attendendo più tosto di vagabondare per diversi paesi del mondo per acquistar danaro, al che sedulamente attendono, abbandonando del tutto le loro Diocesi, et sostituendo solamente al suo luogo un exarcha<sup>121</sup> con patto però, accioché li anticipatamente sborsi tanto danaro; questo poi exarcha a tempo della raccolta ne fa grandissime pressioni a poveri sudditi, aggravandoli con novi contributioni. Il medesimo exarcha fa le visite di monasterii et altre parochie, etiamsi sia huomo ignorantissimo et di pessima vita; con tutto ciò bisogna per forza che lo sopportino tanto Regolari come Secolari, mentre tyrranidi Othomanica coacti, perché sempre il simil exarcha mena seco un spahia.

Matrimonii per una minima occasione o disgusto che si concepisce tra il marito e la moglie subito spartiscono, dando in mano al sposo e alla sposa una cordella o un fazzoletto, il quale tenendo moglie e marito, poi il prete Serviano taglia questa cordella per mezzo, dando una parte al marito e l'altra alla moglie e dicendo: Qualmente questa cordella è divisa con le mie mani, talmente anco voi siete spartiti del vostro consortio, — e così li danno la licenza di far novi sposalitti.<sup>122</sup>

L'Ordini Sacri conferiscono ai giovani di 16 anni, il che ne ha fatto il vescovo di Trebinia et vescovo di Pleule, ordinando alcuni per il sacerdotio in 16 anni et di più ignorantissimi nel legere et scrivere, ma non solamente in paesi del Turco fanno questo disordinamento i vescovi Serviani, ma anco in dominio Veneto, havendo pochi giorni fa ordinato per il Sacerdotio il Mons. Vescovo Bessarione del Monte Negro un giovane di Pastrovich di 17 anni, essendo di più ignorantissimo questo giovane nel legere et scrivere, il quale per hora sta sotto la mia disciplina, sino ché sarà habile ad officiare li ministerii della Chiesa; et tutto questo non si ha fatto per altro se non per ingordigia del danaro.

Oglio Santo nell'istessa infermità, benché non sia lunga, reiterano tre o quattro volte, e per ogni volta ch'hanno conferito al amalato questo Santo

---

<sup>120</sup> P. Paulinus Dembski, OSBM, describit usus in administratione Sacramentorum apud Uskokos seu Valachos.

<sup>121</sup> Exarcha seu coadiutor-episcopus.

<sup>122</sup> P. Paulinus describit usum divortiorum apud easdem gentes in Serbia et Bulgaria.

Oglio, prendono per esso come certo tributo tre Reali, per comunicar amalato duoi Reali, e per conseguenza per tuttj gli altri administramenti di Santi Sacramenti ne hanno fatto le loro tasse molto agravevoli, secondo il paese. Onde contra tutti questi mancamenti ho da combattere di continuo con quelli Susanisti invecchiati nella loro perfidia. Intanto però spero che questa gioventù, la quale sia sotto la mia disciplina, s'accorderà con l'aiuto di Dio, et vorrà attendere più sedulamente alle loro conscientie et anco alla salute che non han fatti lor antenati per mancanza (*fol. 665*) dello studio, perché per hora tengo apresso di me tra gli figliuoli di sacerdoti Serviani, et anco altri Secolari, sette giovanetti di buona riuscita nelle lettere, di altri poi ne ho buona quantità, li quali vengono delle case loro a scuola; di questi per tempo si faran monaci Rasciani, vescovi et altri preti et prelati del Rito Serviano et si inciterà et in essi et in altri il fervor della scienza, la quale consiste nelle buone lettere, in questi paesi qui de fatto estinte.

Et per maggiore commodità di tener questa scuola per la gioventù del Rito Greco-Serviano, dopo la morte del Igumeno Josepho Becich, missionario di Pastrovich, mi ha conferito la comunità il monasterio di San Nicolò, ove istessi monaci più giovani hanno l'animo d'imparare et la grammatica Slava et Latina et anco li ne haverò maggior conversatione con tutti li monaci Serviani, li quali spesse volte capitano costì, come ai suoi fratelli, questi almeno con continua pratica potrò introdurre (come anco già ne ho fatto) alla frequente confessione et comunione, perché ne sono alcuni sacerdoti che da trenta anni et più non se son confessati ne comunicati. Anzi per l'occasione di questo Santissimo Giubileo (merce però alla S. Sede Apost.), la quale ancor qui ha indulto questo immenso tesoro, ne ho introdotto assaissimi con le buone esorte di confessare li loro peccati mai confessati, tanto di Regolari, quanto di Secolari, con grandissima allegrezza del popolo catholico Romano.

Il mons Arcivescovo di Pech non è ancor tornato di Moscovia<sup>123</sup> e per questo non si poteva sin hora trattar niente universalmente della Unione, ma si spera questo che ha da tornare. L'Abbate Massimo con suo compagno Ciriaco,<sup>124</sup> li quali son stati mandati anno passato del monasterio di Morazza alla Sede Apostolica, con gran fervore procurano di promover la Santa Unione, non cessando di continuo a predicare la pietà della Santa Sede Apostolica, et per non attediare con la mia prolissità nel scrivere li sublimi affari delle Eminenze Loro Rev.me, per conclusione di questa mia genuflessa Relatione, alle Eminenze Loro Rev.me baccio riverentemente il lembo delle S. Porpore.

Cattaro, 21 di luglio 1655.

Delle Em.ze loro Rev.me devotissimo vassallo  
D. PAOLINO DEMSCHI, dell'Ordine di S. Basilio  
Missionario per la Servia e Bulgaria

---

<sup>123</sup> Forsan sese contulit in Moscoviam in quibusdam negotiis ecclesiasticis, quae non excluderent res unionis.

<sup>124</sup> Archimandrita Maximus et quidam alius Monachus Marcensis, nobis ignotus, qui venerunt Romam Unionis causa.

## 42.

(Mukačovia) ... 1655-1665.

*Superior Monasterii Mukačoviensis cum Fratribus conqueruntur Episcopo Agriensi Fenessy de modo agendi violento Episcopi Rutheni et faciunt appellationem petuntque protectionem.*

ASV, *Arch. Nunz. di Vienna*, vol. 79, fol. 54rv.

Ill.me ac Rev.me Domine, Domine et Patrone noster Col.me.

Rev.mus noster Dominus Episcopus Munkacsiensis dictus, sua entrata Episcopali, quae se ad tria florenorum millia extendit, non contentus, ante octiduum Monasterium ingressus, universa ibidem victualia, labore manuum ac sudore nostro acquisita pro sua parte violenter accepit, ubi etiam se velle fundare Cathedram dixit, nec amplius Monachos tollerare. Cum autem antiquissima Monasterii Munkacsiensis fundatio tantum pro Monachis sonet,<sup>125</sup> nec Episcopum illuc intrasse, nisi hospitem, quique nullam haberet solidam sui Episcopatus foundationem, sed tantum e Clero Rutheno alebatur eratque semper subiectus Episcopis Agriensibus, in quorum manibus iuramentum praestabat, siquidem in Agriensi Dioecesi Clerum habet, qui Clerus ad Fidem Catholicam a schismate non ab Episcopis Munkacsiensibus, sed a fel.rec. Jakusith, Episcopo Agriensi, est conversus, idcirco nos ad Illustrissimam et Rev.mam Dominationem Vestram gravi querela (*fol. 44v*) recurrentes contra dictam Rev.mi Domini nostri Episcopi violentiam solemniter protestamur, et ad Sedem Apostolicam appellamus. Praeterea Ill.mae, Rev. maeque Dominationi Vestrae humillime supplicamus, quatenus nos sua validissima auctoritate defendere ac protegere, praesentemque protestationem una cum appellatione in scriptis extradere dignetur. Nos quoque pro incolumitate, ac felicissimo Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae successu Divinam Majestatem interpellare non desistemus. Cuius nunc ad ima projecti sumus.

Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae humillimi Servi  
et Exoratores apud Deum perpetui

PETRONIUS <sup>126</sup>

Monasterii Munkatz Superior cum Fratribus

Ad Ill.mum et Rev.mum Dominum D. Georgium Fenessi, Episcopum Agriensem etc. (plenus titulus) Dominum et Patronum nostrum Monachorum Monasterii Munkacsinensis, gratiosam resolutionem expectantium.

<sup>125</sup> S.d. Fundatio Theodori Koriatovich saec. XIV. Cfr. opus JOANNICII BASILOVITS, *Brevis notitia foundationis Theodori Koriathovits olim ducis de Munkacs pro religiosis ruthenis Ordinis sancti Basilii Magni in Monte Csernek ad Munkács, anno MCCCL factae...*, Cassoviae (Košice) 1799-1805.

<sup>126</sup> Petronius, hegumenus OSBM; non constat de tali hegumeno nisi forsitan agatur de Basiliano Petro Partenio Petrovič, ante suum episcopatum Mukačoviensem (1651-1665).

## 43.

Roma, 2.X.1656.

*Inventarium rerum et librorum in ecclesia SS. Sergii et Bacchi et in hospitio adiacenti, a P. Martiano Bialozor confectum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Particolari*, a. 1652, vol. 6, fol. 40-42v.

Inventario delle Supellettili, e Mobili esistenti nella Chiesa e Casa de Santi Sergio, e Bacco alli Monti, dato alli Signori Visitatori della Sacra Visita, del ordine del Nostro Signore.<sup>127</sup>

A dì 2 di 8bre 1656 in Roma.

*Nella Chiesa vi sono l'infrascritte robbe:*

Due Paliotti di Corame, etc.

Un Paliotto di setino nero, etc.

Un Telaro di legnio di paliotto, etc.

Uno Paliotto di due colori, lionato, e giallo.

Uno Paliotto di drappetto ad una faccia e dall'altra parte Paonazza, etc.

Un'altro di drappo salvatico, etc.

Tovaglia di Altare.

Una alla Damaschina, colle francie, un'altra ordinaria, tre tovaglie pure di altare, etc.

Due tovaglie di altare con lavori di seta nera, che si mettono sopra l'altare, etc.

Una coperta di altare di ormesino giallo, fodrato di tela roscia, etc.

Un'altra di Damasco vecchio di due pezzi, due altri di tela dipinta, etc...

Uno Reliquiario di Ebano nero, colorato di Argento, quadrato, col suo piede. Due altri Reliquiarii grandi di legnio intagliati, e tutti indorati, etc.

Due Glorie da Messa, una con cornici di oro, e l'altra nera.

Due Evangelii di San Gio., una con cornice di oro, e l'altra di nero.

Candelieri di legnio, numero dieci, n° 10.

Una Croce piccola di petro nero con il Christo di Ottone, etc.

(fol. 40v) Due Croci una con il Christo, e l'altra senza, etc. di legnio, etc.

4° Angeli di legnio indorati, due piccioli, e due più grandicelli, etc.

Otto Vasetti di legnio, indorati con suoi fiori, e due di legnio argentati, etc.

Una Lampada di ottone, picciola, etc.

Un quadro di S. Nicolo, senza Cornice di primi 7 e Cinque, etc.

Un'altro grande simile senza cornici, di San Basilio, etc.

Un'altro simile di S. Gio. Chrisostomo, senza cornici, etc.

Un'altro della Madonna di Monserrato, con sua cornice, etc.

Uno della S.ma Nuntiata, con la cornice.

<sup>127</sup> Visitatio canonica erat res consueta in Roma, ut eparchia papali.

- Un San Geronimo.  
 Uno Ritratto del S.mo Salvatore, sopra tavola indorata, picciola, etc.  
 Nell'altare della Madonna vi sono due voti di argento. Tre scalini di legno, uno per altare, uno per Confessionario.  
 Cinque Banchi lunghi; due inginocchiatori di legno.  
 Uno Credenzino, di legno, etc.  
 Uno Credenzone grande, per la Sacristia.  
 Due cuscini uno di Damasco, roscio, e l'altro di raso lionato, etc. e di sotto di Damasco verde con fiori, etc.  
 Un'altro Cuscino di Ormatino giallo, e sotto di saia, etc.  
 Tre altri Cuscini di colore di roscio, con fiori, etc.  
 (fol. 41) Una Banchetta con due scalini etc.  
 Un Messale Latino.  
 Due Messali Rutheni, etc.  
 Un altro Messale Rutheno al Collegio Greco per li Padri.  
 Un Campanello per la Messa, etc.  
 Due Campane, una grande, et una picciola al Campanile.  
 Un Bancone di legno, etc.  
 Un'Orologio da polvene, etc.  
 Una pianeta di Mocaiale lionato con francie di seta, di più colori, alla Greca.  
 Un'altra Ormitino verde con un stola e maniche, alla Greca.  
 Un'altra di Raso roscio con sua stola e maniche, etc.  
 Un'altra di Mocaiale nero con una stola e maniche, pure alla Greca, etc.  
 Una stola Greca di lana di argento con fiori, di più colori, con quattro maniche, etc.  
 Un'altra stola di lana di oro con fiori di oro, seta roscia, etc.  
 Un'altra di Damasco giallo, etc.  
 Un'altra di Raso bianco, con sue maniche.  
 Uno Camiscio con il suo amitto con tre cordini etc.

*Robba riscossa dal S.o Monte della Pietà  
 dal Padre Martiano:*

- Uno Calice di argento con sua patena.  
 La Stella e Cuchiario per dare la Communione, riscosso per scudi 15.  
 (f. 41v), 4° Purificatori novi, num. quattro.  
 6 Purificatori vecchi, etc., n° sei.  
 Mezza Tovaglia con fiori di più sorte.  
 3 coperte Greche per la patena co varii colori etc., n° tre.  
 3 Veli grandi, per coprire il Calice e la Patena insieme.  
 Sei borse di Calice, di varia sorte, etc.  
 Un fazzoletto per le mani, etc.  
 Un Tabernacolo colle figure da parte del B.mo Josafat, dall'altra un Padre Greco, etc.



Una Mitra di Veiluto rosso, con figure de Santi Padri Greci, con varie pietre, etc.

Dieci Vasetti senza fiori indorati, e parte inargentati, vecchi, per altare.

Un piatto pinto con sue ampolline, n° 4, per le Messe, etc.

(f. 42) Un Tavolino, con sua coperta.

Un Bancone.

Sedie di vachetta n° quattro, vecchie.

Un quadro della Madonna, con sua cornice.

Sei ritratti in tela d'Imperator, senza cornice.

4 ritratti di tela da testa.

Una tavola senza piedi.

Doi letti con doi pagliacci di barea e tavole, coperta di lana n° 2, et una di lanetta roscia, et una coperta vecchia cobriatta, un capezzale di lana, et uno cuscino di lana; doi cuscini di piuma etc.

Un Tavolino con sua coperta, Sedie di vachetta, n° sei.

Una sediola di paglia.

Uno credenzino vecchio.

Doi Tavolini di legnio, con il suo tappeto.

Uno quadretto di carta di S. Basilio, etc. et uno di San Pietro pure di carta, con sue cornici nere, etc.

Una Cassetta di servitio, etc.

Un pezzo di Corame dietro alla porta, etc.

Banco a tre Tavole con due matarazzi, etc.

Uno Scabellone, etc.

Una Tavola longa da cucina, etc.

Uno Credenzino, etc.

Doi piedi di letto di legnio, etc.

Scabelli di noce numero 4, quattro.

Una Sediola di corame, senz'appoggio, etc.

(42v) Uno Ritratto del Beato Josaphat, etc.

Una Coperta di lana, etc.

Una Coperta verde alla tavola, etc.

Un Bacone, etc.

Uno pagliaccio, etc.

Un Tavolino, etc.

Doi Tavolette, etc.

Due Tavole, etc.

Un Materazzo vecchio, etc.

Una coperta, etc.

Doi pagliacci, etc.

Doi Capezzali, etc.

Un materazzo, etc.

Una Coperta verde, etc.

Uno Tavolino, etc.

Haec sunt mobilia quae inveni post discessum R.di Patris Gregorii Bin-

kowski, Antecessoris mei,<sup>128</sup> Domestica et Ecclesiastica, exceptis Calice, quem pro 15 scutis ex Monte Pietatis redemi, et Planetis tribus Latini Ritus factis, quas similiter in Monte pietatis pro tribus scutis et medio redemi ex pecuniis acceptis a Propaganda Fide pro festo Sancti Joannis Baptistae annua pensione 50 scut., ex haereditate relicta ab Emin.mo Sancti Honuphrii Antonio Barberino, Patribus Ruthenis Ordinis S. Basillii M. Exceptis itidem Mobilibus Ecclesiasticis quae acceperat R.P. Paulinus Dembski,<sup>129</sup> pia memoriae, Missionarius Apostolicus per Dalmatiam, cum pacto restitutionis eidem loco, necdum sunt reddita. Exceptis itidem illis, quae manent adhuc in Monte Pietatis oppignorata ab Antecessore meo.

MARTIANUS BIALOZOR, Ordinis S. Basillii M.  
Residens pro tunc ad aedes S. Sergii et Bacchi,  
in loco Procuratoris Religionis Suae

## 44.

Roma, 4.XI.1656.

*Inventarium librorum in Hospitio SS. Sergii et Bacchi, a P. Martino Bialozor confectum tempore visitationis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Particolari*, a. 1652, vol. 6, fol. 43-45.

*Inventario delli Libri dato alli Signori Visitatori,  
dell'altra Visita del ord. del Nostro Signore.*

Dictionarium trium linguarum, etc.  
Chiave d'oro sive Grammaticae Vulgaris, etc.  
Catholicon. Praescriptiones.  
Parenesis Caesaris Baronij ad R. Venetam(?).  
Logica manuscripta P. Paulini, etc.  
Fumena sfeccionata D. Antonini, etc.  
Congeries Orationum, etc.  
Instituta.  
Missale Romanum, etc.  
Panegiricum Simonis Starowolski, etc.  
Liber Sigismundo Pol. Reg. dicatum, etc.  
Regula S. Patris Benedicti, etc.  
Cantica Latina, Rutena, et Greca, Franca scripta, etc.  
Vago giardino di Secreti curiosi.  
Lettera d'Isabella Andreini, etc.

<sup>128</sup> Gregorius Bienkowskyj, Procurator in Urbe (1652-1656). Cfr. supra n. 113.

<sup>129</sup> P. Paulinus Dembskyj, OSBM, Missionarius apostolicus in Serbia et Bulgaria. Cfr. de eo plurima documenta praesentis voluminis.

- L'Epistolario, etc.  
 Canones S. Conc. Tridentini, etc.  
 Historiae Polibis, etc.  
 Tragediae Sacrae Nicolai Cantoni, etc.  
 Istitutiones Juris Canon. Lancelotti.  
 Panegirici Torretti, etc.  
 Compendium quaestionum Regularium Fr. Emanuele Roderigo Ord.  
 Observ.  
 Vita D. Jesu Christi Bartolomei Ricci, etc.  
 Vita eiusdem Marsilij Honorati, etc.  
 Confessio Christiana Laurentij Nicolai, etc.  
 Prediche vulgari di Fr. Roberto, etc.  
 De Ratione studendi in jure, etc.  
 De Christo mortuo, pars 2da.  
 De Christo Resurgente, par. 3a.  
 Panegirici Regales Fr. Vinzj, etc.  
 (f. 43v) *Sinonima Polonolatina*, etc.  
 Doctrina Christiana Belarminij, etc.  
 Epistolae clarorum virorum, etc.  
 Lettere del Visdomini Lanfranco e Gabrieli.  
 Modo di contemplare la passione di Christo.  
 Prior pars nominum substantivorum libr. 4. Institut. Legalium in 4º.  
 Concilium Tridentinum in 4º.  
 Polianthea in 4º.  
 Adolfi Mechonli Commentario in linguam Graecam, etc.  
 Interrogationes Christologiae, etc.  
 Instituta Justiniani, etc.  
 Tractatus de Physica, manuscript.  
 Tractatus de Philosophia, manuscript.  
 Comentaria Rerum Turcicarum, etc.  
 Constitutiones Conc. Apostolicae, etc.  
 Orationes Ferrerij, Soc. Jesu, etc.  
 Peregrinatio ad Terram Sanctam Radiculij.  
 Liber diversarum expeditionum, manuscript.  
 Variarum Orationum manuscript. in fol. Polonei et Epistolae, etc.  
 Constitutiones Synodi Potentini, etc.  
 Regium iter in Imperium in 4º.  
 Boetij Severini opera, in fol.  
 Commentario in lib. de Anima Augustini Stiphi Suetani, etc.  
 Libellus in lingua Tedesca.  
 Evangelia Graeca, etc.  
 Constitutiones Canonorum Regul. Lateranensium, etc.  
 Libellus manuscript. in fol.  
 (f. 44) Aristotelis Physica, etc.  
 Grammatica Graeca Clenardi, etc.

Liber Cupersarum (?) orationum (?) regum in 4°.  
 Patris Philippi manuscript.  
 Institutiones linguae hebraicae.  
 Osservazioni D. Ludovico Dolce nella lingua.  
 Decreta S. Inquisitionis super Monachos, etc.  
 Decreta S. Conc. Tridentini, etc.  
 Gramatica Gretherij, alia Gramatica Gretherij, etc.  
 Enchiridion S. Agostini Greco, etc.  
 Ipostematicon sopra l'Inni del Regno di Polonia.  
 Conciones Polonicae.  
 Congiura del Fiocchi del Moscardi, etc.  
 Explicationes numismatum Romanorum.  
 Praxis Iudicialis Regni Poloniae.  
 Vita S. Francisci Xaverij, etc.  
 De Interstitijs Leonis Alatij, etc.  
 Ingressus in suam Ecclesiam Episcopi Lucernorum.  
 Legendario delle Vergini, etc.  
 Dictionarium Polono-Latinum.  
 Orator Aulicus, etc.  
 Tractatus di Physica..., etc.  
 Silentium Nicolai Peretij, etc.  
 Dittionario Francese e Spagnolo, etc.  
 Tractatus Theol. de verbo, manuscript.  
 Regulae di S. Francesco, etc.  
 Physica Aristotelis, manuscript.  
 Horae in lib. Ecclesiasticum Metropolitae Russiae.  
 Discorso della vera Beatitudine.  
 Dolidem Beatitudine Manlij Severino.  
 Caenum, et Pithecorum pugna.  
 (f. 44v) *Ordo recitandi horas Canonicas.*  
 Varias Orationes, m.s.rpt.  
 Epistolae Themistoclij Grecolatinae.  
 Jo. Paritij de Arte metrica.  
 Oratio Nicolai Avike.  
 Propositiones Aristotelis.  
 Predica nell'elettione del Re di Polonia, etc.  
 Sommario delle Vite dell'Imperatori Romani.  
 Aquila socijs.  
 Delle Cause, delle magnificentia, delle fatti, etc.  
 Convictio Planetarum terrestrium et lascitum, etc.  
 Practica Canc. Apostolicae.  
 Locutiones Epistolarum Ciceronis, etc.  
 Familiaris Clericorum liber.  
 De Privilegijs Religiosorum, etc.  
 La conversione del Buono Ladrone, etc.

- Epistolae Enrici Puteani, etc.  
Vita del B. Stanislao Gesuita.  
Missale Romanorum.  
Orationes Ruthenae variarum festivitatum.  
Doctrina Christiana in lingua Dalmata.  
Calendarium Gregorianum, etc.  
Liber Concionum Ruthenicarum, in fol.  
4° Libri Rutheni, in fol.  
Institutiones Clerardi etc.  
Documenta fidei in lingua Graeca.  
Prediche diverse in lingua Graeca.  
Dispensatio Jo. Fabriano Scaligero.  
Dictionarium Latino-Germanum, etc.  
Liber variarum orationum.  
Augustini Dathi Gramatici, etc.  
(f. 45) Institutio Gramaticae Elij Antony, etc.  
Quadragesimale del Torres.  
Opusculorum tomi 2.D. Augustini.  
D. Basilij Magni Libri Ascetici, etc.  
Unio Sancta, Polonice a Confraternitate Vilnensi edita.  
Manuscript. Metropolitae Russiae.  
Raphaëlis Korsak Decreta Summorum Pontificum in... Unionis S. edita,  
litterae Metropolit. Russiae, et modus convertendi ad Unionem Sanctam Valachos, Moscovitas, Orientales, etc.  
Alter del B. Martire Josaphat.  
Triumphus Litteratorum, etc.  
Tractatus de fide, spe et charit., manuscript.  
Explicatio Doctrinae Christianae, etc.  
Tractatus de Domina Charitate, manuscript.  
De S.ma Eucharistia, manuscript.  
Logica, manuscript.  
Aristotelis Physica, etc.  
De Verbo et gratia, manuscript.  
De Angelis, de Incarnatione Verbi, de Deo, de Gratia Dei, manuscript.  
Apologia Peregrinationis ad Terram Sanctam...  
Kalendarium Dalmatico idiomate.  
Orationes Ciceronis, etc.  
Themistoclis Epistolae.  
Cypriani Zonar, etc.  
Summa Universae Philosophiae, etc.  
Epistolae Ciceronis.  
Institutiones Iustiniani.  
Controversiae Theologicae.  
Elpidio, et Alcippe, (f. 45v) Flores legum.  
Ovidij Nasonis opera.

Bartolomeus Fumy, Ord. Praedic.  
 D. ...Peccatorum Polon. Idiom  
 Summa Aurea Armillae  
 Conc. Tridentinum.  
 Summa omnium Iulianum in 4°  
 Epistolae S. Basilij, Gregorij Theologi.  
 Aristotelis Physica etc. in 12.  
 Dictionarium Ital. Latinum.  
 De Generatione et Corrupt., manuscript.  
 De Angelis.  
 De Jure et iustitia.  
 De Virtute Poenit., manuscript.  
 Memoriae Rerum gestarum a Zamoiscio.  
 Conciones Polonicae, in folio.

Hi sunt libri quos post disces. R.di P. Gregorii Binkowski inveni. Alii sunt accepti, pro tempore cum pacto restitutionis, a pie defuncto Patre Ordinis nostri, Paulino Dembski, Missionario Apostolico per Dalmatiam.

MARTIANUS BIALLOZOR,<sup>130</sup> Ordinis S. Basilii Magni  
 Residens pro tunc in loco Procuratoris Religionis suae  
 apud SS. Sergium et Bachum, anno 1656

Die 4 Novembris reddidit supradictis Ill.mis Visitoribus.

## 45.

Byteni, 9.III.1657.

*P. Benedictus Terleckyj certiorat Congregationem de suo labore didactico nec non de sua electione in Provincialem et de difficillimis circumstantiis, petit protectionem, subsidium et praesertim pro Studentibus in Collegiis, de Collegio Romano etc.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen. (Cause)*, vol. 319, fol. 131rv, 136rv.

Illustrissime et Rnd. me Domine, Domine et Patrone Ob.me.<sup>131</sup>

Septimus annus volvitur, ex quo in Sacro de Propaganda Fide Collegio Doctor Theologiae et Missionarius (utroque indignus licet), beneficio Sacrae Congregationis creatus, in patriam, verius dicam, in exilium veni. Nullus

<sup>130</sup> MARCIANUS BILOZOR, OSBM, Alumnus Coll. Graeci (1653-1657), an. 24, ingressus 5.XI. 1653, sacerdos, exiit 6.10.1657 ad SS. Sergium et Bacchum, ubi statim erat Procurator in Urbe, post reditum P. Gregorii in Patriam (1656-1659). Dein, ut consanguineus Metropolitae Gabrielis Kolenda, habuit partem activam in Actibus monasticis Ordinis, praesertim in Capitulis Generalibus et luctamine de exemptione seu electione in Protoarchimandritam simplicis monachi (1665-1667). Archimandrita variarum archimandriarum et Episcopus Pincensis (1666-1696) et demum Polocensis (1697-1707).

<sup>131</sup> Ut videtur Secretario S.C. de Prop. Fide, Dionysio Massari (1649-1657).

enim annus, imo nullum tempus belli immune fuit, rarum quod aliquid interstillaret solatij, rarissimum quod soli pavori, soli fugae non impenderetur. Sed et fuga non nisi in hieme, quia nullus locus fuit, qui lubricus rebus nostris non esset. Mihi ipsi toto septem annorum spatio tantum inquietissimae pacis fuit, quantum vix suffecit, ut finirem discipulis Rhetoricam, et biennem Philosophiam, et pauculas moralis Theologiae materias, in Seminario nostro Rutheno, in quo et Rectorem et Professoremi egi; qua de re anno superiore scripsi ad Illustrissimam Dominationem Vestram. Modo vero annus elapsus, ut me Patres Ordinis mei suum iusserunt Provinciale, hoc est solitudinem cumularunt. Quomodo enim aut Ordini consulam, aut non affligar hac tempestate, qua cum Hieremia deploramus bona direpta f. 131v) ecclesiastica, caenobia, ecclesias, altaria igne absumpta et diruta, Fratres hos trucidatos, illos emendicata stipe vitam aegram ducentes, alios qui aetatem et ingenium solo moerore inerti otio terunt; cum nec domi literis dare operam, nec ad easdem perdiscendas domo exire possint, nudi penitus et omni ope destituti. Certe quam miseri, Ill.me Domine, simus, hoc sit inditio: in tota ut est ampla Lituania, primus nobis relictus locus, qui merito caenobium dici possit, sed numero personarum, redivisus nequaquam. In quo ipso tam diu manere poterimus, quam diu inter Ducem Moschorum et nostrum Serenissimum manebunt induciae. Imo, data etiam pace patriae, nobis Ruthenis cum S.R.E. unitis, bellum indicitur; cum Moschus, nostratibus Schismaticis instigantibus, hac ratione paciscatur, ut Regno extirpemur. Quare pedibus Illustrissimae D.V. cum Fratribus Ordinis mei advolutis, peto, velit nos nostraque Sacrae Congregationi, ad quam scribimus, commendare. Maxime ut occurratur exilio, quod nobis intentatur. Ut Ruthenis Clericis et Monachis ad studia Romam, vel quo Sacra Congregatio iusserit, profecturis, istis afflictis temporibus viaticum provideatur. Ut domus nostra in Urbe ad SS. Sergium et Bacchum et Pater Residens,<sup>132</sup> paterne protegantur. Tandem ut mihi septem annorum indigno Missionario, in hac summa rerum nostrarum egestate (quae me sola ad petendum inducit) (f. 136) munificentia Sacrae Congregationis aliquid impertiatur. Jam vero, ut alia ita et haec impetrata beneficia novo titulo me meosque facient aeternum memores filios et devotissimos servos sacrae Congregationis necnon Ill.mae D. Vestrae, cuius sacram veneratus osculor manum.

Datum 9 Martij, anno secundum correctum Kalendarium 1657, in Monasterio Bitenensi.

Illustrissimae et Dnd.mae Dominationis Vestrae devotissimus Servus

P. BENEDICTUS TERLECKI

S. Theologiae D., Missionarius Apostolicus,  
Ordinis S. Basilii M. per Russiam et Lituaniam  
Provincialis, Nominatus Archimandrita Vilnensis

<sup>132</sup> Procurator in Urbe, qui tunc temporis erat Marcianus Bilozor (1656-1659).

(f. 136v) Quoad exilium aliasque vexationes, Nuncio, ut protegat, ubi opus fuerit, et informet. Quo vero ad viaticum eidem Oratori, ut informet an adsint transmittendi, et quot, cum eorum qualitatibus, et quae sit eius mens, dum ait quo S. Congr. iusserit profecturis, seu vero interim se informet an in Collegio Graecorum in Urbe sint loca vacantia pro Ruthenis et quot.

Et quo vero ad subsidium petitum ab Oratore pro se ipso, Nuncio, ut informet de expositis.

Il Provinciale de Monaci Ruteni in Russia rappresenta la desolazione di tutti quei Monasterij per le guerre, i Beni usurpati, le Chiese, e Conventi demoliti, i Monaci parte ammazzati, e gl'altri ridotti a somma miseria a segno, che per la nudità non possono comparire, et un solo Monasterio rimasto in Lituania con qualche numero de Monaci, benche senza entrate, che converrà anche abbandonarlo se nella pace si stabilisce lo sfratto de Monaci, come procurano i Scismatici dal Moscovita.

Supplica provedersi à quest'essilio, che à loro si prepara, somministrarsi il Viatico à Chierici, o Monaci, che vengono in Roma a i studij, o che si mandano altrove. E darsi qualche sussidio à lui in riguardo del servitio prestato sette anni con legger Rettorica in quel Seminario, due anni filosofia, e Teologia Morale, e finalmente raccomanda la Chiesa, e Residente di SS. Sergio, e Baccho di Roma, etc.

Die 3 Decembris 1657.

## 46.

Bytenj, 12.IX.1657.

*P. Benedictus Terleckyj, OSBM, de difficillimis circumstantiis sui Ordinis nec non de expeditione quorundam Alumnorum ad Collegia Romana etc.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen. (Cause)*, vol 313, fol. 135rv.

Ill.me et Rnd.me Domine, Domine et Patrone Obss.me.<sup>133</sup>

His afflictissimis Patriae nostrae temporibus, et decumana quam Catholici patimur tempestate, hoc miseros solatur unicum, quod dum pusillum gregem, schisma iunctum haeresi, quia ex fide non potest, ex patria conetur exturbare, habeamus Romae caput, ubi capita nostra devotissime inclinemus, et reclinemus. Id causae fuit me fidentissime Vestrae Celsitudini superioribus et quidem non rariis perscripsisse, quid post annum Iubilei ex Collegio de Prop. Fide Missionarius redux egerim, quid ipse, Religio Basiliiana et omnes Rutheni Sanctae Romanae uniti Ecclesiae passi et patiamur, quae denique suffragia et suppetiae, quas a Sacra Congregatione meo ac Basilianorum Unitorum (quorum indignus Provincialem ago) nomine imploravi. Et licet nihil ab Ill.ma Celsitudine Vestra, ad quam aliquoties dederam litteras, responsi tulerim (f.

<sup>133</sup> Forsan Secretario S.C. de Prop. Fide, Dionysio Massari (1649-1657).



135v), fretus tamen Sacrae Congregationis pietate, et Vestrae Ill.mae Celsitudinis zelo, nuper duos, anno autem praeterito tres Ordinis mei expedivi ad Urbem iuvenes, datis prioribus et hisce litteris ad Celsitudinem Vestram: a qua uti petii, ita enixe modo peto, dignetur isti iuventuti, mox Ecclesiae unitae cum Romana Catholica profuturae, in Sacro de Prop. Fide aut Graeco Collegio locum ex autoritate Sacrae Congregationis assignare; Sunt et alia quae humillime a Sacra Congregatione per Celsitudinem Vestram precatus sum; sed illam forte proposuit Residens ad aedes SS. Sergij et Bacchi; quare millies vota mea commendans, sacrae Celsitudinis Vestrae dexterarum devotissimum figo osculum.

Scriptum Bithenij, in Monasterio nostro, 12. 7bris, Anno 1657.

Ill.mae et Rnd.mae Celsitudinis devotissimus Cliens

P. BENEDICTUS TERLECKY

Or. S. B. M. Prov.

#### 47.

*Bythenii, 26.IV.1658.*

*Benedictus Terleckyj card. Fr. Barberini, de crudeli persecutione Unitorum per Moschovitas; de Patre Martiano Biallozor, Episcopo, ad titulum missionariatus creando.*

BIBL. APOST. VAT., *Barb. lat.*, vol. 2170, fol. 122.

MUH, vol. III, pag. 22-3.

Eminentissime et R.me Princeps, D.ne et Patrone Colendissime.

Vesana crudelitatis Moschoviticae rabies, dum machinante spiritu improbo adstrictos intime Ecclesiae Romanae unitos totis nervis conatibusque evellere proposuisset, ipsa ad petram huius Ecclesiae allisa videtur. Stetit enim impertubabilis ad caedem illorum Unio et oecumenici Pastoris licet pusillum gregem tamen semper fidelem omnino servavit. Non tamen in tantis, infimi et modici spiritus, imo ad continuum Dei laborem studiosissime fertur, hoc vel inde probatur, quod humillime per Eminentiam Vestram Sacrae Congregationi de Propaganda Fide supplicet, quae studiosos nostros Roma redeuntes post studia missionariorum titulo insignire dignetur, habens pro manifesto magnum in animis lucrandis redundare fructum et ad eundem perficiendum Religionem nostram alacrius magisque obligatam. Et quod rei est, hoc medio occurreret illi inconvenienti, quod Religiosi iuvenes habentes parentum suorum, Procerum Regni promotiones, mox post studia ad honores evehantur, nullum fructum studiorum suorum in Religione relinquentes. Quare cum pro nunc Admodum R.dum Patrem Martianum Biallozor<sup>134</sup> ad requisitionem Ill.morum Parentum eius, Procerum Regni, Unioni et Religioni no-

<sup>134</sup> Procurator in Urbe, Marcianus Bilozor (1656-1659).

strae vel maxime faventium, ex Urbe revocare decreverimus, ne hic titulo praefati Officii frustretur, negotium hoc patrocinium Eminentiae Vestrae praestolatur, praesertim cum Religio ob integram sui devastationem nec viaticum eidem subministrare valuit. Cum vero me Sacra Congregatio post studia expediret in patriam, quasi curam mei semper habitura, iussit me consecrari ad titulum non Religionis sed missionariatus. At cum a Religione providerer, a Sacra Congregatione tum operarii mercedem non petii. Nunc ea collapsa, per Eminentiam Vestram iam ad eandem, ut provideatur, recurro.

Aedem Sanctorum Sergii et Bacchi Eminentiae Vestrae humillime commendo, ita enim illa protectore te optimo illaesa et intrepida continuo pollicebitur, dum patrum tui intacta custodire vota ipse patronus videberis. Ea vero quae nondum in illo loco ob pauperiem Religionis per R.dum Patrem Biallozor haud exiguum illius loci zelatorem sunt perfecta, per subsequentem perfici curabimus. Cum his caetera praesentanda Eminentiae Vestrae a R.do Patre Biallozor vel substituto eius, patronum velim in Sacra Congregatione Propagandae Fidei Vestram Eminentiam experiantur. His praemissis, Eminentiae Vestrae sacram deosculor purpuram.

Bythenii, die 26 Aprilis 1658.

Eminentissimae et R.mae Celsitudinis Vestrae humillimus Servus

BENEDICTUS TERLECKI

Ordinis Divi Basilii Magni per Russiam et Lituaniam Provincialis  
et per utramque Missionarius Apostolicus

48.

Varsavia, 8.XI.1659.

*P. Benedictus Terleckyj petit, ut Innocentius Terpilovskyj ad Hospitium SS. Sergii et Bacchi nec non in Procuratorem in Urbe non admittatur.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 18 (Fondo Vienna), fol. 177rv.

Ill.me et Rev.me Domine, Domine Oservandissime.

Discessit Romam Religionis meae Monachus P. Ignatius Terpilowski,<sup>135</sup> contra voluntatem meam et sine obedientia, missus a quibusdam qui hoc facere nullatenus debuerunt, ut fortassis Rnd.mus Dominus Episcopus Chelmensis suae Ill.mae Dominationi perscripsit.<sup>136</sup> Attendatur ibi nostrum ad aedes S. Sergij et Bacchi Residentem, imo et ad Sanctissimum agere Internuncium

<sup>135</sup> Ignatius Innocentius Terpilovskyj, missus Romam pro Residente in Hospitio SS. Sergii et Bacchi, ab una parte tantummodo monachorum, sub ductu Archiepiscopi Polocensis Gabrielis Kolenda (1652-1674), tunc Administratoris Metropoliiae Kiovensis, qui et ipsam Metropoliā obtinere contendebat. Terpilovskyj mox in patriam rediit, et Procurator nunquam devenit.

<sup>136</sup> Episcopus Chelmensis Jacobus Susza (1652-1687); hic erat Romae annis 1664-1666, simul cum Patre Pachomio Ohilevyč (1662-1664).

nostrum omnium; cui tamen eius utrique functioni protestor me nolle subscribere, neque hoc modo unquam a me illum esse missum; et devotissime rogo ad monasterium SS. Sergij et Bacchi illum non admitti, iuberique (f. 177v) ad Monasterium a me illi assignatum reverti, et benigne permittere, ut ii modo locum illum gubernent, qui modo reperiuntur in illo, donec Religio provideat de persona digna, prout iam virum dignissimum providerat, misissetque, nisi iste P. Terpilowski quorundam malo consilio intrusus rem totam cum magno Unionis et Religionis dispendio impedivisset.

Ill.mae et Rev.mae D. Vestrae devotissime osculor manus.

Varsaviae, die 8 Novembris 1659.

Ill.mae et Revd.mae Dominationis Vestrae devotissimus Servus  
BENEDICTUS DE TERLECKI  
O.D.B.M. Provincialis

## 49.

Romae, 16.III.1660.

*P. Innocentius Terpilovskij transmittit Congregationi « modum uniendi Ruthenos », ab Archiepiscopo Polocensi confectum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Generali (Fondo Vienna)*, a. 1659, vol. 18, fol. 310.

Modus uniendi Ruthenos, ab Ill.mo Archiepiscopo Polocensi<sup>137</sup> inventus et Sacrae Congregationi F.P. oblatum 16 Martii 1660.

Petit in primis consilium, si non habeant aliquem modum, quo possint Uniti calamitates in Comitibus constitutas evadere; apud se dicit esse illum, ex consilio aliorum.

1°. Si Schismatici recta sentire tum de Sede Apostolica, tum de Processione Spiritus Sancti monstrabuntur, sed tantum volent, ut jungantur per fraternam compositionem sine Synodo et protestatione fidei in publico, et forte subscribent privatim, divulgari tamen ob metum plebis nolent, illis coniungi possimus.

2°. Assumatur unus Episcopus D. Wyzga vel Ill.mus Princeps Czartorski; idcirco si non poterimus ab illis obtinere, ut subscribant, quomodo contestationem fidei fecerint, sub quibus conditionibus conjunctio facta fuerit ipsemet Episcopus recognoscat, et Serenissimo Regi referat.

3°. Difficultas in utroque modo illo invenitur haec: Si illi noluerint a Patriarcha recedere, ut ab immediato Pastore suo, quamvis agnoscant supremum caput Summum Pontificem, idemque credere suum Patriarcham affirmabunt, quod firme teneat eandem potestatem supra totam Ecclesiam

---

<sup>137</sup> Archiepiscopus Polocensis Gabriel Kolenda (1652-1674); hic erat tunc temporis Administrator Metropolitae in temporalibus, ex voluntate Regis Joannis Casimiri (1648-1668).

Summum Pontificem habere, quam S. Petrus a Christo Domino accepit, possimus ipsum pro immediato Pastore recipere. Quodsi voluerit id contestare Patriarcha, eo ipso ansam dabit Ruthenis, ut abscindantur ab eo, et Patriarcham sibi alium creent, ut in Moschovia factum est. Hoc totum ita faciendum est, ut coram plebe Superiores eorum evadant liberi a suspitione, quod non Uniti tunc fierent, sed nos, Uniti, ad illos accesserimus; fraude sic volunt divulgare coram plebe, quod nos ad eos ad fidem antiquam accesserimus. Haec sunt consilia prospicientes malis nostris, modo Sedi Apostolicae placeant; non libenter nos vellemus recedere ab immediato Pastore et Vicario Christi, successore S. Petri. Verum vel mala nos praesentia ad hoc urgent, vel certe bonum aliquod, et conversio gentium. Quam utinam Deus promoveat.

INNOCENTIUS TERPILOWSKI, O.S.B.M.

(f. 331v) Scribat Pater Innocentius Archiepiscopo, ut praedicta conferat cum E.mo Vidonio,<sup>138</sup> et deinde uterque S. Congregationi distinctius explicet.

50.

*Romae, ... 1660.*

*P. Innocentius Tepilovskyj enarrat de missione novi Procuratoris et de sua missione in Urbem.*

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Gen.*, vol. 18 (Fondo Vienna), fol. 203.

Eminentissimi Principes.

Deosculans oram Eminentissimi Pallii Vestri, Sacrae Congregationi causam adventus mei vel potius crucem, in qua gloriari licet, quam brevissime propono. Inter saevam Cosacorum tyrannidem latitans, non meis viribus fretus, sed eius auxilio, qui non vult peccatorem perire, ipsemet redii, et P. Esaiam Ray Wolborsky, Concionatorem celeberrimum, e Schismatis tenebris ad lucem Sanctae Unionis eduxi. Qui cum summo emolumento Ecclesiae Sanctae in cathedris Novogrodiae, Minsci etc. contra Schisma militans, ante aliquot annos, in amplexu Ecclesiae gloriose obiit. Idem munus, quamvis non cum tanta gloria, Vilnae, Zyroviciis, Suprasli etc. tenui hucusque, et adhuc tenerem. Verum majores mei aliud iudicarunt. Ante aliquot menses, utpote praeterito anno, in Iunio Zyroviciis congregati, publica voce Ill.mus Administrator Metropolitanus,<sup>139</sup> R.P. Provincialis, Consultores, Archimandritae, Superiores etc. me pro Residente Romam elegerunt, R. Patrem Ohilewicz<sup>140</sup> pro

<sup>138</sup> Nuntius Varsaviensis Petrus Vidoni (1652-1660); ab an. 1660 (5.IV.) nominatus Cardinalis; obiit in Curia Romana in Januario 1681.

<sup>139</sup> Gabriel Kolenda, Administrator Metropoliiae (1655-1665).

<sup>140</sup> Pachomius Ohilevyč, OSBM, Alumnus romanus, ex Minsco, ann. 22 (1645), ingr. die 18.XII.1645, absoluta theologia et Laura obtenta, discessit 20.VIII.1652; dein Residens romanus (1662-1664), Vicarius Ordinis in temporibus Kolendae, Protoarchimandriata ab anno 1675-1679, Consultor Ordinis 1679-1686; obiit ante annum 1690.

Legato. Post hanc Congregationem, in Augusto, iterum Archiepiscopi, Episcopi, Archimandritae etc. congregati Suprasli, per Ill.mum Dominum Administratorem convocati, R. Patrem Ohilewicz abjudicarunt ob has causas: 1.mo: Episcopi Rn.do Patri Provinciali subscriptas manu sua concrediderunt literas cum spatio, ut in eo inscriberetur is, qui in Congregatione pro Residente Romano et Legato eligeretur. R.P. Provincialis,<sup>141</sup> ante Congregationem, inconsultis aliis, insciis Episcopis, Patrem Ohilewicz inscripsit, et in Congregatione primo inscriptum monstravit; 2<sup>o</sup>, P. Ohilewicz Residentiam Romanam, quamvis inscriptus, renuit; 3<sup>o</sup>, considerabant sumptus intolerabiles, praesertim depopulatis, cui non potuerunt suppetere, nisi ex thesauro Ecclesiae vendito. Me igitur unum tolerabilius mittere iudicarunt. Confirmant itaque 2do, mittunt, et commendarunt Beatissimo Patri ferme omnes Episcopi, Sacrae Congregationi et Eminentissimis Cardinalibus Ill.mus D. Administrator. Unicus R.P. Provincialis, primo me publice elegit, nunc privatis litteris, contra totius status nostri ecclesiastici Rutheni voluntatem, et contra meam spem revocat. Unde quantum Unio Sancta cum Episcopis erubescere debet et schisma gaudere, non mei sed Eminentissimi Iudicii Vestri pondus est. Sententiam expecto. Paratus, vel hic remanere et commissa peragere; vel ad Patriam redire, et eodem quo prius officio fungi. Alterutra gratia accepta est. Quam Deus etc.

INNOCENTIUS TERPILOWSKI, O.S. Basilii M., Ruthenus

(fol. 204v) Em.mis Principibus S. Congr. de Prop. Fide Cardinalibus. - R. 23 febraro 1660.

## 51.

Zyrovyci, 10.III.1661.

*P. Provincialis Benedictus Terleckyj mittit Romam Procuratorem generalem promissum, P. Pachomium Ohilevyč.*

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Gen.*, vol. 18 (Fondo Vienna), fol. 322.

Ill.me ac Rnd.me Domine, Domine Patrone Colendissime.<sup>142</sup>

Quid recens iam, hoc est mense proxime elapso, ego et Monachi mei ab Ill.mo Archiepiscopo Polocensi sustinuerimus, et etiamnum sustineamus, taedet referre, ut etiam vitae ipsius, quam agere inter turbas istas, est mori potius, quam vivere. Referet, credo, S. Congregationi Ill.mus Dominus Nuntius, ad quem nudius tertius misi Ordinis Consultorem, eundemque promissum pridem Romam Residentem, qui voce viva, quotidianum mori istud nostrum exponat Ill.mo; idemque non amplius in Lituaniam revertens, recta iam Romam petat. Cuius solius occasione hasce ad Ill.mam Dominationem

<sup>141</sup> Provincialis Benedictus Terleckyj (1656-1661) ter electus. Cfr. notam 114.

<sup>142</sup> Secretario S.C. de Prop. Fide, Mario Alberici (1658-1664).

Vestram instituens, obnixe eandem rogo, ne meo, aut Ordinis mei vitio, sed meae ac eiusdem Ordinis extremae, maxime per Moschum nuper inductae, necessitati tantam moram tribuere apud Eminentissimos Patres dignetur, eosdemque certos reddere de adventu eius Patris. Me interim, et pauperem Religionem meam, tum residentes Romae Religiosos,<sup>143</sup> commendo Ill.mae D. Vestrae gratiae, eiusque sacram devotissime exosculor Dexteram.

Datum Zyroviciis, 10 Martii 1661.

Ill.mae et Revd.mae Dominationis Vestrae humillimus Servus  
BENEDICTUS TERLECKY  
O.S.B.M. Provincialis

(f. 323v) Die 13 Junii 1661. Respondeatur.

## 52.

Lublin, 10.IV.1661.

*Joannes Malachovskyj revertitur Romam et narrat causam.*

APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 18 (Fondo Vienna), fol. 75.  
MUH, vol. III, pag. 111, nr. 54.

Ill.me et R.dissime Domine, Domine et Patrone Colendissime.

Illud temporis spatium quod mihi emetiendo in Poloniam itineri proposueram, Deus aliter disposuit; nam partim adversa iam mea, iam socii valetudine, partim insolitis fluviorum exundationibus ventorumque vehementia, partim aliis pedestris itineris incomodis et remoris, non prius Chelmam perveni, quam Martii 25 die. Animus nihilominus erat liberandae datae Ill.mae D.ni Vestrae reditus mei ad dies Maii fidei, mox ut veni, etiam abire, et Romam ire Chelma, commendatis tantum et non confectis negotiis meis, ut reipsa feci. Sed haec, quae sequuntur, ad unius alteriusve septimanae retinere me intervalum; lassarum virium ratio, valetudinis, ne ex continuato labore tanto cederet, cura, et praesens eaque commodissima cum Admodum R.do Patre Pachomio Ohilewicz, adhuc anno praeterito ad Residentiam SS. Sergii et Bacchi promisso Ordinis Consultore, Romam intra paucas septimanas ituro redeundi occasio, quae omnia, firmando hic tantisper gradui, maximum afferre momentum iudicavit etiam Ill.mus D. Episcopus Chelmensis. Cum itaque ita Deo mecum statuere visum sit, confido etiam Ill.mae D.ni Vestrae molestum id minime fore. Sed si quid ultra praestitutam reversioni meae metam protraxero reditum, id benigne dissimulare, vultumque, quo me ante dignata est Ill.ma et Rd.ma Dominatio Vestra eundem, dum rediero servare (f. 75v) dignabitur.

<sup>143</sup> Tunc Romae erant in Studiis in Collegio Graeco: Bohdanovyč Hieronymus, Cyprianovyč Simeon, Zochovskyj Cyprianus, Balevyč Athanasius, Joannes Malachovskyj etc.

Quod dum humili prece expeto, me Ill.mae et R.mae D.nis Vestrae gratiae et patrocinio commendo.

Lublina, 10 Aprilis 1661.

Ill.mae et Rd.mae D.nis Vestrae inutilis et humillimus in Christo Servus  
JOANNES MALACHOWSKI <sup>144</sup>  
Ord. S. Basilii M. (mp)

(f. 76v) Ill.mo et Rd.mo D.no, Mario Alberitio, Sacrae Congregationis de Propag. Fide Secretario, Domino et Patrono meo colend.mo Romae.  
Lublina, 10 Aprile 1661.

Giovanni Malachowski avvisa di haver consumato il tempo destinato per il viaggio di Polonia in malattie e dimore cagionateli dall'inondationi grandissime, che colà sono seguite, con tempeste impetuossime di venti, di modo che non poté pervenire à Chelma, che per li 25 di Marzo, e per ritornare, conforme à V.S. Ill.ma ha promesso nel mese di maggio; si è sbrigato come meglio ha saputo de' suoi negotij, et in breve dice ch' s'invierà à questa volta assieme con il Padre Pachomio Ohilewicz, Consultore dell'Ordine.

Die 13 Junii 1661. Respondeatur.

53.

*Pinski, 20.XI.1662.*

*Soror Euphrosyna Tryzna episcopo Susza scribit, quid contigerit in Monasterio Pincensi, post adventum Cosacorum.*

APF, *Fondo di Vienna (Scr. rif. etc.)*, vol. 17, fol. 118-119, *versio e polonico*.  
MUH, vol. III, pag. 146-49.

Litterae Venerabilis Sororis Euphrosynae de familia Trysnarum, Ordinis S. Basilii Magni sanctimonialis, Hegumenae monasterii Pincensis, ad Ill.mum et R.mum D.num Iacobum Susza, Episcopum Chelmensem, datae, et e polonico authentico latine redditae.

Ill.me et R.me in Christo Pater, Domineque, Praesul Chelmensis, D.ne ac Pastor Colendissime.<sup>145</sup>

Vehementer doleo, quod tabellarius Vestrae Dominationis Ill.mae non me repererit in exusto monasteriolo meo. Haud minus item doleo, quod inter hosce tumultus spatio duorum annorum palans tectaque aliena oberrans illud consequi non potuerim, ut Ill.mam Dominationem Vestram Patronum Benefactoremque meum, coram convenirem, deque omnibus verba conferrem, tum

<sup>144</sup> Joannes Malachovskyj, OSBM, Alumnus romanus Collegii Graecorum, ingressus 15.XI.1664, ut convictor, propriis expensis; sed iam anno 1665 (2.VII) egressus propter valetudinem, dein Episcopus Peremyliensis (1669-1692). Forsan erat Romae adhuc prima vice, quia anno 1661 tantummodo e patria rediit (?).

<sup>145</sup> Jacobus Susza, Episcopus Chelmensis (1652-1687); ei Soror Basiliana litteras dedit de sua vita in civitate Pincensi, ubi erat Superiorissa.

ut meam etiam calamitatem exponerem, quam una cum Sororibus meis sustinui. Perscribi, ut par est, nequaquam potest, quid pertulerimus toto hoc quindecim annorum intervallo, maxime vero cum Hungari Brestiam caepissent, advenissetque Pinscum cum Cosacis Pater Tukalsky,<sup>146</sup> ac totum districtum ad suam potestatem redigissent Cosaci, nec vero Pinscensem tantum occupassent districtum, sed et per alios districtus dilagassent praesidiarios milites. Praevidebant quippe liquido neminem esse, qui aliquid adversus diceret. In ecclesiis pro Regia Maiestate de more non supplicatum, at pro Chmielnicky duntaxat,<sup>147</sup> proque se preces fundi voluit. Ill. mum D. num Archiepiscopum nostrum eduxere Pinsco, miseratione usi ut unum praedium ei cesserint. Vetuere tamen, quominus Pinscum ventitaret.

Vicarius quoque Ill. mi D. ni Archiepiscopi, qui et a confessionibus nobis erat, cedere Pinsco iussus. Nos vero calamitosae oves sumus destitutae Pastore, Patreque animarum nostrarum, cum ingenti dolore nostro. Postquam exacti Pinsco nostri, Pater Tukalsky presbyteros coram iussit venire omnes, praecepitque sese ad (*fol. 118v*) exomologesim pro imminente die dominico apparent, Unionem Sanctam, si qui in possessione bonorum consistere vellent, eiuraturi. Die deinde dominico adveniente, processionem frequentem instituire, ducentos nostros presbyteros, ut Unionem eiurarent. Cui processioni catholici quoque aderant illustres. Comperio, mi Ill. me Domine, ad vices principis fidem quoque componi. Fuerunt cives haud pauci, qui adeo constanti animo erga Unionem Sactam erant, ut nec ad processionem istam venerint, nec ullis sacris toto eo tempore, quo morati sunt Cosaci Pinsci, interfuerint, sed in domibus suis rebus divinis vacare maluerint. Nos autem, calamitosae virgines, ita ab omnibus desertae in ecclesiola nostra haerebamus, sollicite nosmet Deo commendantes. At non deseruit nos Servator noster, etsi tanquam in deserto essemus, sacrosancto Sacrificio destitutae, destinavit solatio mentium animarum nostrarum hominem, qui cum immanis Schismaticus esset, Dei permissu mente captus vagabatur per civitatem. Hic non accessit ad processionem. Quia vero nos rei divinae vacabamus, ecclesia reserata erat. Venit ad ecclesiam, sed, postquam advertisset timere nos, constitit in porta ecclesiae, caepitque mox allegare haec verba: Ne timeas, pusillus meus grex, ego vobiscum. Post admonebat nos constantiae in proposito nostro, et ne flecteremur sive precibus, sive minis, asseverans non diu ista duratura, sed quamprimum Dominum Deum nos consolaturum. Identidemque hortabatur, ne ad ullas comminationes exhorresceremus, sed constanter in Unione Sancta perseveraremus. Quae praedictio brevi impleta est; nam post aliquot dies venit tribunus Cosacorum uno socio comitatus. Quoniam vero Ill. mus D. nus Archiepiscopus tanquam Pastor Patreque miserat exploraturus, quid ageretur nobiscum, tribunus reperit famulum Ill. mi ad portam, quae cum aperta esset,

<sup>146</sup> Josephus Neljubovyč-Tukalskyj, postea Metropolita Kioviensis non-unitus unius factionis cosacorum (1664-1676).

<sup>147</sup> Revera Pinsci in Liturgia commemorabatur Chmelnickyj et Tukalskyj, ut quidam Episcopus.



recta ad illud cubiculum perrexit, in quo ego scribebam ad Ill.mum D.num Archiepiscopum litteras, ea quae nobiscum agebantur significans. Dei providentia factum, quod eas litteras non adverterit. Postquam venit, hisce me salutavit: Tu vero, inquit, quam ob causam nostrum Superiorem Lescy<sup>148</sup> non adis, eum recognitura? Cumque plura, quae ipsemet vellet, effutiret, ego brevibus respondi: Nobis moris non esse per civitatem divagari; praeterea D.num Tukalsky in Superiorem Pastoremque non agnoscere nos. Hic ille frameam appetere, iamque dimidiatam evaginaverat, sed assaula seu consiliarius magnus, qui ipsum comitabatur, cantinuit quominus totam evaginaret. Ego etiam dixi: Mortem non exhorreo, pridem mundo defuncta sum, hodie crasve exolvendum est hoc debitum. Melius autem id praestare me haud posse, quam si pro fide sancta mortem oppetam. Quare ira efferatus iterum frameam petiit; sed assaula non permisit. Iussit acciri Cosacos, effractaque est porta; venère tot, ut totum monasterium circumdarent, eamque aedem quam inolebamus cingerent; cubiculum quoque frequentes ingressi sunt. Mox interrogavit Cosacos, an compedes tulerint. Responderunt, tulisse. Dixit me onerandam esse mittendamque Czehyrinum,<sup>149</sup> quod Tukalscium in pastorem agnoscere nollem. In summa (*fol. 119*), ut ipsimet libuit, ita me cosaticis inhonorabat vocabulis. Brevibus ipsi regerebam: Esse mihi pastorem quem observem proprium; fidei, quae me in hanc lucem editam excepit, sperare, Deo propitio, etiam immorituram. Iam me variis insigniebat titulis: Schismaticam, Disunitam, Lechidam vocitans, frameam vero interim identidem corripiens, nisi sese frugi profecto homo assaula ille opponeret. Asserebant Cosaci, ex more ipsorum esse, ut postquam primum frameam vagina educeret, omnes nos decollaret, persuadebantque ultro Sororibus, ego ut cederem illo cubiculo, testantes rem malo ingenti non vacaturam, nisi excederem. Mihi vero non aderat cedendi animus, mortem quoque minime formidabam. Et sane erupturum erat aliquod malum, nisi Magnifica Domina Kaszewska, Magnifici Venatoris Voliniae uxor, toto nisu contenderet, quo nobis opem ferret. Itaque in D.num Kossow incidit, quem per Deum obtestata est, nobis ut opitularetur. Tum vero veniens D.nus Kossow, mox aggressus est hominem hisce: Per ego te Deum, quid agitas? Postquam resciverit Chmielnicky, rem hanc sane haud est probaturus. Ad me vero accedens monebat, ut cederem. Ergo sponte Cosaci cessère, ut exirem ego, atque exiguo post exclamarunt: Domine tribune, Hegumena elapsa est! Caepit moleste ferre me dimissam, cum ex arce venerunt, qui eum illuc vocarent. D.nus etiam Kossow diligenter curabat evocare hominem foras. At ille nulla ratione exire volebat, antequam me sancte, uti aiebat, deprecaretur. Ego equidem nolebam, cum D.nus Kossow venit ad me, persuasitque, ut irem ad tribunum. Postquam veni, abiecit se ad pedes mihi, deprecans, ut veniam ipsi impertirem, causam vero sui malefacti iussis Tukalscii assignans. Longum est, si percensere velim, quae acta sunt, ut

---

<sup>148</sup> Agitur de Archimandria Leszczynensi.

<sup>149</sup> Czeheryn, sedes cosacorum ucrainensium

aliquoties voluere me clam correptam Czehyrinum deportare. Varie disseruere consuluereque in commune: volebant totum monasterium ecclesiamque flammis absumere, sed Dominus Deus ad eorum cogitatus eo tempore non annuit. Nihilominus postmodum tandem a Cosacis et Moschis nostrum monasterium et ecclesia combusta est. Ecclesiae vero monasteriaque Schismaticorum integra superarunt. Nos vero parum abfuit, quin et ipsae in manus eorum deveniremus, et vix aegre salva vita evasimus, utque aliquam quamlibet nostrum contigit se tunc habere, ita fugam arripuimus; nam illi in civitatem iam penetrarant, cum proiectis rebus omnibus discessimus. His ita significatis, me gratiae Ill. mae Dominationis Vestrae commendo.

Datum e monasterio Sanctae Barbarae, novembris 20, anno 1662.

## 54.

(Ex Russia), ca. 1663.

*Animadversiones quaedam de defectibus Capituli ab Archiep. Kolenda celebrati (12.II.1661), necnon responsiones eiusdem Archiepiscopi.*

APF, *Fondo di Vienna (Scr. rif. etc.)*, vol. 18, fol. 304v, 304, 305-306.  
 MUH, vol. III, pag. 149-153.

Difetti del Capitolo fatto dall'Arcivescovo di Plosco.<sup>150</sup>

1. Praeter decem tantum, qui intimati personaliter comparuerunt, ex iis, qui per litteras se excusarunt, octo vocales in ipsismet litteris votum dederunt ipsimet Archiepiscopo, et alii tres dixerunt se subscribere omnibus iis, quae fuissent statuta ab ipso Capitulo, ut constat folio 1, a tergo, et fol. 2, per totum. (*in margine*) Electio per scrutinium non admittit per litteras, secus per schedulam obsignatam. Layman, De electione, cap. 4, q. 44.

2. Quia omnium consensu fuit ibi electus in Notarium Frater Gregorius Bienchowschi,<sup>151</sup> qui praeiudicia habet coram Sacra Congregatione et nunquam ab Administratore in executione ordinis Sacrae Congregationis fuit punitus, licet in ipso eligendo dictum fuerit quod diversas mortificationes ob id ei iniunctas persolverit, ut fol. 3, a tergo.

3. Quia ad Capitulum dicuntur admissi Vicarii duorum Monasteriorum, de quibus non constat, an votum eis competeret.

<sup>150</sup> Agitur de Capitulo Generali Suprasliensi an. 1661, mense Februario celebrato, sub directione Archiepiscopi Polocensis Gabrielis Kolenda, qui electus fuit etiam Protoarchimandrita Basilianorum unius factionis. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis Basilianorum*, Romae 1954, pag. 13.

<sup>151</sup> Gregorius Bienkowskyj, OSBM, Procurator in Urbe (1652-1656), qui, factis multis debitis, Roma aufugit in Patriam, requisitus a Congregatione de Prop. Fide, ut puniatur; sed loco punitiois fuit potius premiatus, ut ex. gr. in praesenti Actu monastico, ubi electus fuit Notarius, et postea etiam alia premia acquisivit et Archimandriam Grodnensem obtinuit (1665-1675) etc.

4. Quia ipse Archiepiscopus post haec legi fecit non solum quaedam Brevia SS.mi, ex quibus ipse deducit, se auctoritate pontificia esse Administratorem illius Metropoliae, sed etiam litteras Em.mi Vidoni,<sup>152</sup> tunc temporis Nuncii Apostolici, quibus monet Episcopos, Abbates, Priores ac Religiosos, ut in omnibus obediant D.no Administratori, ut fol. 4 cit. et fol. 5, ac demum ipsemet exhibuit confirmationem regionum privilegiorum, concessorum Ruthenis, in quibus habentur haec verba: « Debet Metropolita Ioseph<sup>153</sup> et eius successores ecclesiasticam sanctam Religionem gubernare, in sui potestate habere, ei praesse, etc. », ut fol. 5.

5. Quia exhibuit aliud privilegium regium, in quo post (fol. 304) recensitos nonnullos episcopatus ac bona ecclesiastica, subduntur haec verba: « Et omnes isti episcopatus etc. nemini alteri conferri debent, quam monachis S. Basilii, quos modernus Metropolita et eius successores praesentabunt et commendabunt », ut fol. 6.

6. Quia statutum fuit, ut Regi supplicaretur, quid faciendum cum monachis qui propositis Suae Maiestatis litteris D.no Administratori nolunt obedire, fol. 9.

7. Quia non explicatur modus electionis, sed solum dicitur, votis certatum esse de eligenda persona, ubi votantibus per litteras D.nis etc. praesentibus etc. omnium vota, nemine discrepante, cesserunt in personam D.ni Administratoris, ut fol. 13, n. 6 et 14.

(fol. 305) Sincerrimum responsum de defectibus suppositis in Sacra Congregatione de Propaganda Fide contra Archiepiscopum Polocensem S. Romanae Ecclesiae unitum.

1. Quod vigore privilegii super Metropolia ab eodem Archiepiscopo habiti sibi usurpaverit administrationem earundem metropolium, non solum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus.

Respondit, se continuisse omnino intra limites oeconomiae seu administrationis temporalis, nec ultra hanc praetendisse, ut cognoscere poterit ipsa Sacra Congregatio ex recursu pluries ad eam habito pro obtinendo privilegio apostolico una cum confirmatione suprascripti Administratoris, de quo etiam bonam intentionem pluries dedit.

2. Quod vero in aliquibus actis (de quibus non recordatur) usus fuerit in subscriptione suo titulo Administratoris spiritualis.

Dicit, bona fide hoc fuisse factum, si vere fecit, dum idem titulus illi daretur in Brevibus SS.mi et in litteris Sacrae Congregationis apud se existentibus. Attamen respectu dictae Metropoliae scit nullo modo excessisse facultatem.

<sup>152</sup> Petrus Vidoni, Nuntius Varsaviensis (1652-1660). An. 1660 creatus fuit Cardinalis; obiit an. 1681.

<sup>153</sup> Agitur de Iosepho Velamin Rutskyj, Metropolita Kioviensi (1613-1637), qui anno 1617 in Lulio Ordinem Basilianum in Capitulo Novogrodicensi instauravit, Regulaeque ei dedit.

tes illi impartitas ab Ill.mis Nuntiis iuxta potestatem eisdem demandatam a Sanctitate Sua, et ab eadem Sacra Congregatione moderno Ill.mo Nuntio, a quo propterea sub die 14 maii 1662, ob magnam locorum distantiam, per suas expressas litteras facultatem habuit conferendi ordines usque ad prebyteratum, et omnia munera ordinaria et episcopalia peragendi, et ab Ill.mo Nuntio antecessore sub die 3 novembris 1657 illi pariter commissum fuit, ut disciplinam regularem inter Religiosos servari faciat; demum sub die 6 iulii 1660 facultatem eidem concessit omnia tam in temporali quam in spirituali ad Metropoliā spectantia communi consilio aliorum Praelatorum agendi, quam facultatem pariter illi confirmavit modernus Ill.mus Nuntius, sub die 2 aprilis 1661.<sup>154</sup>

3. Quod autem spectat ad excommunicationem per ipsum Archiepiscopum in contumaciam latam contra R.dum Patrem Provinciale praeteritum ad instantiam R.di Patris Korsak Archimandritae.

Dicit pariter, se id fecisse in vim particularis et absolutae facultatis concessae illi super decisione praedictae causae ab Ill.mo Nuntio praeterito, sub die 22 septembris 1659, qua facultate etiam usus est, quia dictus Pater Provincialis<sup>155</sup> citatus nunquam comparere voluit, et si se gravatum putabat, aderat remedium recursus ad Superiores.

4. Alios vero excommunicasse, necnon dioecesanis alienis dimissorias dedisse aut etiam nepotem suum in Episcopum consecrasse.

Dicit hoc omnino alienum esse a veritate, nec unquam posse probari, et quoad nepotem suum, nec esse episcopum.

(fol. 305v) Quare rogat humillime Sacram Congregationem, ut in his et aliis calumniis benignam aurem illi praebere dignetur, antequam eum condemnet, quia ex his cognoscit, quod nimium falsa contra eum supponuntur in ipsa Sacra Congregatione, quamvis in administratione praedictae metropoliae nunquam iure ordinario, sed delegato, ut dictum est, processerit.

5. Ratione Patris Innocentii Terpilouski, pro legato et residente, quasi per eum solum Archiepiscopum Romam missi.

Respondit nec hoc subsistere, quia a tota communitate, praesente ipso R.do Patre Terleschi, ut supra, electus est et destinatus fuit, prout apparet ex actis Congregationis habitae Zyroviciis sub anno 1659. Sed quia postmodum suborta est discordia, hinc postea alium elegerunt pro legato, nempe Patrem Ohilevium, quem et Romam ultimo, post obitum R.di Patris Terlecki, electo eodem in Provinciale, miserunt.

6. Quod praetendatur non paruisse ordinationi Sacrae Congregationis circa puniendum Patrem Bienkouski.

Respondit, in Congregatione generali electionis ipsius Archiepiscopi in Protoarchimandritam seu Generalem sub die 12 februarii 1661 eundem puni-

<sup>154</sup> Antonius Pignatelli, Nuntius Varsaviensis (1660-1667).

<sup>155</sup> P. Benedictus Terleckyj, Provincialis Basilianorum post mortem Metropolitanae Sielava (1656-1661).

visse quantum illi permisit eadem Congregatio. Prius enim non potuit, quia fuit impeditus ab aliis Patribus, et praecipue a dicto R.do Patre Terlecki, asserente, quod sine communitate hoc facere non poterat, et quod etiam eundem ordinem puniendi habuerat a Sacra Congregatione R.mus Chelmen-sis, et nihilominus executus non fuerat, quamvis idem Pater Bienkouski post reditum Roma apud ipsum mansisset.

An vero electio supradicta Archiepiscopi in Generalem sit canonica, et ser- servandis facta, ac praesertim ad instantiam totius communitatis, non autem ad suam, cum ad hoc vel maxime a congregatis sollicitatus prorsus se remisit ad Acta eiusdem electionis missa per Ill.mum modernum Nuntium, cui etiam consignavit litteras responsorias ad binas Sacrae Congregationis eodem fere tempore receptas, quas solas sub tempus moderni Ill.mi Nuntii habuit, nempe unam de data 14 Septembris 1661, et aliam de data 16 Octobris eiusdem anni, et si aliquae deperditae sunt, aut etiam interceptae, prout alias expertus est, illi non est imputandum. In hoc enim nunquam agnoscit se peccasse, quia semper ad singulas, tam Sacrae Congregationis, quam Ill.mo- rum Nuntiorum cum omni debita reverentia et promptitudine respondit.

(fol 306) De caetero Deus est testis, quod nihil est, quod magis ipse desideret, quam concordiam cum R.mo episcopo Chelmensi et aliis mihi contrariis, si qui sunt, nam eos omnes in charitate Christi semper dilexit et diligit, ac Sacram Congregationem et Ill.mos Nuntios ea qua debet reverentia veneratus est et veneratur, nec velle quicquam ultra iustum, et conveniens expresse se declarat, super quo se totum et causam suam commendat et committit Sacrae huic Congregationi, obnixè poscendo, ut imposterum beni- gniam aurem ipsi servare velit contra malignantes.

(fol. 306v) Rutheni. Risposte del Polocense alle querele date contro di lui.

## 55.

(Ex Russia), a. 1663.

*Summarium de tribus Capitulis Basilianorum, quae fuerunt Torokanense II (6.II.1661), Suprasliense I (12.II.1661) et Zyrovicense IV (19-27.XII.1661).*

APF, *Fondo di Vienna (Scr. rif. etc.)*, vol. 17, fol. 185-191v.

MUH, vol. III, pag. 160-166.

Sommario circa i tre Capitoli celebrati da Ruteni con altre doglianze contro l'Arcivescovo di Plosco.<sup>156</sup>

Il Padre Pacomio, moderno Provinciale de monaci Basiliani Rutheni uniti, che, come è noto all'Eminenze Vostre, si trova da più mesi in qua in Roma per rappresentare alla Sacra Congregazione lo stato della sua Religione<sup>157</sup> e supplicar di rimedio opportuno, rappresenta assai minutamente le scissure e

<sup>156</sup> Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Polocensis (1652-1674), Administrator Metropoliae (1655-1665), dein et ipse Metropolita (1665-1674).

<sup>157</sup> P. Pachomius Ohilevič, OSBM, Residens romanus; cfr. de ipso notam 140.

disordini nati nella sua Religione per gli attentati di Mons. Arcivescovo di Plosco, poiché non ostante che dalla S. Congregatione sia stato più e più volte espressamente ributtato nella sua pretensione di esser Metropolita de Ruteni, finalmente, deposto ogni rispetto, ha usurpato quel titolo et autorità sopra tutti, et anche la superiorità sopra i monaci, allegando per suo fondamento la lettera circolare scritta dal Signor *Cardinal* Vidoni, mentre che si accingeva al ritorno, in cui esortava tutti gli Uniti alla concordia e pace religiosa, et ad eseguire quello fosse stato loro consigliato dall'Arcivescovo (*fol. 185v*) di Plosco, Amministratore di quella Metropolia, con ricorrere a lui in tutte quelle cose, che così nello spirituale come nel temporale gli sono state concesse dalla Santa Sede.

(*in margine*) Avvertimento di Monsignor Segretario. - Per maggior notizia del fatto devo ricordare all'Eminenze Vostre, che il Signor Card. Vidone, mentre era Nuntio, richiesto più volte dalla S. Congregatione del suo parere circa le continue istanze che faceva l'Arcivescovo per essere dichiarato Metropolita, sempre rispose, che non era espediente; onde l'Arcivescovo perduta la speranza di ottener l'intento per questa via, si levò la maschera et incominciò ad esercitare da se stesso alcuni atti di Metropolita, di che risentitasi la S. Congregatione, egli non solo fece poco conto di Mons. Nuntio, che ne lo volle avvertire, ma rispose alla medesima assai temerariamente di non haver in ciò bisogno della confermatione di lei, bastandogli gli altri fondamenti che ne deduceva, che dall'Eminenze Vostre furono ributtati, come assai deboli, onde non è (*fol. 186*) facile a conoscere, perché il Signor Cardinale si disponesse poi nella sua partenza a concedere una lettera simile ad un huomo, che contro gli ordini suoi e della S. Congregatione pur troppo stendeva la sua autorità con titoli e pretesti assai minori di questa lettera.

Col fondamento dunque di questa lettera, come dice il Padre Pacomio, si fece lecito l'Arcivescovo d'intimare di sua autorità un Capitolo in un luogo sospetto a monaci adherenti al Provinciale Terleschi, che all'ora governava la Religione, e d'inhibire insieme a medesimi perché non celebrassero il loro Capitolo, senza che né per sommissione, né per qualsivoglia diligenza usata per renderlo capace, si volesse mai divertire dal suo pensiero.

Si celebrarono dunque due Capitoli, l'uno dal Provinciale e suoi monaci ai 6 di febbraio, in cui fu l'istesso Terleschi eletto per la terza volta Provinciale ad biennium, l'altro 6 giorni doppo dall'Arcivescovo e suoi adherenti, in cui fu deposto il detto Provinciale, e fu eletto l'istesso Arcivescovo Protoarchimandrita o Generale dell'Ordine in vita.<sup>158</sup>

(*fol. 186v*) A questo scisma succedero altri disordini, perché l'Arcivescovo, pretendendo di esser Superiore della Religione, cominciò ad invadere i monasterii con violenza, e s'impadronì ancora dello spoglio del Provinciale,

---

<sup>158</sup> Cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis Basilianorum*, Romae 1954, pag. 13, Capitula Torokanense et Suprasliense. Administrator Metropoliae fuit electus in Cap. Suprasliensi, die 2 Februarii.

che in questi disturbi era morto poco dopo eletto, non senza sospetto di veleno, come riferisce il Padre Pacomio e scrive ancora il vescovo di Kelma.

Dopo la morte del Provinciale si radunarono di nuovo li seguaci di lui e fecero loro Generale ad quadriennium il vescovo di Chelma,<sup>159</sup> e Provinciale il Padre Pacomio.

Si era prima di questo terzo capitolo scritto di ordine dell'Eminenze Vostre a Mons. Nuntio di Polonia, che accorresse a gl'inconvenienti con sospender l'elettoni de due Capitoli detti sopra, fino a tanto che vedutisi gli atti capitolari di ambidue, si determinasse qual di essi fusse legitimo, et in questo mentre deputasse per Superiore un terzo, per il governo della Religione. Ma Mons. Nuntio,<sup>160</sup> che da principio forse non poté farlo, sapendo poi che gli Atti di quello che fu celebrato dal (*fol. 187*) Terleschi erano stati portati qua dal P. Pacomio, stimò di rimettere il tutto alla S. Congregazione, con procurar dall'Arcivescovo anco i suoi per trasmetterli, ma essendosi smarriti in mano di Mons. Nuntio, non si è ricevuta la seconda copia, se non due mesi sono. Non ha mancato pero Mons. Nuntio di provvedere fra tanto a disordini con prohibire così all'Arcivescovo di Plosco, come al Vescovo di Chelma d'ingerirsi più nel governo della Religione, et ha deputato per Viceprovinciale un tal Padre Adriano,<sup>161</sup> quale, ancorché sia del partito del Vescovo di Chelma, è nondimeno accetto ab ambedue le parti.

Pretende ciascuna delle parti valido il proprio Capitolo, e supplica per la conferma, e particolarmente il P. Pacomio, che per mostrar valido e legitimo il suo, adduce queste ragioni:

1. Perché fu convocato in vigore del privilegio, che ne havevano da questa Santa Sede.

2. Perché fu convocato dal Protoconsultore, a chi de iure spettava, come altre (*fol. 187v*) volte era stato praticato dal Padre Terleschi in altri Capitoli, a quali era intervenuto l'istesso Arcivescovo di Plosco o in personam, o per procuratorem.

3. Perché vi furono citati e presenti tutti i quattro Consultori o Definitori della Religione, e gli altri, a quali spettava.

Né ostare il non esservi stato invitato l'Arcivescovo di Plosco con i suoi seguaci, perché non doveva, né poteva ciò farsi, si per il timore, che si haveva di lui, come perchè in vigore delle costituzioni non haveva più l'uso delle voci per essersi fatto Generale, come l'havean perduto anche i seguaci del medesimo.

(*in margine*) Si dica per qual ragione l'avevano perduto esser i seguaci, se si ha da giudicare. Dice, per l'ambitione; questa non basta senza gli atti esterni.

<sup>159</sup> Jacobus Susza electus fuit in Capit. Zyrovicensi 1661, post mortem Benedicti Terleckyj, mense 19-27 decembris.

<sup>160</sup> Antonius Pignatelli, Nuntius Varsaviensis (1660-1667).

<sup>161</sup> P. Adrianus Moser, Basilianus, qui agebat Viceprovincialem his annis, quando duo erant Superiores Generales.

Contro il Capitolo poi fatto dall'Arcivescovo oppone le cose seguenti:

1. Che l'Arcivescovo non haveva autorità di convocarlo, tanto maggiormente non essendo Metropolita.
2. Ch'era stato intimato prima dal Padre Terleschi.
3. Che non v'intervennero i Difinitori, come anche un altro vocale, e quelli (*fol. 188*) che v'intervennero, haveano le loro eccezioni.
4. Che fu fatto con quattro Archimandriti e due monaci, e che de gli Archimandriti due non erano tali, ma furono creati da lui a quest'effetto, e de monaci uno era quel Padre Gregorio,<sup>162</sup> che dalla S. Congregatione era stato ordinato che fusse posto in prigione.

Questo fra Gregorio è quello, che tanti anni sono se ne fuggì dalla casa di SS. Sergio e Bacco qui in Roma, doppo haver espilato tutto quello, che vi era di buono e fraudato in grossa somma molti artisti, come il tutto si giustificò con processo fatto dal Signor Card. Vicario, ma benchè s'incaricasse all'Arcivescovo con molta premura, che lo carcerasse, non l'ha mai voluto fare, anzi per quel che si dice, l'ha sempre sostenuto. Essendo poi finalmente fatto carcerare da Mons. Nuntio, in pochi giorni fuggì dalle carceri, ma l'Arcivescovo, ciò non ostante, l'ha creato Notaro del suo Capitolo, come apparisce dagl'istessi (*fol. 188v*) Atti da lui trasmessi, ne quali espressamente si dice esser quello, che ad istanza della S. Congregatione era stato punito dell'amministrazione et essersi fatto Notaro, perché haveva sostenuto molte mortificazioni et haveva chiesto misericordia.

All'incontro, Mons. Arcivescovo di Plosco dice esser nullo il Capitolo fatto da monaci, perchè nè il Padre Terleschi, nè verun altro monaco semplice ha autorità di convocar Capitolo, tanto maggiormente per essersi da loro introdotto nella Religione l'ufficio di Provinciale, che non è stato mai nella Russia. Quest'istessa oppositione fa anche il Vescovo di Smolenco,<sup>163</sup> ma il Padre Pacomio dice, che questo officio non è nuovo fra loro.

Scrive Mons. Nuntio haver inteso confidentemente dal Vescovo di Vilna,<sup>164</sup> ch'è parente dell'Arcivescovo di Plosco, che non si sarebbe mai tolta la pietra dello scandalo, se non con annullare ambidue l'elettioni e venire ad una terza, il che anche egli approva, perché se bene Mons. Vescovo di Chelma et il Provinciale da (*fol. 189*) lui eletto, ch'è il Padre Pacomio, sono superiori di merito alla parte contraria, questa però ha più appoggi e maggior fattione, e si può temere, che vedendosi esclusa, con l'inclusione dell'altra, si desse disperatamente a fomentare la presente disunione, tanto più pregiudiziale, quanto che il Generale de Cosacchi<sup>165</sup> ha giurato di voler distrugger l'Unione.

<sup>162</sup> P. Gregorius Bienkowskyj. Cfr. supra notam ex. gr. 151.

<sup>163</sup> Archiepiscopus Smolenscensis, Andreas Kvasninskyj-Zloty (1640-1654), dein Pinskensis (1654-1665); et forsitan considerabatur adhuc Smolenscensis, quia in Pinsk erat solummodo exsul ante exercitum moscoviticum; eius successor in Smolensk, Barlaam Kosinkyj, erat solummodo Nominatus (1666).

<sup>164</sup> Episcopus Vilmensis latinus Georgius Bialozor (1661-1665).

<sup>165</sup> Dux cosacorum erat tunc temporis Georgius Chmelnyckyj (1659-1663).



Oltre le cose dette circa i Capitoli, si dogliono i monaci adherenti al Padre Pacomio dell'altre violenze et oppressioni usate loro dall'Arcivescovo di Plo-sco, in usurparsi l'amministrazione in spiritualibus della Metropolia. In scomunicare quelli, che non lo riveriscono per Generale, e privarli di offitii, instituire nuovi Abbati persone indegnissime, occupare i migliori monasterii, usurparsi i loro beni et i spogli, et incarcerare i monaci, che in qualunque modo si opponevano a questi suoi attentati, con molte altre, che intenderanno dalle seguenti sue discolpe, e di queste accuse ne va diffusamente (*fol. 189v*) raccontando il P. Pacomio, et il Vescovo di Chelma i casi particolari.

Si scusa all'incontro l'Arcivescovo delle cose sopradette, e quanto alla prima, di haversi usurpata l'amministrazione anche in spiritualibus della Metropolia, dice che dalle suppliche che ne ha inviate alla Santa Sede apparisce il contrario. E se tal'hora si è sottoscritto Amministratore in spiritualibus, dice di haver ciò fatto per essergli stato dato questo titolo, e dalla Sacra Congregazione e dal Papa, ma che del rimanente non ha mai in ciò eccedute le facultà dategliene dal Nuntio Apostolico.

Alla seconda, di havere scomunicato in contumacia il Padre Terleschi ad istanza del Padre Korsak, dice di haver ciò fatto con facultà espressa di quel Nuntio Apostolico.

Alla terza, di havere scomunicato altri, date dimissorie per gli ordini a sudditi degli altri Ordinarii e consecrato Vescovo suo nipote, dice tute queste cose esser false.

Quanto alla consacrazione di suo nipote, anche Mons. Nuntio scrive non esser vero. Ma (*fol. 190*) quanto alle dimissorie, esservene una originale qui.

Alla quarta, di haver egli da se solo spedito per Roma il Padre Innocentio Terpilouschi, dice apparir da gli atti della Congregazione tenuta in Zirovicio l'anno 1659, che fu eletto da tutta la comunità, ma essendo poi nata tra di loro discordia, l'altra parte elesse il Padre Pacomio.

Alla quinta, di non haver punito il Padre Gregorio, conforme all'ordine della S. Congregazione, dice che prima di esser Generale ne fu impedito dal Padre Terleschi, che diceva non potersi ciò fare senza la comunità, ma che fatto poi Generale lo punì subito.

All'ultima, di essersi fatto fare Generale, dice esserne stato pregato e sollecitato da medesimi Religiosi, riportandosi intorno a ciò a gli Atti capitolari.

Del rimanente chiama Dio in testimonio ch'egli non ha maggior desiderio che della pace e concordia col Vescovo di Chelma e con gli altri suoi contrarii, li quali dice di amar cordialmente, soggiungendo in oltre di portar quel rispetto e riverenza che deve a i Nuntii Apostolici et alla Sacra (*fol. 190v*) Congregazione, la quale supplica a servar sempre un orecchio per lui contro quelli, che lo malignano.<sup>166</sup>

---

<sup>166</sup> Gabriel Kolenda erat vir cholericus et vindex, nec facilliter offensas perdonabat.

Vi sono parimente per l'altra parte alcune accuse del Vescovo di Smolensco contro il Terleschi e Padre Pacomio co' suoi adherenti.

1. Che conspiratosi il Terleschi col Padre Pacomio, soggetto poco necessario alla lor Religione e dottorello inutile, haveva osato d'instituire Superiori di tutto l'Ordine e promulgar leggi contro le constitutioni fatte da tanti vescovi e metropoliti.

Il Padre Pacomio dice, che nessun vescovo fuor che il Metropolita Giuseppe ha fatto loro leggi e costituzioni, e quello ne hebbe la facultà con Breve apostolico.

2. Che il Padre Terleschi nella Religione non haveva compito il novitiato e che essendosi prima fatto Gesuita, fu licenziato dalla Compagnia.

Il Padre Paconio nega che non compisse il Novitiato, et attribuisce la licenza dalla Compagnia a poca sanità.

3. Che il Padre Pacomio, contro l'espresso e gravi prohibitioni de lor Superiori, (*fol. 191*) si fece addottorare per poter disprezzare quei pii et humili Religiosi, come dice haver fatto con alcuni, che nomina.

Il P. Pacomio risponde, che si addottorò perché così volsero i Superiori del Collegio Greco.

4. Che l'ultimo delli tre che fecero la Congregatione essendo stato eletto una sol volta Segretario, s'intitolava Segretario di tutto l'Ordine.

Doppo esser durate lungamente queste et altre dissensioni per le cose sudette tra l'Arcivescovo di Plosco et il vescovo di Chelma, scrive Mons. Nuntio, che gli era riuscito di riconciliarli insieme, e che l'havevano fatto in presenza sua con tanta prontezza e tenerezza, che se ne sperano conseguenze notabili per la santa fede, tanto maggiormente ch'egli haveva indotto l'Arcivescovo a restituire alcuni beni, che col pretesto che spettassero alla metropolia haveva di potenza usurpato a tal'uno di quei monasterii, dalla ritenzione de quali potevano insorgere gravi differenze tra esso Arcivescovo (*fol. 191v*) et il regio Tribunale. Che quanto al governo della Religione, ambedue detti prelati non si ingerivano punto, aspettando, che l'Eminenze Vostre determinino a chi spetti. E quanto all'amministrazione della Metropolia in spiritualibus, dice che l'Arcivescovo non si usurparà cosa alcuna senza che da lui gli sia permesso, come haverebbe anche fatto dell'amministrazione in temporalibus, se Mons. Nuntio havesse havuto facultà di conferirla ad altri.

## 56.

*Initio a. 1665.*

*Restrictus relationis Patris Pachomii Ohilevyč S. Congregationi porrectae, de statu Religionis Basilianae ac de mediis exstirpandi abus.*

APF, *Fondo di Vienna (Scr. rif. etc.)*, vol. 17, fol. 193-200.  
 MUH, vol. III, pag. 204-209.

Sopra la Religione dei monaci Ruteni e suoi bisogni, e circa la conversione de Scismatici.

Richiesto il Padre Pacomio, Provinciale de monaci Ruteni uniti, dello

stato e bisogno spirituale della sua Religione e de gli altri cattolici del suo Rito e nazione, con una lunga scrittura rappresenta:

1. Di quanta conseguenza per gli avanzamenti della Religione cattolica e conversione de Scismatici sia il mantenere e promuovere per quanto si può la sua Religione.

2. Qual fosse lo stato di essa ne tempi andati, e quale appresso, e per quale cagione sia così mutato.

3. Suggestisce rimedii più opportuni per rimettere la Religione in osservanza et in stima.

4. Propone alcuni altri rimedii per la conversione de Scismatici.

Quanto al primo, dice che la sua Religione è l'istramento più atto di qualunque altro per ridurre alla fede i Scismatici, come quella che ha il medesimo Rito con loro, e la medesima lingua, almeno nelle cose (*fol. 193v*) sacre, et appresso di cui solamente rimangono unite insieme tutte le cerimonie et usanze del Rito Latino.

(*in margine*) Dichiarò che significa questa. Dice che essi conservano il Rito Greco quanto alla sostanza, ma nel modo si accostano quanto più possono al Latino, il che piace anche a Scismatici, doppio haverli veduti. Si dichiarò meglio.

Onde ne tempi addietro, quando la Religione fioriva in dottrina e santità di vita, furono convertiti da monaci più di tre milioni di scismatici con alcune città intiere, descritte nella relatione data alla Sacra Congregazione del 1624, dal Metropolita Gioseppe, essendosi anche stesi a far conversioni segnalate nella Croatia, per lo che pur hoggi sono invitati a portarsi in Ungaria. Ne si saria fermato qui il frutto de monaci co' Scismatici, se per mancanza de sussidii si fossero potute piantare in molti altri luoghi le missioni del loro Ordine, come fu trattato in tempo del Metropolita Gioseppe.

Alletta i Scismatici alla fede cattolica il vedere in questi monaci la politia nelle cose sacre, la pluralità delle Messe basse, il novitiato et il modo del governo regolare, come anche i monasterii delle monache, benchè (*fol. 194*) siano soggetti ai Vescovi.

Aggiunge esser la sua Religione di molto giovamento in quelle parti anco a quelli del Rito Latino, in cui procurano i monaci di perfettionarli; onde con il loro esempio si è riformato anco il Clero secolare, essendosi cominciato ad introdurre il celibato, e valendosi per tutta la Russia nell'assoluzione de penitenti della forma latina, e nel monastero di Zirovico si è anco introdotta la processione solenne del Corpo di Christo, ancorchè nelle condizioni dell'Unione fusse fatta espressa istanza di non esser sforzati a questo,<sup>167</sup> e si sono anche promossi li studii, per quanto è stato loro possibile. Richiesto perché abbiano mutato la formola latina, dice esser stato così loro ordinato da Roma, e che ne loro libri antichi vi è la formola latina.

Circa il secondo capo, dello stato passato e presente della Religione, dice che molti anni sono, nel tempo particolarmente del Metropolita Gioseppe, che

---

<sup>167</sup> Cfr. *Documenta Unionis Berestensis eiusque Auctorum*, Romae 1971, ubi inter conditiones Unionis propositum fuit etiam hoc punctum, cfr. pag. 108.

fu insieme (fol. 194v) Generale, era molto florido così in santità, come in lettere, attese diverse ottime constitutioni, ch'egli in vigore della facoltà havutane dalla Santa Sede promulgò e pose in pratica, poichè introdusse il quarto voto de non ambiendis praelaturis, privando in perpetuo di voce attiva e passiva i trasgressori. Istituì il novitiato commune in un solo luogo, la mutatione de monaci da un convento all'altro, annullò gli archimandriti e filiatione, acciò la Religione fusse governata da un solo. Determinò che le Congregationi o Capitoli si facessero ogni quadriennio, e che la Religione si governasse da un Generale e quattro Definitori o Consultori. E perchè giudicò, che la divisione fra due capi principali del corpo de Ruteni, che sono il Metropolita et il Generale, non potesse apportare se non mali effetti, comandò sopra tutte l'altre cose l'unione e concordia de monaci col Metropolita, per il che desiderava, che il Generale non dipendesse immediatamente dal Papa, (fol. 195) ma dal Metropolita, con conditione però che l'autorità del Metropolita sopra i monaci fosse ristretta e limitata da alcune regole da prescriveargli da gl'istessi monaci, e da giurarsi da lui, e che non potesse veruno esser assunto al grado di Metropolita, se non fosse stato prima Coadiutore del Metropolita, e fosse stato ammesso alla dignità episcopale col voto del Generale.<sup>168</sup>

Questo pensiero però di fare il Generale dipendente dal Metropolita non viene approvato da monaci, nè senza ragione, perchè quando ogni altra cosa mancasse, dependendo il Metropolita in gran parte dalla volontà del Re, può succedere facilmente, che sia poco atto a mantener l'osservanza regolare.

Con questi ordini, e con il buon governo di lui, la Religione si mantenne in somma osservanza; ma morto lui e succeduti altri Generali di minor spirito e talento, cominciarono le cose a rallentarsi, e furono rimessi su gli Archimandriti, che, come si disse, il detto Giuseppe (fol. 195v) aveva estinti, per ridurre ogni cosa sotto un sol capo.

Questi Generali sono stati due dopo il prefato Giuseppe, l'ultimo fu insieme Metropolita, l'altro fu vicario e generale, e doppo questi due fu fatto il Terleschi,<sup>169</sup> con titolo di Provinciale ad triennium.

Si cominciarono per tanto a promuovere da Generali alle cariche migliori soggetti indegnissimi, e mettere in mano loro tutta la Religione, nel qual proposito narra diffusamente i bruttissimi scandali di uno di questi, che se bene di pessimo nome della Religione, fu dall'ultimo Generale promosso alle migliori Badie, e doppo haver espilato i beni di molti conventi e vendute le suppellectili sacre, et i voti di una immagine miracolosa, ucciso crudelmente un arciprete, se ne vive in publico concubinato con una Abbadessa di un

---

<sup>168</sup> Protoarchimandrita, ut monachus simplex, partem habebat in electione Metropolitanæ eiusque Coadiutoris, prout iam et « Regulæ Episcoporum » Metropolitanæ Rutskyj id enuntiabant.

<sup>169</sup> Agitur de Raphaële Korsak (1637-1640), qui antea fuit Protoarchimandrita et Episcopus Haliciensis et Pinscensis (1626-1637) et Antonio Sielava, qui anno 1642 in Capitulo Vilnensi electus fuit in Protoarchimandritam, data « Cautione » Ordini.

monastero, che la conduce pubblicamente in carrozza, con molti altri eccessi e scandali di gravissima ignominia alla Religione.

Da qui si è passato a conferire più (fol. 196) Archimandritati et Abbadie ad un solo, molti monasterii sono devoluti a i Vescovi, i semplici superiorati sono eretti in Badie, e la Badia Leszczinense, perché l'Arcivescovo di Plosco non si è mai curato di tenervi nè pur un monaco, ma solo un servitore per raccorre l'entrate, è passata in mano de Scismatici e finalmente si è dato bando a i digiuni monastici, et all'antichissimo solito dell'astinenza della carne con mille altri inconvenienti, ch'esso Pacomio riferisce a lungo.

Richiesto, se sia bene di rimettere l'accennata astinenza, dice di sì, ma che la stima difficile a praticare e che potria farsi con qualche moderatione, come i Basiliani di Spagna, e che potria trattarsi in Capitolo del modo, concedendo fra questo mentre la dispensa per togliere gli scrupoli.

(in margine) Dica questa moderatione. Dice che potria farsi con conceder la carne tre volte la settimana: domenica, martedì e giovedì; il Padre Pacomio però vorrebbe più tosto l'astinenza assoluta, e la procurerà.

Morto l'ultimo generale,<sup>170</sup> fu eletto sotto titolo di Provinciale il Padre Terleschi, che egli celebra molto, ma per le continue contrarietà dell'Arcivescovo di Plosco se ne (fol. 196v) è morto accorato non senza sospetto di veleno.

Quelli poi, che han fomentato a questo l'Arcivescovo, e che somministrano continuamente appresso di lui nuovi disturbi per la Religione, sono l'accennato monaco scandaloso, che per mezzo de conviti e de denari si è acquistato la gratia dell'Arcivescovo, il Padre Gregorio, ch'è quello, che la Sacra Congregazione ordinò, che si carcerasse per le truffe commesse mentre era in SS. Sergio e Bacco, et il Padre Marciano Bialozor, monaco giovane nipote dell'Arcivescovo, che parimente è stato Superiore di SS. Sergio e Bacco, et è quello, che se ne va vestito di seta.

Dice finalmente, che i Rutheni non osservano il ius canonico, sotto pretesto di essere di Rito Greco, nè osservano il ius canonico de greci sotto pretesto di essere Uniti, e così essi vivono senza legge, et i metropolitani si usurpano il ius patriarcale, et estendono la loro autorità ad ogni cosa.

Per rimediare a questi disordini, che è il (fol. 197) terzo capo, e sollevare la Religione nella stima antica, suggerisce le cose seguenti:

1. Vedere di rimettere in uso l'osservanze dismesse, asserendo trovarsi appresso di loro le regole e constitutioni aggiustate dal Metropolita Giuseppe, ch'esibirà appresso per la confirmatione apostolica.

2. Che per quest'effetto è sopra tutto necessario di dargli un Generale, atto ad eseguirle e riformar la Religione, avvertendo che questo non può essere il Metropolita, ma monaco, come ordinò il Metropolita Giuseppe, e fu ciò

---

<sup>170</sup> Antonius Sielava, Metropolita Kioviensis et Archiepiscopus Polocensis (1624-1655); electus fuit in Capitulo Generali Torokanensi in Febuario P. Benedictus Terleckyj.

confermato dalla Santa Sede, perché il metropolita appena può supplire al peso della sua metropolia, e non può in conto alcuno conformarsi a i monaci né col vestito, né col vitto, né col'esempio, anzi né meno succederebbe con profitto se fosse subordinato all'istesso metropolita, onde supplica, che si dichiari immediate soggetto alla Santa Sede, come le altre Religioni, delle quali dimanda la communicatione de privilegi.

(*in margine*) Dove è questa conferma? Dice, che è ne gli Atti della Congregatione. Bisognarebbe che dicesse il tempo, o ne desse copia.

(*fol. 197v*) Il signor Leone Allatio nel suo Libro *De Interstitiis* asserisce, che Leone X stese tutti i privilegi de Regolari a monaci Greci.

La Sacra Congregatione però non ha mai voluto dichiarare se i monaci Rutheni siano soggetti o no al Metropolita, e quando ha concesso cosa alcuna o ad una parte, o all'altra, sempre ha usato clausole preservative hinc inde.

3. Perché è necessario dare al medesimo Generale alcuni compagni, che l'aiutino, e di presente non si possono avere dalla Religione medesima per esser mancati sotto la tirannide de Cosacchi da 149 soggetti, che sarebbero stati habilissimi. Ricorda quel che altre volte si è supplicato, cioè che si prendano da qualche altra Religione, come particolarmente saria conveniente da i Basiliani del Rito Latino, quando non havessero ancor essi bisogno di riforma, ma seguendo i sentimenti del Generale Gioseppe, che haveva fissi gli occhi ne Carmelitani Scalzi, o ne Gesuiti, supplica de (*fol. 198*) medesimi, ancorché confessi, che assai più a proposito gli paiano i primi, che i secondi, et esibisce copia del decreto, che ne fu fatto a tempo di Urbano,<sup>171</sup> se bene giudica, che se si concedono questi religiosi non debbano starvi ad tempus, ma per sempre.

Questa dimanda è stata altre volte proposta et approvata dall'Eminenze Vostre, e se bene il Generale de Carmelitani ha promesso di dar soggetti qualificatissimi, e di haverne dato gli ordini, con tutto ciò sin hora non se ne vede l'effetto, e può temersi di quell'istesso, che l'impedì l'altra volta, perché i peggiori che havessero, tanto più che gl'istessi monaci, che non abbondano di prudenza, insistono in alcuni, che lo desiderano, e fanno loro larghe offerte, ma i Superiori non gli stimano a proposito.

4. Che si rimedii alla ruina maggiore che deriva alla Religione dall'abuso da poco in qua introdotto, che i vescovi si dividono tra di loro tutti i Monasterii e Badie di essa senza dispensa alcuna (*fol. 198v*) della Santa Sede, con esservi tal'uno, che col rescritto del principe e de collatori ne possiede più di una.

(*in margine*) Chi sono questi Collatori? Dice che sono i principi secolari, che vi hanno patronato.

---

<sup>171</sup> Cfr. *Acta S.C. de Prop. Fide*, vol. I: 1622-1667, Romae 1953, pag. 18, 21, 22, 51 etc.; agitur de Carmelitanis Discalceatis, die 17.IV.1624.

5. Che la Sacra Congregazione abolisca gli Archimandriti, particolarmente dove non sono più stati.

6. Che si rimetta ne proprii Monasterii lo studio delle lettere.

7. Che si instituisca in Roma un Seminario, et un altro nella provincia capace delle altre genti di quel Rito, supplicando, che questo resti totalmente sotto la direttione della Religione, senza che vi s'ingerisca il Metropolita.

8. et ultimo. Conclude esser necessariissima una Visita Apostolica per riconoscere perfettamente lo stato così della Religione come delle chiese e cattolici, e di tutta la nazione, e di questo ne supplica ancora a parte il Vescovo di Kelma e gli altri monaci, con avvertire però, che non si commetta ad alcuno del Clero latino, come quelli, che si dimostrano molto avversi a gl'Uniti, ma o al Nuntio, ovvero a Padri Gesuiti, o Carmelitani (*fol. 199*) Scalzi. Ricorda il bisogno grande che vi è di una Visita.

All'incontro il Padre Pacomio, che vedendo la depressione in che stanno i suoi monaci e nazione, et i continui travagli, che perciò patiscono da Cosacchi e Scismatici, desidera, che passino al Rito Latino, rappresenta, che quando la Sacra Congregazione persista in volere, che i monaci continuino nel Rito Greco, sarebbe di gran giovamento il conceder loro di valersi in caso di necessità anco del Latino, mostrandosene quella plebe grandemente divota, affermando, che se ne vedria frutto grandissimo.

Quanto all'ultimo capo de rimedii per la conversione de Scismatici, stima che il maggior impedimento che habbia sin hora havuto l'Unione de Greci e de Rutheni sia proceduto da due cagioni.

1. Che molti hanno intrapreso quest'opera, ma con poca costanza, perchè presto l'hanno abbandonata.

2. Che non hanno saputo accomodarsi alla natura e capacità di quelli, che (*fol. 199v*) intendevano di convertire, poichè invece di mostrarsi amatori del Rito Greco, han cercato di annichilarlo, inalzando alle stelle il Rito Romano e detestando il Greco, per il che si son resi esosi ad essi Greci, aggiungendo, che i Padri Gesuiti con l'autorità di una gran Signora facevano violenze grandi a Rutheni perchè passassero al Rito Latino.

A questi due mali crede, che si rimediarà adeguatamente con introdurvi una o più Religioni osservanti, affinchè attendessero continuamente alla loro conversione, purchè si concedesse a quei Religiosi di poter celebrare anche nel Rito Rutheno, acciochè i Rutheni prendessero affetto verso di loro, e li sentissero volentieri. Ricorda però che in questo caso bisognerebbe applicare a quelle Religioni, ch'usano i digiuni simili a quelli de Rutheni, perchè altrimenti non sarebbero da loro stimulate, et acciochè non mancassero poi soggetti da inviarsi, sarebbe necessario, che havessero (*fol. 200*) un convento particolare in Roma, o altrove, ove potessero riceversi et ammaestrarsi i Rutheni, che si sentissero inclinati a quell'Istituto.<sup>172</sup>

---

<sup>172</sup> Iam Metropolita Joseph Velamin Rutskyj projectabat Instituta latina in servitium orientalium et quasi identica edicebat programmata. Cfr. *Epistolae Josephi Velamin*

## 57.

*Zyrovyci, 23.X.1665.**De Capitulo Suprasliensi et de electione in Protoachimandritam Domini Gabrielis Kolenda.*APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Gen.*, vol. 18 (Fondo Vienna), fol. 36rv.

Zyroviciis, 23 Octobris 1665.

Extractum ex litteris R.P. Pachomii Ohilewicz, O.S.B.

Significo de indicta ab Ill.mo Nuntio, autoritate Sedis Apostolicae, Supraslii Congregatione. Quomodo autem ea successit, integre refero. Ill.mus Nuntius non adfuit, missis revocatoriiis suarum intimatoriarum, et reservata sibi opportuniore convocandi iterum occasione. Convenimus, praeter unum vel alterum, qui tamen abfuerunt per litteras excusando se; fuitque rara frequentia ad mandatum tantae autoritatis. Etiam Volhinienses.

Post colloquutiones factas divisim inter partes, quod dolendum fuit tantam frequentiam frustra solvere, deinceps vix sperandum, ob res patriae et uniuscuiusque domi, ob indigna per monasteria absurda et scandala, ob declarationem Praelatorum, Monasteriorum divisionem molientium, si in praesentia Nuntii perageretur Congregatio. Subiit mentem consilium Spiritus Sancti inspiratum Salomoni, verius stratagema, quo ille inter duas Matres, divisione pueri, composuit litem. Sed in praesentiarum non ferebat filialis affectus, ut mater Religio divideretur, maxime sub haec tempora, dum parvus grex sumus. Interea, salvis iuribus utriusque partis, et suspenso actu, ad decisionem Nuntii Apostolici et S. Sedis stetit electio, et concors calculus, in Protoarchimandritam (f. 36) nimirum Religionis eligens Ill.mum D. Metropolitam;<sup>173</sup> Vicarium porro Generalem seu Provincialem, licet flexis genibus, deprecabar tot testibus coram, agere iussus, subtracturus humeros omnino, nisi exterioris reputationis Religionis praevaleret aestimatio conservatioque; alias repente alia ex toto rerum nostrarum appareret facies. Caeterum aliter evenire non poterat series actorum, de quo coram plenissime referam, Deo dante, Vestrae Ill.mae Dominationi. Obnixè tamen peto Ill.mam Dominationem, qui noscit intus et extra cutem genium meum, suspendat iudicium de me et rebus nostris, donec conferamus insimul, etc...

(fol. 37v) - Scrittura di Monsignor Vescovo di Chelma.

---

*Rutskyj, Metropolitae Kioviensis catholici*, Romae 1956, passim et praesertim in principio voluminis.

<sup>173</sup> Gabriel Kolenda, Metropolita Kioviensis (1665-1674); Vicarius generalis seu Provincialis electus fuit Pachomius Ohilevyč in Capitulo Generali Suprasliensi 1665, diebus octobris, quod dein fuit declaratum nullum a Papa Alexandro VII. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis Basilianorum*, Romae 1954, pag. 14.



## 58.

Ante 12.VI.1668.

*Informatio Josephi Pietkevyc, OSBM, de inclinatione Magni Ducis Moscoviae, ad unionem cum Ecclesia Romana.*

APF, *Scr. rif. n. Congr. Gen.*, vol. 224, fol. 33-34; *ibid.* fol. 40rv copia.

Informatio de inclinatione Magni Ducis Moscoviae ad unionem et reddendam obedientiam S. Sedi Apostolicae.

Ante aliquot annos patriarcha Moscoviae,<sup>174</sup> non constat qua de causa, derelicto palatio et pompa sua, venit ad unum monasterium a se fundatum et aedificatum, et nullo modo suum officium patriarchale exercere voluit, licet multoties a magno duce requisitus. Interim anno praeterito miserat legatos Magnus Dux<sup>175</sup> ad quatuor patriarchas orientales, rogando ut venirent in Moschoviam ad iudicandum et deponendum illum patriarcham Moschoviae aliumque substituendum. Ad hanc requisitionem patriarchae Alexandrinus et Antiochenus in personis suis, Ierosolimitanus per delegatum metropolitanum Gazensem Ligaridium, Constantinopolitanus per metropolitanum Athonensem et Nicensem venerunt in Moschoviam, iudicarunt in quibusdam nefandis, et iuste deposuerunt.

Interim Ill.mi Domini Commissarii Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae propter concludendam cum Moschis pacem, cum fuissent in Moschovia, placuit videre et visitatione venerari dictos patriarchas, cumque gratulati fuissent intra hos monarchas unionem, subsumpsit Ill.mus D.nus Referendarius magni ducatus Lithuaniae Commissarius: « *Utinam non solum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus, scilicet in fide, simus unum* ». Haec verba summopere patriarchis placuerunt, et ad suspirandum illos ad hoc bonum moverunt. Ab illa hora ardentissimas conferentias (fol. 33v) cum dicto Ill.mo D.no Commissario, uti et summe docto et pio, simul de modis quibus haec unio esse posset faciebant et Magnum Ducem Moschoviae ad unionem omnino disponere promiserunt.

Scribit Ill.mus D.nus Referendarius Magni Ducatus Lithuaniae ad filium suum R.dum D.num Canonicum Vilmensem hic Romae pronunc degentem, ut Em.mis D.nis Cardinalibus hoc deferat, quatenus S. Congregatio ad cooperandum tam bonum opus personas aliquas dignas et sufficientes in Moschoviam expediret, qui ex ruthenicis libris ostenderent universalem auctoritatem S. Sedis Apostolicae etc.

Volunt Poloni, uti Ill.mus D.nus Archiepiscopus Gneznensis cum D.no

<sup>174</sup> Nikon, patriarcha Moscoviae (1652-1667); tunc temporis exorta est quaestio liturgica, quae depositionem Patriarchae causavit, in qua partem habuerunt alii Patriarchae orientales, tum personali interventu tum per procuratores-metropolitans, i.e. Alexandrinus et Antiochenus personaliter, Hierosolimitanus per metropolitam Gazensem Ligaridium, et Constantinopolitanus per metropolitam Athonensem et Nicaenum.

<sup>175</sup> Magnus Dux Moscoviae tunc temporis erat Alexius Romanov (1645-1676).

Cancellario Magni Ducatus Lithuaniae aliquot personas ex Ritu Latino mitterent, sed ne haec missio potius inceptum impediret bonum, maxime si aliquis iret, qui ex Ritu Graeco transivit ad Ritum Latinum, cuius labor et conatus frustraneus esset, Sacrae Congregationi de Propaganda Fide considerandum est. Melius esset si Uniti notitiam librorum slavonicorum habentes irent, ibique Missam Ritu suo Graeco celebrarent, et quomodo in unione cum suis caeremoniis hucusque conservati ostenderent, efficacius ad praestandam obedientiam et unionem persuaderent. P. Dominicanus, qui post suam triennem captivitatem apud Magnum Ducem hucusque fuit interpres linguae latinae, consilium dedit Ill. mis D. nis Commissariis, ut non alios nisi Ruthenos hoc in negotio mitterent.

Sunt autem apud unitos Ruthenos idonei multi, sed praecipue R. mus D. nus episcopus Chelmensis, qui expectat nutum Sacrae Congregationis. Alter P. Pachomius, (fol. 34) qui et graece optime scit et lingua graeca cum illis patriarchis tractare posset in praesentia praesertim Magni Ducis, cui summo-  
pere placeret hoc, quod Uniti non solum latine, sed etiam graece bene studeant.

Dictus episcopus et Pater Pachomius <sup>176</sup> iam ante aliquot annos ex senatus consulto ad tractandum de fide cum Moschis in commissione generali erant deputati, sed tunc neque ad commissionem neque ad tractandum de fide, propter novos belli motus perventum est.

ADNOTATIO: *Auctorem huius relationis identificamus in fol. 37, ubi Praefectus Propagandae in littera ad Secretarium Casanate ita scribit: «Alla scrittura trasmessa a V.S. Ill.ma le settimane passate sopra l'affare di Moscovia aggiungo le due qui acchiuse, che contengono l'istesso negotio, la prima havutasi dal Superiore de Monaci Rutheni a Santi Sergio e Bacco, e l'altra resami dal P. Generale di S. Domenico; e perché alla Santità di N.S. preme sommamente, che si raduni quanto prima la Congregazione, mi prenderò l'ardire di farla intimare per martedì prossimo 12 del corrente a hore undici e mezza, con che a V. S. profondamente m'inchino. (Roma, 6.VI.1668).*

## 59.

Cracovia, 15.VIII.1668.

*G. E. Malejevskyj, O.S.B.M., Patri Rectori Collegii Graeci, de suo itinere ex Italia in patriam; de conversione cuiusdam Livoni nobilis; de resignatione Regis Ioannis Casimiri.*

ARCH. ISIDORI DOLNICKYJ, *Codex memorabilium Romae exscriptorum*, fol. 449. - *Ex autographo olim in quodam codice Collegii Graecorum de Urbe asservato, nunc autem perditio.*

MUH, vol. III, pag. 301-2.

---

<sup>176</sup> Episcopus Chelmensis Jacobus Susza (1652-1687) et P. Pachomius Ohilevyč, Alumnus pontificius et Doctor romanus, discessit e Collegio Graecorum die 20.VIII.1652; dein Provincialis seu Vicarius Generalis durante regimine Gabrielis Kolenda (1665-1674), et Proto-archimandrita, ut simplex monachus, primo quinquennio metropolitatus Cypriani Zochovskij (1675-1679). Cfr. alias notas praesentis voluminis.

Admodum R.de in Christo Pater Rector, Pater et benefactor plurimum observande.

In caelum assumpta Domina mundi pedes meos infirmos Cracoviae ad videndum triumphum suum feliciter deduxit et firmavit. Iter faustissimum, Dei misericordia et benedictione Admodum R.dae Paternitatis Vestrae praeventus hucusque possedi, corporis et animae vires corroborando, et quidem etiam cuiusdam Lutheranae deditum sectae ab errore revocando; nobilis hic Livonus erat, qui una mecum iniit iter Venetias usque, et Deo sic volente convictus erroris, ante Loretum unum Pontificem Romanum, Loreti sanctissimam Virginem Deiparam et Sanctos Dei esse colendos et invocandos, Visione beatifica frui, testimoniis, rationibus et convenientiis, aliquot horis in noctem cum modestia et lenitate probavi. 13 Julii sacra exomologesi munitus cum eodem et cum nobilissimo Flandro, dicto Antonius di Rotversis, Bononiam tetendi, ubi indulgentiarum dispensatorem legitimum eundem Pontificem, Lutherum autem raptorem et furem confiteri debuit. Eucharistiam in azymo pane valide confici, neque defraudari fideles sumptione sub una specie tantum. Purgatorium denique debere confiteri confessus, obsidem manuum, Deo in testem advocato, dedit catholicum velle fieri, et antequam azymum approbaret, voluit, ut dicam Missam Bononiae, ut possit communicare sub utraque specie, sed iam contentum sub una velle communicare; commendavi ipsum R.do Domino qui mansit diu in propaganda fide, qui Candiam discedit, cum eodem nobili Livono, qui praesentatus ab Em.mo Cardinali Ursino<sup>177</sup> per suas commendatorias discedit ad Candiam, et retulit mihi multum laborasse Em.mum Cardinalem ad convertendum ipsum. Venetiis Viennam usque equitare debui 12 aureis expensis. Viennae duos Missionarios Sacrae Sedis Apostolicae, qui Ricanati studuerunt, inveni, et hucusque cum ipsis in uno curru interpretis loco per Germaniam, Moraviam et Poloniam fui, hinc separari cogor cum ipsis, Varsaviam enim pro resignatione regni propero.<sup>178</sup> Lithuania, Russia, Polonia Minor in Regem Moschum vult omnino, sola Maiore Polonia renuente, haereticis et Iudaeis; isti enim duo ultimi vehementer sibi ruinam timent, prout ab exoso duorum horum, Si licebit mihi calculum adiciam pro Moscho, certus fieri eum debere catholicum, interea Admodum R.rum Paternitatum Vestrarum sacras implorando orationes, solitae gratiae et favori diligentissime recommendo.

Cracoviae, 15 Augusti 1668.

Admodum Reverendae in Christo Paternitatis Vestrae humillimus in Christo Servus.

Georgius Emmanuel Malejewski, Ordinis Divi Basilii Magni.

---

<sup>177</sup> Cardinalis Virginius Ursini, romanus (Orsini), nominatus cardinalis 16.XII.1641, protector Poloniae; obiit die 21.VIII.1676.

<sup>178</sup> Varsaviae tunc temporis tractabatur negotium resignationis regalis Regis Joannis Casimiri, et quidem mense, ut videtur Septembri; candidatus in successionem fuit inter alios magnus dux Moscoviae Alexius Romanov (1645-1676); electus fuit tamen Michael Korybut Wisniowiecki, ex familia ruthena tunc iam polonizzata (1669-1673).

...altus, norunt ipsum R.dus D.nus Rizzius et Secretarius Cosma, qui et seminaverat Collegium Graecum ad Propagandam transferendum. Admodum R.dum Patrem Ministrum, R.dum Patrem Bovium humillime amplector, paternam exposcendo gratiam et amorem. Omnes in Collegio Graeco manentes peramanter saluto; ignoscant, quaeso, quod non scribam nunc ad ipsos. Imo et Patres Ioseph uterque Iosaphat et alii;<sup>179</sup> scribam Varsavia.

## 60.

*Ex Russia, 1665-1690.*

Volumen tertium *Litterarum Episcoporum historiam Ucrainae illustrantium*, vol. 1665-1690, Romae 1974, litteris Episcopi Chelmensis, Jacobi Susza (1652-1686), *Litteras Basilianorum* optime complet; item et Episcopi Basiliani Peremyslienses, tum uniti tum non uniti, Litteris suis historiam Ecclesiae Unitae bene perficient et explicant. Ideoque bene et inter Litteras Basilianorum inveniuntur et volumen hoc primum exornant.<sup>180</sup>

## 61.

*Ex Russia, 1674-1713.*

Volumen tertium *Epistolarum Metropolitanarum Kioviensium Catholicorum: Cypriani Zochovskyj, Leonis Slubicz-Zalenskyj, Georgii Vynnyckyj : 1674-1713*, Romae 1958, pag. 1-302, ut opus trium Basilianorum bene *Litteras Basilianorum* complent, et huic primo volumini sunt adnumerandae, simul cum Litteris Episcoporum, qui omnes in Sedibus in terris Ucrainae et Bielarussiae erant Basiliani, de sua Congregatione bene meriti.<sup>181</sup>

## 62.

*Zyrovyci, 12.V.1675.*

*Compendium Actorum Capituli Generalis Zyroviciensis an. 1675, in quo electus est in Protoarchimandritam simplex monachus, Pachomius Ohilevyč, et aliae res sunt actae.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 24-26.

<sup>179</sup> Forsan agitur de Alumno Josepho Babinskyj, qui egressus est de Coll. Graeco 27.VIII.1669, ob infirmam valetudinem; de quibusnam « uterque Iosaphat » agitur, non nobis constat.

<sup>180</sup> WELYKYJ A. G., OSBM, *Litterae Episcoporum historiam Ucrainae illustrantes*, vol. II: 1665-1690, Romae 1974, ubi praesertim litterae famosi Basiliani Jacobi Susza, Episcopi Chelmensis et titularium aliarum sedium episcopaliuum inveniuntur. Cfr. *Indicem Sedium episcopaliuum* in terris Ucrainae et Bialarussiae.

<sup>181</sup> WELYKYJ A. G., OSBM, *Epistolae Metropolitanarum Kioviensium catholicorum: Cypriani Zochovskyj, Leonis Slubicz-Zalenskyj, Georgii Vynnyckyj (1674-1713)*, Romae 1958. Hi omnes Metropolitanatae erant Basiliani, tum ante tum post suam promotionem ad Metropolitaniam; et proinde ad *Litteras Basilianorum* spectant.

Capitulum Generale Monachorum Ruthenorum Unitorum Ord. S. Bas. M.  
In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Unius, et Trini Dei, Amen.

Anno Millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto, Maii die 12.

Nos Praelati, Consultores, Hegumeni, Superiores, et Monasteriorum Legati Ord. S. Basilii Magni, ad Intimatorias Ill.mi et Rev.mi Domini, Domini Cypriani Zochouschi, Metropolitanæ Chyoviensis, Haliciensis, totiusque Russiae, legitime in Domino pro eligendo Protoarchimandrita, seu Capite Religionis nostrae Zyroviciis congregati, ad praedictum Electionis Actum hoc accessimus modo.

In primis, praefixa inchoando Capitulo die, solemnem de Spiritu Sancto ipse Ill.mus Metropolitanus cantavit Missam.<sup>182</sup> Qua peracta, invocato Spiritu Sancto consedimus, ac praeliminaria aggressi sumus. Atque Ill.mus Metropolitanus brevibus praefatus est, fundavitque Jurisdictionem.

Intulit Ill.mus Dominus Episcopus Vladimiriensis suo, ac Illustrissimorum DD. Episcoporum, Chelmen., et Piscen., nomine,<sup>183</sup> adductis legalitatibus, petitionem pro prorogatione Capituli, ac electionis Protoarchimandritae. Responsio reiecta in diem crastinam, re interim ad deliberandum sumpta.

Die 13 Maii (f. 24v).

Convocata sessione, Ill.mus Metropolitanus, significatis paternis suis in Religionem propensionibus, promptitudineque eam optimis quibusque efficacissimisque iuvandi modis, ante omnia electionem Protoarchimandritae liberri-  
mis Monachorum permisit, resignavitque semet ab hoc munere excludens ipsum in quemcumque alium Monachum, qui Episcopali dignitate praeditus non esset, suffragiis suasitque, ne ulterius protelaretur electio Protoarchimandritae, tum ob alia, tum ob incertam deinde comode conveniendi opportunitatem, propter vicissitudines rerum Patriae. Ad haec Ill.mus Dominus Episcopus Vladimiriensis respondit: Se una cum Ill.mis DD. Episcopis Chelmen. et Pinscen., non aliud in bonum Religionis praetendisse, quaesivisseque, quam quod iam ultro polliceri audit Religioni Ill.mum Metropolitanum. Quare suo, ac Illustrissimorum Chelmen. et Pinscen. Episcoporum nomine, libenter accedere velle, accedereque re ipsa ad Actum Capituli, atque electionem Protoarchimandritae. Gratiae a toto consensu Ill.mo Domino Vladimiriensis actae, quod sese Angelum praestiterit Pacis.

Mox, advocans Secretarii Ord. munus, electus est Ven. et A.R.P. Josephus Pietkevicz, Superior Bitenien.,<sup>184</sup> ac Juramentum recte gerendi peragendique officii praestitit.

<sup>182</sup> Capitulo hoc Zyrovicensi praesidebat Metropolita Cyprianus Zochovskyj (1674-1693), in quo electioni in Protoarchimandritam resignavit in favorem simplicis monachi, ad mentem dispositionis Metropolitanæ Josephi Velamin Rutskyj (1613-1637) et Capituli Novogrodovicensis an. 1617.

<sup>183</sup> Episcopus Chelmensis Jacobus Susza (1652-1687) et Episcopus Pinscensis Marcianus Bilozor (1666-1696).

<sup>184</sup> *судар* Pietkievič, OSBM, Procurator Generalis in Urbe (1665-1669), qui erat dein Protoarchimandrita Basilianorum, ut simplex monachus (1686-1690).

Proposuit Ill.mus Metropolitanus, qualem Religio cum ipso vellet (f. 25) optaretque inire nexum, quidque ab ipso praestari sibi, ac vicissim se ipsi praestare deceret? Responsum: nexum eiusmodi, qualis Metropolitanam ac Monachos interesse debeat, iam olim a Josepho Rutscio, Metropolitano, Religionis instauratore,<sup>185</sup> praescriptum, seseque illi omnino inhaerere; quam rem singulatim se expositurus die crastina.

Annuit Ill.mus Metropolitanus rogatusque quid vicissim a Religione praestari sibi desideraret; proposuit fortunarum Metropolitanarum, et Archiepiscopatus Polocen. extenuationem. Quare exposcere se a Religione, ut cum meliora redeant tempora, interea saltem ad futurum Capitulum retinere possit Monasterium Berezevecense cum cunctis eius redditibus, se vero per id temporis quotannis numeraturum Novitiatui florenos sexcentos, divisos in tres Ratas, unam ducentorum florenorum pro die Natali Domini, alteram itidem ducentorum pro festo Sancti Petri, tertiam reliquorum ducentorum florenorum pro Paschate Resurrectionis Dominicae, aliturumque in retento Monasterio Monachos in competenti numero.

Responsum: Religionem se id praestare non posse absque licentia S. Sedis Apostolicae, ex quo Monasterium istud ex intentione fundatoris, cum expressa exclusionem sive Metropolitanam, sive Archiepiscopi Polocen., item cum exclusionem sive Archimandritae, sive Superioris advitalitii, pro solis erectum sit dotatumque Monachis; permittere (f. 25v) se tamen, in contestationem debitae gratitudinis pro restitutis Religioni libertatibus, ut dispensationem procuret apud S. Sedem. Conquievit in dato Responso Ill.mus Metropolitanus, poposcit deinde, ut Visitationes Monasteriorum curae suae in Volynia subiectorum non instituantur a Protoarchimandrita, vel eius Delegatis, se inconsulto. Assensum et solutaque sessio.

#### Die 14 Maii.

Resumpsit Ill.mus Metropolitanus hesternam percontationem quaesivitque, quid Religio particulatim, ut se heri, daturam promisit, ad firmandum se, atque ipsum inter nexum, ab ipso praetenderet? Responsum propositione sequentium Punctorum: 1, Ut Ill.mus Metropolitanus exemplo p.m. Josephi Rutscii, Metropolitae, ne multiplicet Archimandrias, imo eas sublatum eat, interposito suo pro ea re, Religioni salutari, apud Principem ac Nuntium Apostolicum, Sanctamque Sedem zelo; neque ambientibus faveat, ut vel hoc pacto restinguatur hic vitiosus illorum calor, sedaturque pruritus occupandi huiusmodi dignitates; 2, Ut si ex nunc non possint tolli, saltem quae possint ad interim tollantur Archimandriae, vel aliquae, ut Vilnen., Minscensis, et Czereien.; 3, Ut ne promoveat ad qualiacunque alia officia, dignitatesve ullum absque consilio Protoarchimandritae (f. 26), hic vero absque consilio Consultorum; 4, Ut ubique tum in Patria apud Principem et Proceres, tum Romae

---

<sup>185</sup> Metropolita Kioviensis (1613-1637), ab anno 1617, a Capitulo Novogrodovicensi in mense Iulio.

apud S. Sedem sollicito zelo protegat, promoveatque Religionem.<sup>186</sup>

Admisit, acceptavitque haec omnia Ill. mus Metropolitanus pollicitusque est, libenter, quantum in se esset, praestare cuncta, hoc solo cauto, ut praesentes Archimandriarum Possessores eis ad vitae tempora potiantur, atque ex nunc novos pro Archimandriis Candidatos ab hac promotione removit. Actae gratiae.

Accessum ad electionem Protoarchimandritae; electus est pluralitate votorum, ac unanimi omnium consensu, acceptatusque Multum Venerabilis, et Admodum R.P. Pachomius Ohilevicz, Ordinis ante hac Vicarius Generalis, ac iuramentum pro munere Protoarchimandritali praestitit. Praestita novo Protoarchimandritae ab omnibus solito ritu obedientia, Deo actae gratiae, soluta sessio.

#### Die 15 Maii.

Provisio Protoarchimandritae stabilita ex praedio Torokaniensi dicto, relicto eius absolutae dispositioni isto praedio, addito tamen pacto, ut pro posse novitiatui ex redditibus eiusdem praedii elargiatur.

Actum de Vicario Generali, visumque ob compendium impensarum, aliasque rationes, ut Protoarchimandrita pro rei exigentia deleget, collato cum Consultoribus consilio, quem, vel quos ipsi in Domino visum fuerit (*f. 26v*) ad visitanda Monasteria. Lecta singulorum Monasteriorum per Legatos proposita publicorum diversorum ac privatorum momentorum puncta. Et quia expediri hac die non poterant, reiecta reliqua ad diem crastinam.

#### Die 16 Maii.

Continuata Monasteriorum Puncta, et quia pleraque omnia respiciebant munus Protoarchimandritae, ad ipsum, et Consultores sunt remissa.

Lectae aliquorum Magnatum certis in causis literae, demandataque responsa Secretario Ordinis.

Pax atque unio intenta hoc in Congressu, praecedentibus sessionibus acta, repetitis contestationibus stabilita est. Actae Deo gratiae, solutum Capitulum.

Porro, ut praemissa transacti Capituli Acta debitum robur, fidemque habeant, ea nos palam, audiente toto consessu, lecta atque unanimi voce ab omnibus confirmata, nostro, et illorum nomine, impressis sigillis nostris, propriis manibus subscribimus, et sequitur:

Cyprianus Zochouschi, Metropolita totius Russiae (Locus Sigill.).

Benedictus Glinski, Episcopus Vladimiriensis, Protothronius (L.S.).

Metrophanes Drucki Sokolinski, Archiepiscopus Smolenscensis, Archimandrita Grodnen., Pustinen. et S. Onuphriensis. (Locus S.).

Pachomius Ohilevicz, S.T.D., Ord. S. Basilii M. Protoarchimandrita. (Locus Sigilli)

---

<sup>186</sup> Est quidam primus « nexus » inter Metropolitam et Ordinem Basilianorum.

## 63.

(Roma), ... 1677.

*Instat Procurator in Urbe, ut possit sine socio incedere, datque rationes.*APF, *Scritti rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 31.

B.ssimò Padre.

Giuseppe de Camillis,<sup>187</sup> Monaco Greco dell'Ordine di S. Basilio Magno, Residente nell'Ospitio de SS. Sergio, e Baco, Procuratore de Monaci Ruteni, del Monsignor Arcivescovo di Polotia e Metropolita Chiovien., dell'Arcivescovo di Smolensco, del Vescovo di Vlodimiria, e Bresta, del Vescovo di Pinsco e Turovia, del Vescovo di Chelma, e Belza, del Vescovo di Premislia, e Mucaczovia, del Vescovo di Leopoli, e Caminiza, del Vescovo di Musachia, del Palatino di Vitepsco, Senatore del Regno di Polonia, e di altri espone humilmente a V. Santità come per non haver seco più che uno, il quale deve ordinariamente attendere alla cura della Chiesa, e Casa, non gli è possibile d'andar sempre accompagnato per la città. Però la supplica si compiaccia dargli licenza che possi camminare solo senza compagno per far i negotii pertinenti alla sua procura, acciò li sudetti Monsignori non habbiano da sentirne qualche grave incomodo, e qualche volta non fosse d'alcun detrimento alla S. Unione Cattolica in quelle parti. S'aggiunge che i Monaci Greci non hanno quest'instituto di camminare accompagnati, ma in tutto l'Oriente, con tutto che vi siano centinaia di migliaia di essi, camminano sempre soli; tanto più facilmente potrebbe lasciarsi caminar l'Oratore, il quale si trova solo, non essendovi altri Monaci, o Sacerdoti greci permanenti in Roma, e in tutto lo Stato Ecclesiastico, fuori che esso. Della qualità poi della sua persona ne puol far fede il Collegio Greco, dove per molti anni studiò,<sup>188</sup> e la Sac. Congregazione di Prop. Fide ne è bastantemente informata havendola egli servita per cinque anni in officio di Missionario, etc.

Alla Santità di N. Signore PP. Innocentio XI. Dopo il 1676.

## 64.

(Roma), 1679.

*Procurator Basilianus in Urbe instat pro designatione in Scriptorum Bibliothecae Vaticanae.*APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1679, vol. 474, fol. 7, 8v.

<sup>187</sup> Josephus, Joannes De Camillis, Alumnus Coll. Graecorum, natus 7.XII.1641 in Chios (Graecia), ingressus Collegium Graecorum 26.III.1656, doctor philosophiae et theologiae, egressus e Collegio 15.X.1668, missus in missionem in Cimarram, postea factus monachus Basilianorum Ruthenorum, et Procurator generalis (1675-1689), nominatus Episcopus titularis Sebastenus et Vicarius Apost. Mukačoviensis (1690-1706), ad cuius sublevationem religiosam et culturalem multum contulit.

<sup>188</sup> Revera, ut monstrant adnotationes Collegii Graecorum erat in Collegio annis: 1656-1668; missionarius erat annis 1669-1674.



Emin.mi, e Rev.mi Signori.

Giuseppe de Camillis da Scio, Sacerdote di Rito Greco, humilissimo Oratore dell'EE.VV., devotamente l'espone essere stato per molti anni Missionario di questa Sacra Congregazione nella Provincia di Cimarra in Albania, con gran sodisfattione, et utilità di quei Popoli, et havere anco dopo tal Ufficio servito alla medesima come può vedersi dall'informationi esistenti in Archivio di Propaganda, per il qual servitio mai ha hauto, ne domandato cosa alcuna. Onde presentendo hora sia per essere licenziato Giorgio Gripari, dal posto, che tiene, di Scrittore della lingua Greca nella Libreria Vaticana, supplica l'EE.VV. si degnino raccomandarlo al Signor Cardinale Bibliotecario, affinché resti aggratiato di detto officio, per il di cui esercitio possiede tutte le qualità necessarie, essendo addottorato in questa Città si in Filosofia, come in Teologia, e secondo il suo Rito, havendo anco insegnato per più anni nel Collegio della sua Nazione la lingua Greca, con spiegare in oltre alli Alunni il vero senso de libri dello stesso idioma, e di presente esercitandosi con somma applicatione, e fatica nel traslatare il Catechismo Romano in lingua greca, con l'aggiunta di varie Istruzioni appropriate ad ogni sorte di Stato, et havendo parimente mandate alle stampe diverse sue opere. Che della grazia, etc. etc...

Die 26 Junii 1679.

(f. 8v) Non vacare.

## 65.

(Roma, c. an. 1680)

*Relationes Josephi De Camillis, Procuratoris Generalis Basilianorum, de Russia, Moscovia, Valachia et Moldavia et modis eas iuvandi, erigendo Seminaria clericorum et scholas, praesertim Ruthenorum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 25, fol. 9-12.

### RELATIONES

DE STATU SPIRITUALI RUSSIAE, MOSCOVIAE, VALACHIAE ET MOLDAVIAE, ET MODUS OSTENDITUR QUO IUVARI POSSINT ILLAE NATIONES.

### RELATIO RUSSIAE.

Rutheni sive Russi vastissimo tractu in longum latumque sese extendunt multosque Principatus non solum et Ducatus, sed etiam Regna habebant olim, et etiam nunc nomine Russiae non modo censetur Podolia, Volhinia, et triplex Russia: Alba, Nigra et Rubra (ab habitu Indigenarum, maxime plebis, sic dictae), sed etiam ipsum Imperium Moschoviticum. Unde nunc Russiae totius Provinciae partim subiacent Magno Moschoviae Duci, et

omnes sunt schismaticae; partim Serenissimo Regi Poloniae, et maiori ex parte sunt unitae cum S.R.E. et ad obedientiam S. Sedis Apostolicae receptae a fel.mem. Clemente VIII, Pont. M., dum habita in Russia omnium Episcoporum Synodo, et in hoc unum conspirantibus omnium animis Romam sunt missi Hypatius Vlodimiriensis, et Cyrillus Luceoriensis Episcopi, qui nomine sui Metropolitae et aliorum suorum coepiscoporum totiusque Russiae publicam detulerunt obedientiam Sedi Apostolicae in Consistorio Publico, in Sala Constantiniana, de quo Baron. in addit. ad Tom. I, et novissime Pater Thomas a Jesu, Carmelita, discalceatus, in opere De procuranda salute omnium Gentium, Lib. 6, p. 3, et alij. Atque ita Rutheni Episcopi 7, cum octavo totius Russiae Metropolitano, Archiepiscopo inquam Kiovien. singulis tribus annis, Sum. Pont. obedientiam deferre solebant.

Tota vero Russia includens etiam Moschoviam subiacebat olim in Spiritualibus cum omnibus suis Episcopis dicto Archiepiscopo Kiovien., a tempore quo fidem Christianam receperunt, usque ad concilium Florentinum, in quo Isidorus Metropolita Russiae creatus Cardinalis simul cum Bessarione Graeco, cum rediisset Unitus iam cum S.R.E. a Moschovitis occisus est, de quo Baterus in suis Relationibus Universalibus, lib. 1°, v. Russia. Episcoporum (p. 9v) vero Ruthenorum Regi Poloniae subiectorum Dioeceses tam longe lateque diffunduntur ut praeter Ecclesias Cathedrales Collegiatas, et Monasteria, quae inibi sunt frequentissima, octomilia Parochiarum sub se complectantur. Tanta enim est vastitas Russiae, ut sola per se contineat tot animas Ritus Graeci, quot in universo Regno Poloniae sunt animae Ritus Latini.

Quod spectat ad propagationem Fidei Catholicae in Russia, tale Deus O.M. incrementum illi dedit, ut hucusque plurimae civitates, cum S.R.E. sunt unitae ac inter alias insigniores VILNA, Metropolis Magni Ducatus Lituaniae, nullum admittit ad Senatum Civitatis nisi Catholicum, nullum item ad Sodalitates Civium et Artificum, nisi qui probatus fuerit unitus cum S.R.E.; Novogrodecum, Metropolis Russiae Nigrae, Vlodimirium, Chelma, Polocia, Premislia, Pincum idem omnino observant, et sunt Civitates residentiae propriorum Episcoporum, nempe Episcopi Vlodimiriensis, Chelmen-sis, Polocensis, Premisliensis, qui omnes Episcopi viri catholicissimi sunt. Sancte est habere sana Capita Ecclesiae. Dicti Episcopi ita Archiepiscopo Kioviensi Metropolitano suo Catholico subordinantur, ut hic solus a S.D.N. confirmari debeat; Reliquos vero Episcopos primo ipse proponit Serenissimo Regi Poloniae, tanquam Ius Patronatus in omnia Bona Ecclesiastica habenti, deinde ab eodem approbatione accepta consecrat eosdem sine ulla dependentia in hoc a Romana Curia, ex confirmatione Privilegiorum Ecclesiae Ruthenae, facta a fel.mem. Clemente VIII.

Clerus Ruthenorum sicut et totius Ritus Graeci honoratior, sunt Monachi Basilij, qui etiam soli ad omnes Ecclesiasticas dignitates maiores assumuntur. Sacerdotes enim saeculares coniugati sunt, et hac de causa ex antiquissima Ecclesiae Orientalis consuetudine, a maioribus Ecclesiae Prae-

laturis excluduntur. Tales Monachi in Russia, Uniti cum S.R.E., iam sunt in bono numero, 20 et amplius occupant Monasteria. Non recipiunt illi antiquiores Monachos licentiori vitae assuefactos, sed novos Religiosos conquirunt, qui sunt tabulae rasae, in quibus inscribi potest quodlibet, etiamsi diutius operarij expectari debeant. Scholas, dum operariorum maior numerus erat, tenebant pro Iuventutis institutione, Controversias publice suis Unitis saecularibus legebant, Verbo Dei, et Sacramentis pascebant populos, et modo pascunt etc.; horum exemplo inductus Clerus saecularis in simplicitate sua sequitur suos Episcopos, veniunt ad Synodos, quae quotannis celebrantur, ab Episcopis consecrantur, per Parochias, per Ecclesias Cathedralis et Collegiatis locantur, chrisma accipiunt, visitationibus subiacent Episcoporum. Ex statu denique saeculari plurimi et quidem primarij nobiles Rutheni cum S.R.E. Uniti.

#### REMEDIA.

Media vero quibus Russia iuvari possit optime persecutus est Iosephus Velamin Rutzky, olim Russiae Metropolitae, in libello ad S. Congreg. de Propaganda Fide directo. Et quoniam praecipuum illius libelli punctum est de Seminario pro Ruthenis erigendo, non abs re hic verba ipsa ex illo sunt referenda; sic igitur dicit: « Paucitas idoneorum Operariorum in Clero saeculari premit nos vehementer, eoque magis est, et reliqua libelli huius ad illa verba: porrigite ergo nobis ». Ruthenae enim Nationes omnes per nullum Latinorum ex Schismate ad Unitatem Fidei Catholicae converti potuerunt, nec modo possunt nisi per Ruthenos Unitos, magnam quippe a Latinis habent aversionem, et similibus facilius (f. 10) transmutatio est quam dissimilium. Porro Rutheni Uniti, cum omnibus nationibus Ruthenis communem, in paucisque differentem linguam habent vulgarem, libros autem et linguam literalem, qua Sacra peraguntur, Caeremonias denique omnes easdem et in nullo differentes.

Utilitates dicti Seminarij essent istae: Introducetur per istos seminariistas Clerus saecularis caelebs, quod a plurimis non modo annis, sed saeculis in Ritu Graeco auditum non est, et tamen a multis desideratum est, et nunc ab ipsismet Ruthenis Unitis praesertim unice in votis habetur. Successu temporis res procedet ultra, ut habeamus etiam Clericos Religiosos, quod nec cogitatum forte est unquam in Ritu Graeco. Non tamen praeterea timenda est aliqua difficultas; multa enim a nobis tempore Unionis facta sunt, quae primo vehementer a Schismaticis improbabantur, nunc autem probantur. Imo ipsi apud se facere idem caeperunt. Idem fieret de Clericis Religiosis. Quanto autem bono Fidei Catholicae id fieret dici vix potest. Isti Clerici non coniugati taliter formati collocarentur a nobis in omnibus Episcopatibus nostris penes Ecclesias Cathedralis per civitates, et Collegiatis per oppida, quia maiores communiter habent provisiones, et commoditates quam aliorum nostrorum Parochorum. Ex his essent Visitatores Ecclesiarum per Villas et sacerdotum in illis. Magnum hinc profecto acce-

deret S. Unioni stabilimentum et ornamentum. Hinc mitterentur scholarum Magistri per particulariora loca Russiae, ad instruendam iuventutem in litteris, simul pietate et fide, quod praestarent ipsi commodissime et suavissime ratione status sui; ibi parati essent sacerdotes, qui petuntur a diversis Dominis, petuntur autem in dies, cum quibus facilius tunc transigi posset de meliorandis foundationibus, si viderent digniores quam fuerunt ante. Ex eiusdem Seminarij alumnis implerentur Monasteria Monachis bonis, et plurima alia bona, ex tali institutione Alumnorum in omnes partes Russiae possent emanare. Unde certissime promittere possumus, quod per hoc medium brevi tempore ruet Schisma in universo Regno. Quilibet enim ex Dominis concedet libenter tales satius in bonis suis habere sacerdotes, quam quales habent modo, et meliorabunt provisiones. Quid ergo restat aliud quam ut ad effectum producat?

Hoc ipsum vero ut consequamur ad pedes vestros, Cardinales Amplissimi, provoluti supplices oramus, verbis quae ex abundantia cordis procedunt, et verbis non nostris, sed Patris nostri Basilij, quibus in simili necessitate scribens ex sua Graecia ad Episcopos Italiae et Galliae utebatur: «Porrigite manum in genua depressis, commoveantur erga nos fraterna vestra viscera, profundantur commiserationis lachrymae; dimidium orbis errori immersum nolite contemnere, ne feratis, ut fides apud eos extinguatur, apud quos primum eluxit»; sic S. Basilius. Et quidem primum apud Ruthenos eluxit fides Catholica non Schismatica, per viros Catholicissimos et Sedi S. Apostolicae devotissimos, Methodium et Cyrillum, qui nobis ex lingua Graeca in nostram nativam transtulerunt Liturgiam et totum Divinum Officium, et ipsi primo Romae in S. Petro Missam nostram Ruthenam celebrarunt, ad quorum instantiam lingua Sclavonica a Sancto Pontifice Adriano hoc privilegio donata est, ut in illa Sacrum Missae officium et aliae Laudes Divinae decantarentur. Totam hanc historiam fuse habemus descriptam in Libris nostris Ruthenis, et diem obitus horum SS. celebramus, sicut et Dioecesis Gnesnen. et tota maior Polonia celebrat, et officium particulare S. Cyrillo et Methodio recitat. (f. 10v) Corpus dicti S. est conditum Romae, in Ecclesia S. Clementis; relati sunt in Martyrologium Romanum 9 Martij. Sunt et alia verba eiusdem S. Patris in alia Epistola itidem ad Occidentales scripta vehementer et ista accomodata praesenti petitioni nostrae. «Obsecramus, ut vel nunc tandem manum Orientalibus porrigatis Ecclesijs, quae iam velut in genua depressae declinant». Ita alloquebatur Antecessores Eminent. Vestrarum Pater noster et obtinuit quod petijt. Obtineamus et nos Filij eius, cum ore Patris nostri alloquimur Eminentias Vestras, Zelatores Fidei Catholicae, Columnas S. Ecclesiae, Lumina Christianitatis. Ecce in manibus Eminent. Vestrarum stabilimentum Unionis, et interitus Schismatis. Jam igitur sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, ita oculi nostri in manibus Eminentiarum Vestrarum, videntes reposita esse talia nostra bona in illis, speramus illa, benignitate Eminentiarum Vestrarum, infallibiliter nos accepturos.

## RELATIO MOSCHOVIAE.

Moschoviae tanta est vastitas et diversitas populorum et linguarum in ea, ut merito a Moschovitis ipsis et Regnis adiacentibus eorum Magnus Dux Imperator appelletur. Praeter enim ipsam maximam vastitatem Moschoviae sunt plurimae gentes, bello subactae, subditae illis et inter caeteras: Regna Scytarum Casanen., et Astracan. In hoc ergo Dominio tam amplo nulla fides, nullus Ritus, praeter fidem Graecam modernam Schismaticam, inquam, et Ritum Graecum professus fuerit, cuius ipsi sunt tenacissimi. Propterea neque Haebrei, neque Haeretici, et quod magis mireris, neque ullus ex S. Ritu sub paena capitis esse sinitur. Purissimus ergo est Ritus Graecus. Moschovitae ex suis terris nunquam exire possunt sub periculo vitae in terras alienas, nisi propter legationes, ut ipsi vocant, Imperiales, quin nimirum mittantur a suo Magno Duce ad Principes et Reges nationum externarum, vel nisi sint Mercatores, quibus exeundi datur facultas ad certas civitates et non adeo longinquas ab eorum Regno. Et hoc ideo ab eis statutum est, ne forte Patrios deserant Ritus ac violent, quod ubique gentium nefarium censent. Sola illis sapientia est, maiorum instituta tueri, Sacris ceremonijs retinendis. Timent itaque ne practicando cum alijs gentibus, quas se inferiores existimant, paternos mores deperdant, et eorum pravos usus et fidem in Regnum invehant.

In hoc Regno ulla studia aut scientiae reperiuntur. Unde sacerdotes eorum, scientes bene legere in Rutheno (hac enim lingua in Sacris utuntur) doctissimi existimantur, caeteri saeculares Principi tantum suo scientiam debere putant. Quare quanta sit inibi ignorantia inter Episcopos et Clerum eorum unusquisque facile colliget.

Totum hoc Dominium olim subiacebat in Spiritualibus, cum omnibus suis Episcopis, Archiepiscopo Metropolitano totius Russiae, incipiendo a tempore quo fidem Christianam receperunt, usque ad Concil. Florent., in quo Isidorus, Metropolita Russiae, creatus Cardinalis simul cum Bessarione Graeco, cum rediisset cum Unione S. facta cum Ecclesia Romana, non amplius acceptatus est ab eis, imo eiecto illo, creatus est alter Metropolita, qui sibi nomen Patriarchae usurpavit, prout et nunc ab illis appellatur. Et ex eo tempore (f. 11) Metropolita Russiae nullam exercere potuit iurisdictionem in illos neque nunc permittitur. Si tamen Rex Poloniae, sub quo est Universa Russia, armis acquirat aliquas terras Moschoviae, in illis Episcopos constituit Metropolita Russiae et sibi subiectos in omnibus habet.

Lingua Moscovitica valde parum differt a Ruthenica, ut, v.i., lingua Bergamasca a Romana; in Sacris vero communem omnino habent cum Ruthenis. Unde praeter alias Gentes Ruthenis maior patet aditus in Regnum eorum, quos ipsi Fratres suos appellant. In Monasterijs etiam eorum, quae plurima sunt, Monachis Ruthenis sine ulla difficultate semper libera mansio conceditur.

Jam in quo statu sit tantum et tam vastum merito Imperium, et quanta

difficultas ad introducendam Fidem Catholicam et extirpandum Schisma, per tot saecula fere iam radicatam, facile potest colligi, cum neque exire, ut dictum est, extra Patriam incolis liceat, neque domi, a quo in recta Fide instruantur, habeant ob ignorantiam, quam dixi, Pastorum. Accedit quod a Metropolita Russiae subsidia ministrari non possint, quia post factam Unionem cum Ecclesia Romana, maximas persecutiones a Schismaticis Ruthenis patitur. Unde non solum Personis eget ad acquirendas oves perditas, sed etiam maximam penuriam patitur in protegendis et defendendis illis, quae sunt in ovili Christi.

#### REMEDIIUM.

Spes conversionis Moschovitarum, humano ingenio loquendo, non videtur posse esse alia, quam per Ruthenos, qui inter se et Ritus eundem habent et linguam, qua utuntur in Sacris, et vulgarem in loquendo, ut insinuatam est, communem. Maxime quod licita sit conversatio Monachis Ruthenorum in Regno Moschovitico sine ulla suspitione diversitatis in Fide. Difficultas est in operarijs mittendis eo. Nam cum Rutheni nullum Seminarium aut subsidium habeant, per quos possit augeri numerus operariorum, tam pro ipsorum Patria quam pro Moschovia, difficile possunt serio ad conversionem eorum animum applicare. Remedium unicum est, si fiat Seminarium Ruthenis et Moschovitis commune, sed numerosum, ex quo prodibunt multi operarij, per quos non solum in Russia totaliter Schisma extinguetur, sed etiam in Moschovia, plurimisque alijs nationibus, eodem Ritu et lingua cum Ruthenis utentibus, ut est Rascia, Servia, Valachia, Moldavia, Bulgaria etc. In his, inquam, nationibus sine difficultate avita fides S. Patrum restituatur. Dico sine difficultate, nam quondam Rutheni Monachi S. Basilij Uniti missi erant a suo Metropolita in Ducatum Moschoviae, Smolenscen. scilicet et Severien., qui a Moschovitis ad Regem Poloniae translatus erat. Qui Ducatus tam late patet ut in latum ad ducenta milliaria Italica se extendat, in longum autem ad quingenta; illuc, inquam, missi erant, et cum maximo gaudio populi excepti, et fecerunt maximum fructum. Sic facerent, Deo iuvante, et in alijs Provincijs et terris ipsi Magno Duci Moschoviae subiectis, si essent Operarij Rutheni. Populus enim in illis partibus valde simplex est, et sequitur suos Sacerdotes in omnibus, quae spectant ad Fidem, et acciperent voluntarijssime quemcunque mitteret Metropolita Russiae, ubi nulla est adhuc prava dispositio. Qui, ut maiorem effectum ad hoc negotium habeat, faciendum esse a Sede Apostolica caput missionum in illas partes, addendo et subsidia pro talibus missionibus necessaria.

#### (f. 11v) RELATIO VALACHIAE ET MOLDAVIAE.

Valachia et Moldavia sunt duo Principatus maximi et abundantissimi, quorum uterque Princeps est Tributarius Turcarum. In hos Principatus nullus potest mitti a Turcis nisi Christianus isque Ritus Graeci, alioquin

extemplo arma sumunt; et ut est Gens satis bellicosa, strenue resistunt Imperatori Turcarum, Alienigenam vel alterius fidei in Principem illis conferre volenti. Quod scientes Turcae et experientia docti nunquam illis in hoc vim inferunt. Nam et Gratianus olim Valachiae Princeps, cum esset Romani Ritus, iterum a Schismaticis chrismatus est, significans per hoc se recepisse Ritus Graecum, sine quo non poterat consequi illud Dominium. Ex quo patet quam sint tenaces Valachi et Moldavi Ritus sui, et quam sint male affecti erga Ecclesiam Romanam Catholicam; omnes enim sunt Ritus Graeci, et omnes Schismatici.

In his Principatibus Episcopi possunt esse Valachi, Moldavi, et Rutheni, ac etiam Graeci, licet hi diverso idiomate in Sacris utantur. Ipsi vero Valachi et Moldavi eadem lingua utuntur in Sacris cum Ruthenis, vetusta scilicet, et nunc iam tantum literali lingua Illyrica seu ut ipsi volunt Ruthenica antiqua. Sunt tamen aliquot Monasteria inibi, in quibus Graeci Monachi degunt. In alijs Monasterijs Valachi, Moldavi, et Rutheni permixtim habitant. Ita enim Valachi Ruthenis convivunt, ut etiam in Russia non modo monasteria ingrediantur, sed etiam in Archimandritas seu Abbates Ruthenorum eligantur.

In tota Valachia et Moldavia nullae scholae et consequenter nullae scientiae reperiuntur, ut proinde maxima ignorantia teneantur eorum Episcopi, qui in extrinseca tantum pompa, et vestium Episcopali, quibus in Sacris utuntur, ornamentis Episcopale Officium constituunt, et vix aliqui eorum legere bene sciunt. Jam qualis sit Clerus illorum, facile colligere licet. Et primo quidem, Monachi simplicissimi sunt, qui tantum nomine S. Basilij gaudent, et multi ex illis neque quisnam fuerit primus fundator eorum sciunt. Quid vero de Clericis saecularibus sive Parochis dicendum, qui omnes uxorati sunt secundum Ritus Graecum, et magis agriculturae quam rebus Sacris aut literis intenti, quos certum est non esse doctiores suis Episcopis. Unde consequens est, non modo illos decenter Sacramenta administrare non posse, sed etiam periculum esse ne formas Sacramentorum ignorantes vel corrumpentes illa penitus invalida reddant. Quatuor ergo mala sunt quae satis immaniter depopulantur hos duos Principatus.

Primum est, schisma iam inveteratum, et multis erroribus contra Fidem Catholicam refertum, maxime ex conversatione cum recentioribus Graecis.

Secundum est, maxima ignorantia Pastorum ita ut, a quibusdam bonae fidei relatum sit, diebus festis in Ecclesijs Valachorum Senatorem illorum Principalem vel concionem habere, vel aliquid ex libro praelegere.

Tertium est, extrema penuria Operariorum adeo, ut vere nullus sit qui frangere Panem Evangelij tantae nationi possit.

(f. 12) Quartum, quia nullus est in Orbe Christianorum Principum, qui his populis iuvandis, vel leviter manum admoveret, atque animabus illorum iuvandis eleemosinae nomine aliquid in illos conferret.

## REMEDIA.

Ut Valachi et Moldavi per Ruthenos convertantur ad Fidem Catholicam ratio est: Quia per nullum Latinorum iuvari possunt; cum sint addicti proprio Ritui, magnam habent aversionem a Latinis; cum Ruthenis autem Unitis, Ritus quoad omnia habent eosdem, iisdem libris et eadem lingua in Sacris utuntur.

Modus convertendi tali via fieri potest: Unire 1° Episcopos cum S.R.E. Isti consecrabunt sacerdotes, celebrabunt Synodos. Talibus Episcopis dum obedient Presbyteri, licet non sciant omnia distincte pertinentia ad fidem, pro Unitis habentur, et sunt revera Uniti, quos et plebs dum sequitur est unita; satis enim est in plebe, si nihil contrarium fidei et unioni teneat. Episcopi tamen, in quantum fieri potest, sint docti, scientes distincte omnia.

Tales Episcopi procurabunt Clerum sibi similem, hoc est intime Unitum. Et quia Clerus honoratior constat ex Regularibus, qui sunt Monachi tantum S. Basilij, non ex Saecularibus, qui sunt coniugati, et ex antiqua consuetudine Ecclesiae Graecae non tantum ab Episcopatu, sed tiam ab omnibus maioribus Praelaturis Ecclesiasticis excluduntur. Monachi ergo S. Basilij bene formandi sunt in Disciplina Religiosa et Fide Catholica, per Monachos Ruthenos Unitos, qui instituent scholas, Juventutem in Fide et studijs formabunt.

Ut bene formetur Religio, non assumendi sunt antiquiores Religiosi, sed novi acquirendi, qui sunt tabulae rasae, in quibus inscribi possit quodlibet, etiamsi diutius expectandum sit, antequam maturescant.

Ut talis Religio sit numerosa, necessarium est Seminarium, ex quo tam Religio dicta S. Basilij impleri et in magnum numerum Operariorum excrescere possit, quam etiam saeculares Valachi et Moldavi, Nobiles praesertim, qui S. Unionem in suis subditis promoveant, et Schismaticis sua potentia, ne noceant, obsistant; prodiret etiam Clerus saecularis.

Ubi numerosa erit Religio, facile occupari possunt in Moldavia et Valachia omnia Monasteria, in quibus nunc sunt Schismatici, et ex his Monasterijs missiones fieri possunt ad omnem viciniam, et sic informari ac instrui possunt Sacerdotes coniugati, qui pauperulas provisiones habent, et ipsi simplicissimi sunt. Per tales etiam Religiosos Episcopi possunt visitare Dioeceses, et multa alia bona facere, ad utilitatem animarum, nunc caeco impetu ad inferos ruentium. Hoc etiam ordine in Russia proceditur magno bono illius, nisi quod ibi Seminarium non sit.

Quo autem ad locum ubi erigi possit hoc Seminarium pro Valachis et Moldavis non est magna difficultas; sufficit enim si unirentur hi cum Ruthenis in Collegio erigendo vel Romae, in aedibus SS. Sergij et Bacchi vel alibi in Russia, in ditone Regis Poloniae, nam cum sint eiusdem Ritus et fere eiusdem linguae, melius studerent et assuescerent in ceremonijs Ecclesiasticis. Praxis vero in Sacris Ritibus maxime commendat hominem (f. 12v) Ritus Graeci, et auctoritatem comparat apud Populos, et animos ipsorum mirabili-



ter demeretur, qui tantum extrinseca admirantur. Cura illorum demandari posset Metropolitanæ Russiæ, ac P. Generali Monachorum Ruthenorum, qui constituerent in illo Superiores Monachos Ordinis S. Basilii, Unitos cum S.R.E., qui simul omnes iuvenes, tum Ruthenos, tum Moschovitas, tum Valachos, tumque Moldavos instruerent, in pietate, literis, et Sacris Ritibus, quos etiam docerent linguam literalem Ruthenam, qua in Sacris utuntur. Quibus omnibus ita est necessaria dicta lingua pro Sacris Ritibus, sicut latina illis qui sunt in Ritu Latino. In hac etiam lingua Biblia, et SS. Patres fere omnes Graecos et antiquiores Latinos translatos habent, et cum citatur Sacra Scriptura, nel Conc. vel illis superioribus addiscent ceremonias et imbibent zelum ad schisma radicitus evellendum, et disseminandam Fidem Catholicam, vel ipso exemplo Ruthenorum. Eadem enim etiam crudelitas Schismatis saeviebat in Russia per tot ante acta annorum tempora. Denique ipsi Rutheni, conversando cum Valachis, addiscerent linguam ipsorum, et ita facilius eos iuvare possent.

Et, ut summatim omnia ex Seminario praedicto manantia commoda colligamus: Alumni illius Seminarij, existentes sub cura Monachorum Ruthenorum, fient multi Religiosi Ordinis S. Basilij in Russia Uniti inter Monachos; hi in vita Monastica bene educati mittentur in Valachiam, ubi intrabunt in Monasteria Valachiae principalia, introducent simul cum Fide Catholica observantiam Religiosam secundum Regulas S. Basilij, a quibus Monasteria minus principalia, eandem, vel invitis Monachis, disciplinam, ex dependentia quam habent a Monasterijs principalioribus acceptare cogentur. Hi iidem Alumni, cum forent doctiores alijs Monachis, sine dubio, vacante Sede Episcopali, in Pastores assumerentur. Alij vero ex illo Seminario, consecrati ab Episcopis Ruthenis in Clericos saeculares, mitterentur in Parochias Valachiae, qui proinde exemplo suo et doctrina reformabunt Clericos illius loci. Prohibent etiam ex hoc Seminario saeculares Valachi, qui ad sua remeabunt, et ut doctiores alijs ad dignitates saeculares promovebuntur, secumque subditos suos ad Fidem Catholicam trahent.

Humillimus Servitor

JOSEPH DE CAMILLIS, Ordinis S. Bas. M. totiusque  
Russiæ Procurator Generalis.

66.

(Romae, 1680).

*Memoriale Iosephi de Camillis de erigendo Seminario ad aedes SS. Sergii et Bacchi; de decimis et scholis Chelmensibus.*

APF, *Congr. Part.*, vol. 25, fol. 46rv.  
MUH, vol. IV, pag. 87-88.

Per soccorrere le provincie Rutene, conservar et accrescere l'Unione et estirpar totalmente lo scisma, altro mezzo migliore non si può trovare, che la

fondazione d'un Seminario in Roma appresso SS. Sergio e Bacco.<sup>189</sup> Questo luogo fu tolto alli Padri di S. Francesco di Paola e dato alli Rutteni dalla gloriosa memoria di Urbano VIII, l'anno (*spatium vacuum*) a fine di ridurlo in Seminario, come apparisce dalla Bolla della concessione. Ma per la morte della felice memoria del Signor Card. S. Onofrio, che promoveva quest'opera pia, l'esecuzione si ritardò.

Che sia per essere sommamente profittevole si può conoscere dalli effetti, perchè in tanto l'Unione si conservò et si dilatò fin'hora, in quanto furono nella Polonia soggetti, che studiarono in Roma, come fu il Corsac, il Ruschi, il Colenda, et al presente il Zochouschi, il Zalenschi, il Malachouschi, il Bialosor, l'Ohilevicz, il Martiscevicz, il Ciprianovicz et altri, per l'opra de quali hebbe et ha gran progressi la fede, quali se mancassero, al certo restarebbe estinta. Ma che vogliono bastare per tante provincie tre soli, che ogni dieci anni escono dal Collegio Greco, de quali altri poco hanno vissuto, altri non sono riusciti di gran virtù. Quando fosse un Seminario proprio della natione, sarebbero molti li soggetti, e potrebbero andare per tutte quelle parti e stendersi anche a Valachia, a Moldavia et a Moscovia,<sup>190</sup> con certa speranza di progressi non ordinarii, perchè tutte quelle provincie sono del medesimo Rito e lingua.

Per provvedimento della Chiesa Chelmense, acciò non pigli qualche cattiva piega, è necessario che si rimedii alle continue (*fol. 46v*) discordie e tumulti che regnano ivi fra li Greci e Latini per le Decime, che il Vescovo Latino toglie al Vescovo Greco ingiustamente e contro li decreti e sentenze della Sacra Rota di Roma. Et per le Scole che li Padri delle Scole Pie hanno ultimamente eretto in Chelma a dispetto delli Uniti, trattandoli non per Uniti, ma per peggiori che Eretici. Di quì nascono continue risse, dissentioni, homicidii, sacrileggi, come apparisce dalli processi autentici mandati dal Mons. Vescovo Chelmense unito a Roma. Che al certo se non si rimediaranno quanto prima con ordinar al Vescovo Latino che obedisca alli decreti della Sacra Rota, et con proibire alli sudetti Padri delle Scole Pie l'esercizio della scola, quale ivi non è necessaria, essendovi già da molti anni prima le scole dell'Uniti e delli Padri Giesuiti, si perderà in quella diocesi quanto si è operato fin'hora per propagatione della santa fede. Et a questa perdita potrebbero seguir le altre diocesi con la dannatione di migliaia di anime.

---

<sup>189</sup> Programma fundandi in Hospitio SS. Sergii et Bacchi parvi Collegii pro Ruthenis viguit in his coetibus iam ab ipsa fundatione seu concessione in 1638, cui et Nobilis lithuanus Joannes Dubovicz testamento inscripsit 20 millia florenorum, quod tamen a Carmelitis Discalceatis recuperari non potuit et res insoluta mansit ad annum 1897, quando Leo XIII fundavit cum Imperatore Austriae Collegium Ruthenum et quidem in eodem loco, renovato et restaurato.

<sup>190</sup> Cfr. Relationem praecedentem (nr. 65), quam De Camillis scripsit circa eundem annum.

## 67.

Minsk, 25.VII.1683.

*Obiectiones contra Capitulum Minscense deque eius invaliditate et ob quas causas.*

APF, *Scrirt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 281-284.

Actum Capituli ab Ill.mo Metropolita Russiae, Minsci anno currenti 1683, mense Iulio a die 25 eiusdem celebrati.

Illiusque acta esse invalida et nulla:

1mo: — Quia appellatum, quod impedit electionem et suspendit.

2.do: — Quia electus Archi-Episcopus, qui non potest esse, cum sit extra Ordinem, et propter incompatibilitatem. Est etiam contra leges Religionis, quae excludunt ab hoc munere quemcunque Episcopum.

3tio: — Quia renunciavit eligibilitati bis, primo pro Capitulo Generali electivo Anno 1675, Mense Maio, Zyroviciis. Probant Acta Capituli sub 3, A. Quae Acta confirmavit S. Congreg. de Propaganda Fide suo Decreto Anno 1676, die 3 Aprilis facto. Vide ibidem; 2do, Renunciavit itidem in Capitulo electivo Anno 1679, Zyroviciis.

4to: — Quia non poterat intimare Capitulum. Cum ad ipsum non spectat, vivente Generali.

Circa hanc rationem sciendum est, quod Iosephus Metropolita, cum instauraret Religionem, multa detulerit Metropolitis in Religionem, inter quae etiam intimationem Capituli Generalis pro eligendo Protho-Archimandrita, relicta tamen Proto-Archimandritae potestate convocandi alia quadrigenalia Capitula. Id quod videri possit fecisse (*f. 201v*) ex eo, quod Protho-Archimandritam voluerit esse advitalem. Quare quod poterat Protho-Archimandrita, stante vita, praestare, id eo obtulit, quod vero post suum obitum non potuit, transtulit in Metropolitam. Nunc vero apud nos Protho-Archimandrita est ad quadriennium. Tamen Antonius Metropolita,<sup>191</sup> postquam impetravit a Religione eligi in Protho-Archimandritam in Capitulo suae electionis Generali, cavit cum toto Capitulo, ut deinceps, mortuo se, pro eligendo Protho-Archimandrita, non ipsius successor Metropolita, sed Vicarius Generalis, aut in defectu huius, primus Consultor convocaret Capitulum. Cautionem Antonii Metropolitae vide sub signis 4, B.

Sed circa potestatem convocandi Capitulum electivum, Monachis ipsis debitam, omnem scrupulum adimit Decretum S. Congr. de Propaganda Fide, Anno 1624, die 4. 8bris emanatum atque Urbano VIII, Anno 1631, die 20 Augusti per Breve confirmatum.<sup>192</sup> Ubi Monachis datur facultas convocandi

<sup>191</sup> Antonius Sielava, Archiepiscopus Polocensis (1624-1655).

<sup>192</sup> Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum...*, vol. I, Romae 1953, pag. 481, nr. 411.

eiusmodi Capitulum, et eligendi in eo sibi Protho-Archimandritam. Breve ipsum et S. Congreg. de Propaganda Fide Decretum vide sub Signo 4, B. Et hac fortassis respexit Antonius cum Capitulo sui electivo in supra dicta cautione, in qua Monachis reliquit convocationem Capituli electivi.

(f. 282) Tentavit quidem bis Gabriel,<sup>193</sup> successor Antonii, intimare intimavitque Capitulum electivum, seseque eligi curavit in Protho-Archimandritam; verum utrumque Capitulum, et electiones nulla esse declaravit Alexander VII, per Brevia Apostolica. Vide sub signis 4, B.

Nec obstat, quod hodiernus Ill.mus Archiepiscopus bis indixerat Capitulum electivum, cum Religionis nostrae consensu, et per conniventiam boni pacis. In quibus tamen Capitulis<sup>194</sup> seipsum expresse exclusit a munere Protho-Archimandritae. Nunc autem absoluta utitur potentia, asserens se natum naturalemque Protho-Archimandritam, et Capitula ceremoniae ergo celebrari.

5.to: — Quia statuta erat dies in mense Januario, Anni 1684, in praesentia Ill.mi Nuntii Apostolici, Episcoporum aliquot, et ipsius Ill.mi Metropolitae, nec non Protho-Archimandritae et Secretarii Ordinis, ut simul Congregatio Religiosa seu Capitulum Generale, et Synodus Brestae fiant, cui statuto omnes consenserunt.

(f. 282v) 6.to: — Quia Generalis aliique graviores Patres, prout sunt Consultores Ordinis, Superiores Monasteriorum non possunt haberi pro contumacibus, cum bona fide non comparuerunt, puntantes se non teneri, nec Convocationem subsistere de iure.

7.mo: — Quia ipse quaesivit eligi. Et ambientes excluduntur ab eligibilitate per leges Religionis. Vide Observanda circa electionem Protho-Archimandritae, Cap. 2, n. VII.

8vo: — Quia ipse Dominus Metropolitae, vacante Protho-Archimandria ab obitu sui Antecessoris Gabrieli Metropolitae, simul et Protho-Archimandritae, non disposuit de Protho-Archimandria, sed a Nuntio Apostolico petiit provideri, per administrationem Protho-Archimandriae Monacho conferendam. Quod et fecit Ill.mus D. Bonvisius<sup>195</sup> in personam Patris Pachomii. Vide Literae pro eiusmodi Administratione, sub 8C.

9no: — Quia ipsa eligibilitas ex libera voluntate Religionis fuit concessa Antonio (f. 283) Metropolitae, et deinde Gabrieli, cum eorum Cautionibus Religionis, ne in posterum id fiat, datis. Patet ex cautione Antonii supra indicati, sub signo 4, B. Et ex Actis Capituli Bresten., Praeside Ill.mo Pignatello, Nuntio Apostolico, Anno 1667, mense Martio celebrati.<sup>196</sup> Quorum Actorum exemplar

<sup>193</sup> Gabriel Kolenda, Metropolitae Kioviensis (1665-1674), antea Administrator in temporalibus (1655-1665).

<sup>194</sup> In Capitulo Zyroviciensi an. 1675, in Majo, et Zyroviciensi an. 1679, mense Iulio. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis Basilianorum*, Romae 1954, pag. 16-17.

<sup>195</sup> Nuntius Varsaviensis, Franciscus Bonvisi (1673-1675).

<sup>196</sup> Capitulum Generale Berestense, diebus 4-5.III.1667. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis...*, pag. 15.

duplex sub signo 9, D. Et in Volumine legum Ordinis sub titulo: Cautio Gabrielis Metropolitanæ.<sup>197</sup>

10mo: — Quia in praeiudicium eiusdem Religionis fecit se eligi, ut nimirum Monasterio Beresvecen., eiusque bonis, quae in provisionem Protho-Archimandritae assignata erant, in suam personam convertat. Caeterorum vero Monasteriorum arbitraria dispositione et usu potiretur. Et fecit id occupando praedictum Monasterium eiusque bona.

(f. 283v) 11mo: — Quia quicquid Metropolitanis in Religionem detulit eius Restaurator Josephus, conditionate fecit, et cum cautela, nempe volens, ut certas suas habeat obligationes, Regulasque a Religione sibi traditas, in quas ipse iuret, ne eiusmodi potestas Religionis deinde noceat. Vide Cap. 1, Collat. 2, n. 2. Et Regulas Episcoporum, c. 2, n. 20

Hodie vero nil tale D. Metropolita Religioni praestat et in Religionem arbitrariam auctoritatem exercere contendit, exercetque.

Capitulum 1m, manu Josephi correctum, Vide sub signis 11°, E. Regulas Episcoporum sub iisdem signis connotatas manu Josephi et correctas, ac eadem manu subscriptas.

12°: — Quia in Capitulo non aderant requisiti Vocales, sed homines discoli, et delati Nuntio Apostolico, aliquot tantum simpliciores, qui omnes nec numero conficere poterant (f. 284) Capitulum. Etiam si conficerent, directe factum est contra sancita Religionis, ne plures ex uno Monasterio intersint, quam illa praescribit.

## 68.

Minsk, 28.VII.1683.

*Quidam Consultor describit actus et progressus Capituli Minscensis, et appellat ad Nuntium Apostolicum, ut deleget aliquem Commissarium.*

APF, *Scritti rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 142-143v.

Copia litterarum V.R.P. Consultoris Ordinis, Superioris Miscen.<sup>198</sup>

R.ndme in Christo Pater.

Quantis cum impetibus adfuit hic Ill.mus Metropolitanus, cum Ill.mo Pincensi<sup>199</sup> pro sua illorummet Congregatione aegre describi potest, cum nulla ab Ill.mo Nuntio Apostolico habeant pro se documenta. Iam bona retuli pastoralium favorum initia, postquam mihi Ill.mus Pincen. hesternae die barbam evulsit, pro crastina vero die citationes porrexit, ut consisterem coram Ill.mo Domino Metropolita. Toto conatu aggressus est rem, inceptique Congregationem, modo Antecessoris sui Supraslien. adhibito: vult eligi Protho-Ar-

<sup>197</sup> Cautio similis ac illa Antonii Sielava ex Cap. Vilmensi an. 1642.

<sup>198</sup> Symeon Cyprianowicz, hegumenus Minscensis et Consultor Ordinis.

<sup>199</sup> Marcianus Bilozor, Episcopus Pincensis (1666-1696).

chimandritam, creari Consultores, institui permutarique Superiores. Hodie coram hoc Conventiculo solemniter protestatus sum de nullitate actus, et appellavi, praesentibus meis Religiosis. Maius quid peiusque proferent secuturi dies. Imploro Deum, ut obsequio Matris meae Religionis Sanctae proferam ista omnia. Consulant igitur Paternitates Vestrae, nobisque hic qui sumus prospiciant. Nunc tempus adest, ut ad Ill.mum Nuntium Apostolicum currat aliquis; ipse quoque ego, modo ab his difficultatibus (*f. 142v*) me extricem, excurram. Expediret ab Ill.mo Nuntio, praeter Monitoriales et Cassatorias huius Actus, expedire Confirmatorias Prothoarchimandritae, Consultorum, aliorum Officialium, novorum autem, si qui essent, annihilationem. Berezvecium et Wierzbilow palam minatus est, se occupaturum; iamque forsitan misit aliquem occupando.

Tota Congregatio illorum praesens in hanc includitur summam: Ill.mus Metropolitanus, Ill.mus Pinscensis, Archimandrita Trocensis, item Braslaviensis; Pater Korzeniewski cum P. Wienczek et P. Szumlanski, Pater Babinski, Pater Barsonophius, P. Kulczycki, Vladimiria, P. Salcewicz, Pater Miniewski, 4 aliis comitatus, Archidiaconus, et insuper alius quidam Monachus. Adsunt et Vilna iuvenes Fratres Doroszkowski et Zolkiewski. Scandalum duntaxat Civitati, cachinnusque Schismaticis motus. Et vero plura quoque, ut praevideo, patrabunt, ut vitae hominem taedeat tam oppressa Religione. Circumspecte agendum est Zyroviciis; ad omnia suasu suo flectit D. Pinscensis Dominum Metropolitanam.

(*f. 143*) Amore Dei, quamprimum mittendus est quispiam ad Ill.mum Nuntium, qui de omnibus Ill.mae Dominationi Suae significet. R. Pr. Oranski, est mihi auxilio, oportetque ut ad rei exitum perduret hic; spectabimus creationem hanc novorum Officialium, et quomodo cum eis procedent. Jam me, ut rumor est pro Concionatore Polociam ablegare parant, violenter Superioratu privatum, quem minime curo. Tamen qua turpe id esset, patienti esto clypeus. Millies repeto, mittendum ad Ill.mum Nuntium aliquem, qui diei noctique non parcat properando, quodque possibile futurum sit, expediendum; iuaret ut Ill.mus Nuntius Commissarium aliquem deleget, meque iubeat, ut coram Ill.ma Dominatione sua compaream, citra omnem ab Ill.mo Metropolita praepeditionem.

P.S. — Heri in Protho-Archimandritam electus est ipse Ill.mus D.nus Metropolitanus. Heri quoque volebant me iudicare, verum exemi me. Hodie volo fieri contumax vadoque pro aliquot diebus, ampliusque ad RR. PP. Dominicanos demoraturus ibi, donec duret impetus.

Minsci, 28 Julii 1683.

## 69.

Zyrovyci, 31.VII.1683.

*Protoarchimandrita cum Consultorio protestant contra Acta capitularia Minscensia et expetunt adiutorium Nuntii Apostolici.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 144rv.

Illustrissime et Rnd.me Domine, Domine et Patrone Colend.me.

Hactenus dolor noster disertus utcunque fuit in auribus Ill.mae Dominationis Vestrae, nunc cum recens novis iisque extremis ausis ab Illustrissimo Domino Metropolitano irritatur, magnitudine moleque sua pressus in stuporem plane vertitur, referet tamen Venerabilis Pater, Ordinis Consultor praesentiumque lator,<sup>200</sup> quomodo quaque arte dictus Illustrissimus Dominus Metropolitanus, praetextu Congregationis seu Capituli Generalis, quod contra tot declarationes Ill.mae Dominationis Vestrae in contrarium aggressus est ad diem vigesimam quintam Iulii celebrare, omnia nobis simul Monasteria eorumque bona, ac denique ipsa Officia, etiam perpetua, uti sunt consultoratus, ademerit, atque in seipsum Protoarchimandriam, caetera vero munia in eos qui a suis Partibus sunt, utcunque impares et inidoneos transtulerit, ut videlicet arreptum recursum nostrum Romam causaeque prosecutionem, sublatis eius praesidiis, remoraretur praecideretque, ac denique in maiores nos, quam hactenus perpassi sumus, praecipitaret calamitates. Quare nunc tempus adest urgetque, ut promissam nobis ad initium causae ab Illustrissima Dominatione Vestra opem eamque celerem ac efficacem supplicibus (*f. 144v*) geminatisque precibus imploremus, quod et cernui ad plantas Illustr.mae Dominationis Vestrae provoluti agimus, et eidem multos prosperri-mosque ac caelestium favorum feraçes praecamur annos.

Datum Zyroviciis, die 31 Iulii, Anno D.ni 1683.

Illustr.mae et R.ndmae Celsit. Tuae humillimi et obedien. Servi et Exorat.

STEPHANUS MARTISZKIEWICZ BUSINSKI  
Protoarch. O.D.B.M.

PACHOMIUS OHILEWICZ, Ord. S.B.M. (manu propr.)  
BONIFACIUS PUCZKOWSKI, Ord. S. B. Magni, Protoconsultor (mp)

JOSEPHUS PIETKIEWICZ  
Secretarius Ordinis D. Basilii M., Superior Bithenen. (mpr)

## 70.

*Varsavia, 16.VIII.1683.*

*Protestatio contra electionem Cypriani Zochovskyj in Protoarchimandritam Ordinis Basiliani, facta a Georgio Malejevskyj et nomine totius Consilii Generalis in Nuntiatura Apostolica.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 149rv.

Anno Domini Millesimo sexcentesimo octuagesimo tertio,  
die vero Lunae, decima sexta mensis Augusti, Varsaviae.

Pro Adomodum R.do ac Religioso in Christo Patre Georgio Maleieuski,  
Ord. S. Basilii Magni, Consultore, Superiore Zyroviciensis et toto Ordine prae-

---

<sup>200</sup> Symeon Cyprianowicz, Consultor Generalis et Hegumenus Minscensis.

dicto, seu verius Admodum R.ndis Patribus et Fratribus Senioribus et Junioribus dicti Ordinis, Reverend.mo Patre Stephano Martyszkiewicz Businski, eiusdem Ordinis Protoarchimandritae, contra electionem moderni asserti Reverend.mi Generalis adhaerentibus interpositio appellationis.

Coram Actis praesentibus Reverend.mae Nuntiaturae Apostolicae meque etc. praesens et personaliter constitutus Admodum Reverendus ac Religiosus in Christo Pater Georgius Maleieuski, Consultor Ordinis S. Basilli Magni et Superior Zyroviciensis, suo et Reverendissimi in Christo Patris Stephani Martyszkiewicz Businski, Protoarchimandritae dicti Ordinis, et aliorum Consultorum, Secretarii, Superiorum, et omnium Religiosorum eidem Reverendissimo Patri Protoarchimandritae adhaerentium nomine, tanquam ab eodem Reverendissimo Patre Protoarchimandrita licentiam habens, quamprimum, post redditas literas a predicto Reverendissimo Patre Protoarchimandrita, ad Ill.mum et Reverendissimum Dominum Nuntium Apostolicum feliciter in Regno Poloniae commorantem, ad praesens Cracoviae residentem, scriptas, Cracovia Varsaviam rediit, iterque ad appellandum arreptus (ex quo Acta Ill.mae Nuntiaturae Apostolicae Cracoviae non invenit) hic Varsaviae finivit, statim ad omnem meliorem finem et effectum, omni meliori modo, via, forma, iure ac stylo, quo melius, firmiter, validius et efficacius potuit ac debuit, facta solenni Protestatione de nullitate Congregationis praedicti Ordinis per Ill.mum ac Reverendissimum Dominum Cyprianum Zochowski, Metropolitam totius Russiae Unitorum, Ritus Graeci, in Civitate Minscensi, Ducatus Lithuaniae, pro die 25 Mensis Iulii anni praesentis, contra declarationem Ill.mi ac Rvd.mi Domini Nuntii Apostolici, in praesentia Ill.morum Dominorum Episcoporum Unitorum eiusdem Ritus, eo nomine congregatorum, de eorum unanimi consensu,<sup>201</sup> et ipsiusmet Ill.mi D.ni Metropolitae datam (qui pro die 10 mensis Januarii anni proxime venturi 1684, dictam Congregationem, ut etiam et Synodus Provincialis commode celebrari posset, distulerat tempusque prorogaverat) indictae, et in absentia Ill.morum DD. Episcoporum, Reverendissimi Patris Proto-Archimandritae, Consultorum, Secretarii, et Superiorum Ordinis ac aliorum multorum Religiosorum, cum consilio solius Reverendissimi Domini Martiani Bialozor, Episcopi Pincendis, Monasterii Vilmensis asserti Archimandritae, litem cum Religiosis dicti Ordinis in praesenti Tribunali Apostolico habentis, pacem et quietem religiosam in Ordine disturbantis peractae, ab electione, quam in eadem Congregatione die 27 mensis praedicti Iulii, anni praesentis, celebravit, et se in Protoarchimandritam Ordinis dictus Ill.mus Dominus Metropolita totius Russiae eligi procuravit (ex quo nec Congregationem, vetantibus statutis Ordinis, indicare, nec se in Proto-Archimandritam Ordinis, vetantibus Constitutionibus Apostolicis, eligi facere potuit), inhaerendo appellationi verbotenus ad Tribunal praesens Apostolicum in actu assertae electionis per Admodum Rev.dum ac Religiosum

---

<sup>201</sup> In Capitulo Minscensi 1683, mense Iulio. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis...*, pag. 17. Electiones factionis.



Patrem Simeonem Cyprianowicz, Consultorem dicti Ordinis, et Superiorem Minscensem, in praesentia supranominatorum Ill.morum Metropolitae Russiae, et Episcopi Pincensis ac aliorum Religiosorum in actu assertae electionis praesentium, (f. 149v) iugum obedientiae religiosae excutere volentium, et dictis Ill.mis DD. Metropolitae et Episcopo Pincensi adhaerentium factae, et toties per eum (qui hac de causa contemptum per violentam barbae evulsionem ab Ill.mo Domino Episcopo Pincensi factam reportavit et oppressus extitit) repetitae et reiteratae, et ab omnibus actibus in eadem asserta Congregatione formatis, gestis, ordinatis, et conclusis, tanquam nullis, ad praesens Tribunal Apostolicum Ill.mae Nuntiaturae Apostolicae appellavit, et si opus est, recursum fecit, de nullitateque praemissorum omnium dixit, subiiciendo se, totamque Congregationem ac Reverendissimum Patrem Protoarchimandritam, Consultores, Secretarium, Superiores, ac alios omnes Religiosos Patres et Fratres Ordinis, legitimae Superioritati obedientes, tuitioni, protectioni et defensionis praesentis Tribunalis Apostolici, eandemque Appellationem sive Recursum (quam etiam in vim querelae, tristis auxilii, implorationis, supplicationis, et de nullitate dictionis, vel alias prout de iure melius fieri potest habere vult et intendit) Actis praesentibus connotari, Testimonialesque Apostolicas sibi dari petiit. Salvo etc. omni etc. Quod a me, Procancellario infrascripto, ex quo Acta Publica nemini sunt deneganda, obtinuit.

Ex protocollo Actorum Nuntiaturae Apostolicae extractum et sigillo Ill.mi et Rev.mi Domini Opatii Pallavicini, Archiepiscopi Ephesini et Nuntii Apostolici in Regno Poloniae commorantis,<sup>202</sup> communitum.

ADALBERTUS SKWARCZYNSKI

Nuntiaturae Apostolicae supradictae Notarius,  
Pro-Cancellarius (mp)

## 71.

Zyrovici, 27.VIII.1683.

*Manifestatio Communitatis Zyroviciensis contra Capitulum Minscense eiusque Acta et electiones, prout invalida.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 153-154.

Nos Patres et Fratres infra scripti Monasterii Zyroviciensis declaramus nos, et protestamur coram suprema Potestate Oecumenici Pastoris, SS.mi D.N. Innocentii XI, Papae Romani, residente tam in persona Suae Sanctitatis, quam etiam sui in hoc Regno Poloniae Vicarii, protunc Opatii Pallavicini, Archi-Episcopi Ephesini, Nuntii Apostolici. Quod nos tanquam veri et fideles filii S. Sedis Apostolicae, unicuique potestatem supra nos a Sua Sanctitate habenti obedientissimi simus, erimusque quousque spiramus. Intantum hono-

<sup>202</sup> Opatius Pallavicini, Nuntius Varsaviensis (1680-1686).

rando, venerando et obediendo Ill.mo Domino Metropolitae Russiae, Pastori Nostro, in quantum dictus Ill.mus eidem Auctoritati Apostolicae, tam in Persona SS.mi Domini Nostri, quam in persona ejus Nuntii est eritque obediens. Neque proinde acceptamus Congregationem Minscensem anno praesenti 1683, die 25 Iulii, per vim, et sine Capitibus Religionis, contra expressam voluntatem Ill.mi Domini Nuntii, contra protestationem cum recursum et appellationem ad S. Sedem ab iisdem Capitibus Ordinis factam, a supradicto Domino Metropolita celebratam; neque eundem D. Metropolitam pro Protho-Archimandrita nostro, ibidem electo, recognoscimus; neque ullas ordinationes, citationes, iudicia, Decreta in eadem Congregatione et post illam lata, et in posterum ferenda, acceptamus, nec acceptare possumus; referendo nos integre ad ordinationes Ill.mi Domini Nuntii Apostolici, Ill.mo Domino Metropolitae intimatas. Quae omnia sponte et liberrima voluntate, a nemine coacti aut aliquo modo necessitati praestamus, respicientes auctoritatem S. Sedis Apostolicae, eiusque in hoc Regno Nuntii. Consignamusque personaliter comparentes manibus Ill.mi D. Metropolitae hanc nostram solemnem manifestationem, supplicantes, ne nos ulterius tam simul omnes, quam singulos divisim, prout moris est Ill.mo, ad suas partes necessitet.<sup>203</sup> Quod scriptum propria manu admota pectori, unus quilibet nostrorum subscripsimus. Datum in Monasterio Zyrovicensi, Anno 1683, die 27 Augusti.

Anno 1683, die 27 Augusti.

(Locus Sigilli)

Gedeon Woyna Oranski, Ord. S. Basilii M., Vicarius Zyrovicien.	Basilius Bathory, Ord. S. Basilii Magni.
Symeon Ohurcewicz, Ord. S. Basilii M., S. Theol. Doctor, Paenitentarius Apost., Concionator extraordinarius.	Joachimus Kuszelicz, OSBM, S. Th. D., Concionator ord. Zyr.
Hyppolitus Olisiewicz, Ord. S. Basilii M., Paenitentarius Zyrovicen.	Augustinus Lodziata, OSBM, S.Th.D.
Michal Welikonty, S.B.W.	Jacobus Lipski, Ord. S.B.M., Ecclesiarcha Zyrovicen.
Damian Ratnicki, Regens Choru Zyrovickiego S.B.W. Zakonnik.	Theophilus Kiszczyc, OSBM, Director Chori.
Ignacy Szycik Zaleski, Z.S.B.W.	Leo Afanasowicz, S.B.M.
Dominik Podhayski, Z.S.B.W.	Makary Liliewski, S.B.M.
Diodor Makarewicz, Z.S.B.W.	Theophilakt Jablonski, S.B.M.
Pancratius Belisza, OSBM.	Djonyzy Sosnowski, OSBM.
Herwazy Zlotarzewski, Z.S.B.W.	Nathanaël Janowicz, OSBM.
Marek Kapusta, Profes. Z.S.B.W.	Symon Huniecki, OSBM.
Josaphat Klimowicz, Ord. S.B.M.	Sebastian Stabinski, Brat OSBM.
	Gelazy Kozyc, OSBM.
	David Szchahleyski, OSBM.

<sup>203</sup> Metropolita Zochowskyj, ut videtur, habuit morem monachos ad se recurrentes persuadere in suas partes, quod prudenter praevidet Communitas Zyroviciensis et de tentamine sibi praecavet.

(f. 153v) Nos Monasterii Bythenensis<sup>204</sup> Patres et Fratres Ordinis S. Basilij M. insistentes eidem inhibitioni Ill.mi Domini Nuntii Apostolici, simulque solemnī Manifestationi a Patribus Zyroviciensis Monasterii Ill.mo Domino Metropolitae ad manus ipsius porrectis, protestamur, quod in omnibus punctis et clausulis idem sentiamus et sentire velimus, et idcirco, appposito Monasterii sigillo, manus nostras sponte et libere subscribimus.

## (Locus Sigilli)

Josephus Pietkiewicz, Secretarius Ord. S.B.M., Superior Monasterii Bythenien., Director Novitiatus.

Dozyftey Chaszczynski, O.S.B.M.

Consultor.

Gabriel Kadkiewicz, O.S.B.M.

Mauritius Bocewicz, OSBM, Vicarius Monasterii Bythenen.

Partheni Bocewicz, O.S.B.M.

Athanazy Pichowski, O.S.B.M.

Izaiasz Okulewicz, O.S.B.M.

Jerzy Maliszewski, O.S.B.M.

Clemens Krzechycki, O.S.B.M.

Romuald Pawlowski, O.S.B.M.

Spiridion Nowosielski, O.S.B.M.

Marianus Jwanowicz, O.S.B.M.

Bonifacius Puczowski, OSBM, Pro-

Adrianus Kossakowski, O.S.B.M. Prof.

Athanazy Sawicki, O.S.B.M., Oeconomus Bythenensis (mpr).

Nos Patres et Fratres Professi, Monasterii Rosanensis<sup>205</sup> Ord. D. Basilii M., lecta Inhibitione Ill.mi D. Nuntii Apostolici et Manifestatione VV.PP. Monasterii Zyroviciensis, Fratrum nostrorum, Ill.mo Domino Metropolitae personalter ad manus traditis, idem omnino cum illis quoad omnia puncta et clausulas tenere et sentire fide Religiosa spondemus.

Alexius Serkeykiewicz, Ord. S.B.M., Monasterij Rosanensis Superior.

Pachomius Paszowski, Z.S. Bazylego W.

Innocentius Kirkowski, O.S.B.M., Vicarius Monasterii Rosanensis.

Mavimilian. Baranowski, Z.S. Bazylego W.

Nos Patres Professi Ordinis D. Basilii M., noviter fundati Monasterii Lyskoviensis,<sup>206</sup> inferius subscripti, referentes nos tam ad Inhibitionem Ill.mi D. Nuntii Apostolici, quam ad Manifestationem Primarii Monasterii nostri Zyroviciensis, quam illi Ill.mo Domino Metropolitae porrexerunt, idem omnino cum illis et tenere et sentire profiteamur, subscriptionibusque nostris contestamur.

---

<sup>204</sup> Similis Protestatio Communitatis Bytheniensis, ubi Superior erat Josephus Pietkiewicz, olim Procurator in Urbe (1666-1669), et dein et ipse Protoarchimandrita simplex (1686-1690).

<sup>205</sup> Idem fecit et Communitas Rosanensis, Superiore Alexio Sierkeykiewicz.

<sup>206</sup> Similis protestatio Communitatis Lyskoviensis sub Superiore (Starszy) Hieremia Leszkiewicz.

(Locus Sigilli)

Jeremiasz Leszkiewicz, O.S.B.M., Starszy Lyskowski.  
 Nicephorus Konstantinowicz, O.S.B.M., Concionator Lyskoviensis.  
 Theophan Hlawacki, O.S.B.M., Vicarius Monastera Lyskowskiego.  
 Barlaam Jurewicz, O.S.B.M.

72.

*Zyrovyci, 11.IX.1683.*

*Protoarchimandrita cum Consultorio petit protectionem Congr. de Prop. Fide contra acta Metropolitanae Kioviensis in damnum Ordinis Basiliani.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 151rv.

Eminentissime Princeps, Domine, Domine Clementissime.<sup>207</sup>

Id sane unicum erat votum nostrum, ut Eminentiae Vestrae supplices fieremus, quo Ordinem Basilianum in Congregatione nostra Ruthena Unita restantem uniendum quam maxime cum D. Metropolita Russiae, apud Sacram istam de Propaganda Fide Congregationem zelare dignaretur, quod omnibus votis, precibus, mediisque ipsimet curavimus, quaesivimusque apud D. Metropolitam. Verum cum alium se nobis per omnia idem D. Metropolita praebeat, immo exterminatum nos eat, ut facta eiusdem manifeste monstrant, nec spem vel respirii alicuius in calamitatibus nostris relinquat, palam et absque ulla respicientia, ingenti Schismaticorum scandalo, atque cachinno, Catholicorum vero ingemiscentia, nobis famam, Monasteria, bona, officia, et omnia quaecumque potest alia, denique ipsam Religionis animam, qui est bonus ordo, adimat, idque contra expressas Monitiones, ac Iuris remedia ab Ill.mo Nuntio Apostolico tuendae innocentiae nostrae provisae, imo contra appellationem ab ipsomet ad S. Sedem in causa cum ipso nostra factam, quemadmodum coram Eminentiae Vestrae luculenter exponet omnia ablegatus a nobis Orator, P. Georgius Malejewski, Consultor Ordinis.<sup>208</sup>

(*f. 151v*) Id tandem restat unicum, ut quando medendis malis nostris alia medela non suppetit, miserationem Eminentiae Vestrae imploremus, quae nos apud S. Congregationem cui Praefectura praeminet, atque apud Sanctissimum Dominum Nostrum protegere, tueri atque ad bonum ordinem iuxta leges S. Romanae Ecclesiae redigi, agere, efficereque pientissime dignetur. Et

<sup>207</sup> Praefecto Congregationis de Prop. Fide, Palutio Altieri (1671-1698).

<sup>208</sup> Georgius Malejewskij, OSBM, Consultor Generalis (1679-1686), Alumnus romanus Coll. Graecorum, ingressus 15.II.1665, an. 33, filius Basili et Euphrosinae Sarniecka, sacerdos, finitis studiis egressus die 7.VII.1668; missus Romam a Consilio Generali ad defendendum iura Ordinis contra attentatum Metropolitanae C. Zochowskyj (1683-1685); demum Archiepiscopus Smolenscensis (1690).

ad Sacram Eminentiae Vestrae Purpuram demississime provoluti, eidem humillimum figimus osculum.

Zyroviciis, Anno 1683, die 11 7.mbris.

Eminentiae Vestrae humillimi Servi  
STEPHANUS MARTISZKIEVICZ BUSINSKI  
Protoarchimandrita Ord. S. Basilii (mp)

PACHOMIUS OHILEVICZ, Ord. S. Basilii Magni, Consultor  
SYMEON CYPRIANOWICZ, Consultor Ord. D.B.M., Super. Minscen. (mp)  
BONIFACIUS PUCZKOWSKI, Pro-Consultor O.D.B.M. (mp)

JOSEPHUS PIETKIEWICZ  
Secretarius Ord. S. Basilii M., Superior Bithen.

73.

Zyrovyci, 11.IX.1683.

*Protoarchimandrita et Consultorium protestant contra Capitulum Minscense, Metropolitanam Kioviensem eiusque acta et expetunt protectionem Congr. de Prop. Fide.*

APF, *Scrutt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Rutheni*, vol. 2, fol. 153rv-154r.

Eminentissimi Patres, Principes Clementissimi.

Quemadmodum quidquid Dei bonitate hodie sumus, id totum S. Vestrae Congregationi Propagandae Fidei praepositae acceptum reddimus, uti, et nihilo nostrum, in quod maiores nostri per Schisma Graecanicum prolapsi fuerant, vestro beneficio in esse educti; ita cum iniquissima sorte nostra itidem nunc ad nihilum protrudimur, Vestram, Eminentissimi Patres, praepotentem supplices imploramus opem manumque, qua a tam gravi retineamur casu, Vestrae Sacrae huius Congregationis erat olim vivifica vox, vestrum vitale oraculum, quod cum auribus nostris insonuit, vitae nobis simul spiraculum insufflavit, quando videlicet anno 1624, Octobris die 4, coram SS.mo Domino felic. record. Urbano Papa VIII<sup>o</sup>, unanimiter censuistis et edixistis: Convenientissimum esse, ut Monachi Rutheni Uniti in Congregationem redigantur, quod si fecerint, eisdem facultatem concedi, eligendi sibi perpetuis futuris temporibus unum Generalem seu Protoarchimandritam totius Russiae, et singulis quadrienniis Capitula Generalia congregandi, in iisque Constitutiones, rationabiles tamen et SS. Canonibus, Decretis Conciliorum, ac Summorum Pontificum Constitutionibus non repugnantes conficiendi, a Romano Pontifice pro tempore confirmandas, quas interim tamen, ne disciplina regularis patiatur detrimentum, a Monachis observandas esse, donec aliter per Sedem Apostolicam foret definitum.<sup>209</sup>

---

<sup>209</sup> Cfr. *Acta S.C. de Prop. Fide*, vol. I; 1622-1667, pag. 26-7, nr. 34, sub dat. 4.X.1624

(f. 153v) Quod quidem oraculum vestrum oraculo quoque deinde Pontificio in forma Brevis, eiusdem Urbani, anno 1631, Augusti 20 die, est roboratum.<sup>210</sup> Id vero quod sacerrimo senatui vestro visum est esse convenientissimum, D. Metropolita Russiae, assumpto sibi firmandis exequendisque suis sensibus D. Episcopo Pinscensi consultore incentoreque, pro summo ducit inconvenienti, nosque quod vestro huic sacro sancito inhaeremus, insignis sceleris, atque in se suamque metropolitanam auctoritatem perduellionis damnat, apud summos quosque viros dicto et scripto traducit fama, Monasteriis, bonis, capite denique religioso, hoc est Proto-archimandrita, in se id muneris, per vim transferens, spoliat, quemadmodum re ipsa, omnia haec nuperrime in Capitulo a se Minsci, contra expressam Nuntii Apostolici mentem identidem repetitam, atque ex aliis causis titulisque nulliter congregato ac celebrato, praestitit, adeoque animam Religioni, qui est bonus ordo, adimit, sese dictitans natum naturalemque Protoarchimandritam, Capitula vero ceremoniae ergo fieri atque a se permitti, et debere rediri omnino ad mores consuetudinesque antiquas Graecanicas, imo nec Nuntium Apostolicum, ad quem compulsi recurreramus, in Superiorem aut Arbitrum motae ab ipsomet contra nos litis se agnoscere. Quae quidem omnia post Appellationem ab ipsomet ad Sedem Apostolicam factam, nobisque sub (f. 154) ea existentibus, ac protectione Apostolica per eundem D. Nuntium expresse, iuridice, atque cum intimatione ipsi D. Metropolitae facta, munitis, audet.

Haec cum aegre in charta expandere possimus, Oratorem mittendum esse unum ex nobis ad Sacram Congregationem Vestram destinavimus mittimusque P. Georgium Maleievski, Consultorem Ordinis, qui distinctim omnia Eminentissimis Vestris explanet. Interim hoc cernui ab Eminentissimis Vestris misericordique earundem animo supplicamus, ut cum nulla nobis spes restet resumendi instaurandique boni ordinis, donec sumus sub absoluta potestate Metropolitana, quam ipse nullis, etiam Romanis, sanctionibus limitandam esse, aut limitari posse affirmat, aliter nobis providere de Regimine, iuxta leges S. Romanae Ecclesiae, dignentur; et Sacras Eminentiarum Vestrarum Purpuras humillimis veneramur oculis.

Zyrowiciis, anno 1683, die 11. 7-bris.

Eminentiarum Vestrarum humillimi Servi

STEPHANUS MARTISZKIEWICZ BUSINSKI

Protoarchimandrita Ordinis D. Basilii Magni (mp)

PACHOMIUS OHILEWICZ, Ord. S. Basilii Magni, Consultor (mp)

SYMEON CYPRIANOWICZ, Consultor O.D. Basilii M., Superior Minscensis (mp)

BONIFACIUS PUCZKOWSKI, Proconsultor O.D.B.M. (mp)

JOSEPHUS PIETKIEWICZ

Secretarius Ord. D. Basilii M., Superior Bithen. (mp)

---

<sup>210</sup> Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, pag. 481, nr. 411, sub dat. 20.VIII.1631.

## 74.

(Ex Russia), 1683.

*Elenchus praetensionum Ordinis Basiliani contra Metropolitanam Kioviensem, Episcopum Pinscensem et Archiepiscopum Smolenscensem.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 144-145v.

PRAETENSIONES CONTRA DOMINUM METROPOLITANUM, CONTINENTUR 26 CAPITIBUS.

1. Quod teneat Monasteria Dermanense, Dubnense, et S. Crucis.
2. Quod in suis Monasteriis impediat Visitaciones Patris Generalis.
3. Quod in F.res Franciscanos possessionem horti 300 Florenorum valoris transcripserit, qui spectat ad Monasterium Polocense.
4. Quod agros pro Officina lateraria Monasterii Grodnen. Duci Lithuania-  
rum dederit.
5. Quod bona Przylepy et Cno Monasterii Minscensis occupet.
6. Quod non restituat indumentum Pontificale Ecclesiae Zyroviciensis, ab Antonio Metropolita legatum.<sup>211</sup>
7. Quod Monasterio Berezvecen. totam fere sacram supellectilem, uti et alia quaedam Vilnensi et Czereiensi Monasterio acceperit.
8. Quod Josephum, Archimandritam Polocensem,<sup>212</sup> aggressus, pecuniis et supellectili, ex quo mors subsecuta absque dispositione Christiana, privaverit.
9. Quod intendat introducere ad Zyroviciense Monasterium, quod a Praelato semper abhorret, Superiorem infulatum, more sui Antecessoris,<sup>213</sup> qui irrito conatu cum scandalo populi publico et magna sui confusione Abbatem ibi Polocensem praeficere volebat.
10. Quod invigilet, ut post mortem Dominae Chodkiewiczowa occupet bona Byteniensis Monasterii, quasi pro Religione.
11. Quod annum censum a summis Antonii Metropolitanae,<sup>214</sup> Religioni legatis, nihil prorsus Religioni conferat.
12. Quod bona Torokanie, a Regibus Monasterio Brestensi collata, cum consensu Archimandritae Zydiczynensis, ad quem originaliter pertinebant, minis, vi illa occupandi intentatis, a Religione extorserit.

---

<sup>211</sup> Antonius Sielava, Metropolita Kioviensis (1640-1655).

<sup>212</sup> Agitur de Josepho Grodzickyj, Archimandrita Polocensi SS. Borys et Hlib (1661-1681).

<sup>213</sup> Antecessor Cypriani Zochowskyj - Gabriel Kolenda (1666-1674), qui usum habuit perniciosum Archimandritas instituendi per monasteria opulentiora.

<sup>214</sup> Metropolita Kioviensis (1640-1655); hic claruit parsimonia et notus fuit hac nota inter monachos et praelatos.

13. Quod Monasterio Polocensi foundationem a Repub. collatam, usque ad vitae suae tempora in se convertere intendat.

14. Quod veniens ad Monasteria cum numeroso famulitio, iis gravis esse solea, Monasteriique et Religiosorum quietem maximopere interturbet, adeo, ut tunc nulla sit clausura.

15. Quod bona Religionis terrestria tributis militaribus, tam vivente suo Antecessore quam etiam modo sint onerata.

(f. 114v) 16. Quod bona Usiaz, empta impensis Summi Pontificis et aliorum pro Seminario et alendis Clericis Ruthenis,<sup>215</sup> in suos usus convertat, aequae ut suos Antecessor.

17. Quod, absque scitu et assensu Religionis, assumat ad suam Aulam Personas Regulares, et ablegat quos vult, et prout vult.

18. Quod Patrem Benedictum Michniewicz, a suo Antecessore nulliter in Archimandritam Trocensem consecratum superstite alio privilegiato, eundem autoritate Nuntii Apostolici ob invasionem, iussis ipsiusmet Metropolitae patratam, suo titulo privatum, solemni excommunicatione ab eodem ictum, et qui ultro pro Capitulo Generali penultimo sese hoc titulo abdicaverat, ac pro excessu quodam a Religione iudicatus et punitus fuerat; nihilominus eum a se protegi atque Archimandritam dici nominarique velit et iubet.

19. Quod Patrem Stephanum Sieluzynski<sup>216</sup> ad Archimandriam Braslaviensem et Prioratum Kasutensem; Patrem Bonifacium Paszkiewicz ad Minscensem, nunc autem Pustinensem et Onuphriensem, homines immeritos, impares necdum certos Religiosos, cum tot aliis pretio promoverit et promoveat.

20. Quod Patrem Metrophanem Sokolinski ex Archimandria Grodnensi, ad Pustinensem, et Onuphriensem, nec non Archi-Episcopatum Smolenscensem cum suo Antecessore promoverit,<sup>217</sup> qui prius fidem Catholicam in Moschovia eiuraverat quique est impar, incapax.

21. Quod Personas regulares absque scitu, commendatione et dimissoriis Superiorum Religionis, absque ulla necessitate, in Subdiaconos, Diaconos et Presbyteros ordinet, non habentes annos a Sacris Canonibus praescriptos, quandoque incapaces, et irregulares et perpetuos in Religione laicos.

22. Quod Patrem Gregorium Bienkowski, ob debita Romae contracta, istinc profugum, loco paenitentiae gravioris, quam gravissimis suis instantiis Sacra Congregatio de Propaganda Fide toties expostulaverat cum Antecessore suo, perpetua eum protectione fovet, et ad Prioratum Czerlonensem prius,

---

<sup>215</sup> Pro s.d. Seminario Rutheno ex mente et contributionibus Synodi Kobrynensis (1626) empta sunt bona quaedam immobilia pro manutendis seminaristis, qui tamen ob circumstantias temporis difficilis vix congregari potuerunt.

<sup>216</sup> Stephanus Sieluzynskyj, Archimandrita Braclaviensis (1680-1683), depositus a Metropolita Zochowskyj, et obiit tantummodo anno 1703.

<sup>217</sup> Metrophanes Drucki-Sokolinskyj; Archimandrita Grodnensis (1675-1689), dein Archiepiscopus Smolenscensis (1680); antea, ab an. 1671 Archimandrita Onuphreiensis.



mox ad Grodnensem ac deinde Czereiensem Archimandriam, cum devastatione eorundem promoverit.<sup>218</sup>

23. Quod ad Novitiatum vocationem quosdam non habentes, spe tantum promotionis, aut bonorum ad ipsos pertinentium accessione quandoque intrudat.

24. Quod visitationes quorundam Monasteriorum omnino impediatur, gliscentibus ibi interea magnis scandalis.

25. Quod Capitulum Intimationes ad se transferat, et Capitula per factiones, praesertim electionem peragat, in locis designat inquietis, eaque in longum ad summum Religiosorum taedium pertrahat.

(f. 145) 26. Quod Administrationem perpetuam vacantium Episcopatum bonorumque Religionis, in suis Episcopis et Religione, ad exterminium bonorum a S. Regia M. impetraverit.

PRÆTENSIONES CONTRA DOMINUM PINSENSEM, 9 CAPITIBUS CONTINENTUR.

Quod cum Episcopatu simul teneat Monasterium Vilnense per Privilegium Regis, ubi nullus est prorsus fundus Regius et collatio, sed bona terrestria, a Benefactoribus variis collata et eleemosynis empta. Quodque nullus hactenus Episcopus ab immemorabili tempore ausus est.

Quod Laurisoviense simul Monasterium, ubi etiam nullus Regius fundus est, et ubi nulla fuit antehac Abbatia, in Abbatiam convertit, et a Gabriele Metropolitano, Avunculo suo, pretio 300 Florenorum habuerit, privilegiumque a Rege impetraverit.

Quod nullum ex iis bonis alat Monachum, sed loco Monachorum consanguineos suos cum uxore et prole ibi foveat.

Quod frameam Vilnensis Monasterii quinque Millium Florenorum appreciatam, a viginti et amplius annis oppignoraverit.

Quod argentum ecclesiasticum distraxerit et divendiderit.

Quod torquem auream Archi-Episcopi Smolenscen., Monasterio Zyroviciensi legatam, summasque legatas eidem ac aliis quibusdam Monasteriis hucusque non restituerit.

Quod Capitale pro Sabbativis B. Virginis decantandis Vilnae laudibus consumpserit.

Quod casulam pretiosam in Monasterio Vilnensi, ad tempus depositam, propriis usibus applicaverit.

Quod Personas Regulares absque scitu, commendatione et dimissoriis Superiorum Religionis, absque ulla necessitate, in Subdiaconos, Diaconos et Presbyteros ordinet, non habentes annos a Sacris Canonibus praescriptos, quandoque incapaces (f. 145v).

---

<sup>218</sup> Gregorius Bienkowskyj, primum Archimandrita Grodnensis et dein Czereiensis; et tamen hic Pater puniri debuit iussu Congreg. de Prop. Fide ob delicta Romae perpetrata, dum erat inibi Procurator (1652-1656), unde, debitis contractis, aufugit. Cfr. alias notas de hoc Patre in nostro volumine.

PRAETENSIONES CONTRA D.NUM SMOLENSCENSEM, 3 CAPITIBUS CONTINENTUR.

Quod Grodnense Monasterium in usum et administrationem laicis concesserit, nullo, omnibus hisce annis, ibi existente et Officia Divina exercente Monacho, ad summam eius loci desolationem et publicum populi scandalum.

Quod Monasteria Pustinense et S. Onuphrii simul teneat ex illisque gloriam Dei non promoveat.

Quod nullum fere ibi Religiosum teneat, nullusque ibi Religiosus vult submitti nec potest, ob periculum propriae animae.

## 75.

(Zyrovyci), 3.II.1684.

*Excerptum ex litteris P. Generalis Basilianorum post annullatum Capitulum Minscense et indictionem novi Capituli; modus agendi Metropolitanae etc.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 147-148.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 173-174.

Extractum ex literis Patris Generalis Sancti Basilii Magni,  
datis sub die tertia Februarii 1684.

Venit tandem, praeter spem nostram, desideratissimum Breve gratia SS.mi Domini Nostri, quo annullantur omnia Minscensia, approbantur nostra.

Misimus hoc Breve per Religiosum Sacerdotem Ill.mo Domino Metropolitanae usque ad Albam Russiam,<sup>219</sup> et cum debita omni nostra submissione. Detinuit apud se a nobis Missum tribus septimanis, donec conferret, et consilium iniret cum Domino Episcopo Pincensi, sed nihil certi accepimus, quia neque responsum dignatus est nobis dare.

Hoc praecipuum est quod SS.mi Nostri Breve non emolivit Ill.mos Dominos, sed penitus induravit, quando Minsci, in praesentia a nobis missi Religiosi, inhibuit Ill.mus publice Patribus omnibus, ne alium Superiorem recognoscant, praeterquam Sumlanschi, ab ipso institutum.<sup>220</sup> Si vero venerit Pater Consultor Religionis, Simeon Ciprianovicz, ne admittatur, immo expellatur.

Item ex hoc Brevi SS.mi impetum accipiunt, quod iusserit Ill.mus Dominus indicere Congregationem et indicit in Martio Novogrodecii, in sua aula absolvendam, dedit intimatorias Novogrodecum,<sup>221</sup> post revocatam Sinodum

<sup>219</sup> Breve invalidans Capitulum Minscense 1683, mense Iulio celebrato, cui Metropolita non paruit.

<sup>220</sup> Ut videtur, agitur de P. Gedeone Szumlanskyj, parente Episcopi Leopoliensis; fuit Archimandrita Minscensis anno tantummodo 1688, et dein Archiepiscopus Smolenscensis (1703).

<sup>221</sup> Capitulum Novogrodecense mensis Martii 11-22, 1684, convocatum a Metropolita et dein iterum nullum declaratum ob eadem acta electionis Metropolitanae in Protoarchimandritam; cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis...*, pag. 17.

Provincialem, quam ibidem volebat habere, et distulit ad sequentem annum. Omnia haec faciunt vexando Religionem, ut nos afflictos affligant, et cogant recedere a petenda iustitia Romae. Mittimus ex nunc ad Ill.mum Dominum Nuntium Apostolicum, rogando remedia contra temerarium hunc ausum, indicendae Congr. Novogrodecii. Actum erit enim nobiscum, si Ill.mus Dominus Nuntius non intimaverit nobis Congregationem in eodem loco, ubi conventum erat, et si non praesidebit, vel per se, vel per alium loco sui, vix aliquid boni in partem Religiosis a SS.mo Domino impetrare poterimus, cum (f. 147v) Dominus Metropolita nummis, minis, tractamentis, oblatione honorum trahet post se fere omnes, excepto Consultorio.

Ego etiam discedo ad Dominum episcopum Chelmensem nostrum zelantissimum, ut cum ipso possim adire Nuntium Apostolicum et Regem, quem volunt concitare contra Religionem, quasi jura Maiestatis infringentem in conferendis Abbatiis, quae donec durabunt, semper pruritus erit Episcoporum, et iuniorum Religiosorum ad consequendas illas, quo dato semper confusiones, et turbationes in Religione manebunt. Ecce nunc Dominus Metropolitanus fulciendo res suas (dum non posset pertrahere Episcopos nostros in Polonia manentes ad suas partes) misit ad Dominum Sumlanski, et Winicki, Neophitos catholicos, ut expediant privilegium pro Abbatia Minscensi Nepoti Domini Sumlanski. Interim indirecte detrudant Breve Apostolicum, et reinductionem Patris Consultoris ad Superioratum Minscensem; nobis autem non restat aliud, nisi confugere ad ea omnia, et singula, quae Deus, Sancta Sedes, et salus animarum nostrarum intendit, nec erit ulla rebus ita positis spes salutis, nisi confugiendo ad aliena sola, et angulos conventuum Latinorum. Romam enim penitus non curant quidquid inde venerit, et si huic opportune, et efficaciter Sancta Sedes per Nuntium non provideat, et nos absolute eximat a iurisdictione istorum Dominorum, idque quamprimum, de nobis actum est. Zelus noster pateat Sanctae Sedi, et Religiosorum in fide catholica constantia, in qua et vivere, et mori, propter quam privari omnibus, et ipsa vita (f. 148) cupimus omnes quotquot sumus. Non recurremus Kiioviam, ut olim voluerunt priores neque ad Vasseleliticum, prout non ita pridem persuasuerat Dominus Pinscensis, neque ad istos Neophitos, si quispiam, et nobis consuleret, sed recta ad Sanctam Sedem Apostolicam, a cuius nutu omnia nostra, et salutem ipsam pendere volumus ad has literas, et ad quidquid oretenus exponet Pater Consultor Romam missus, se remittit Ill.mus Dominus Episcopus Chelmenensis, scribendo ad Eminentissimum Cardinalem Barberinum.

## 76.

Zyrovyci, 17.III.1684.

*Protoarchimandrita Basilianorum cum Consilio de modo pacificandi cum Metropolita, de mediatione Jacobi Susza, de conditionibus etc.*

Nos infra scripti, notum manifestumque in facie Sanctae Ecclesiae fieri volumus, notificamusque ac manifestamus, quod cum in lite cum Ill.mo Domino, Domino Cypriano Zochowski, Archiepiscopo Metropolitano totius Russiae, Romae inchoata, ac pergente, duplex nobis indidem terminandi Causam modus propositus sit, alter, a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, mandante exhibere a nobis, quaecumque sunt contra Congregationem anni exacti, Iulianam Minscensem, ad effectum decernendi super iis, per decretum ultimum eiusdem Sacrae Congregationis. Alter ab Emin.mo Cardinali Nerlio, Protectore Russiae, suadente sanctam pacem, concordiamque atque ad id perficiendum, requirente pro mediatore Ill.mum Dominum Jacobum Susza, Episcopum Chelmen. Cumque nos semper inclinati ad pacem potius, quam ad contentiones et lites inutiles, ac noxias, positis iustis conditionibus, maxime interveniente tanta Emin. Protectoris auctoritate, resolvissemus nos pacem liti praeferre ideoque supplicaverimus Ill.mo Domino Metropolitano, ut per mediatores, praesertim per Ill.mum Dominum Episcopum Chelmensem, quem ipsemet Ill.mus Metropolitanus, tam ipse compellans, quam per Eminentissimum Protectorem procurans mediatorem voluit, rem componi vellet, nec tamen ullis nostris precibus flecti ad id inducique voluerit. Ideo nos quoque sub protectione S.mi Domini Nostri ac Sedis Apostolicae, sub quam semel recepti sumus, remanentes remanereque volentes, Appellationem ad illam Recursumque in suo robore ac tenore retinentes, litem prosequi praelegi censuimus, ac praelegimus, licet aegre ac dolenter atque ab ipso Ill.mo Metropolitano, adeo in nos inflexili, ad id compulsi coactique. Quapropter contra indictam hanc ab Ill.mo D. Metropolitano, ad diem decimam nonam Martii Congregationem Novogrodecum celebrandam, contraque omnes, ac singulos, in capite et membris, hunc Congressum componentes, solenniter protestamur, eamque ipsam Congregationem, ac eius Actum, Actaque in ea singula, et omnia, uti Religioni extreme praeiudiciosa, ac violenta, adeoque irrita ac nulla, ipso attentato sacro fore agnoscentes, diiudicanda ad ipsam S. Sedem referri volumus, referimusque. Tum ob alia gravissima, graviterque Religionem afficientia ac Breve Apostolicum involventia, liti subiicienda, tum vel maxime quod Ill.mus D. Metropolitanus, per hanc novam Congregationem Novogrodecum reintegratum eat Congregatam Minscen. iniurioram, ac violentam Religioni, seseque in ea in Protoarchimandritam, ut ipse asserit, eligi velit, contendat, curetque quodque ad hunc effectum, exclusis reliquis DD. Episcopis, qui ad Congregationem spectant, ac tota in capitibus Religione, hoc est Protoarchimandrita, et toto Consultorio, qui secure in hac Congregatione adesse non possunt; Congregatis iis personis, quarum vix aliquibus vocalitas competit subactum eat Religionem, suo absoluto dominio, ac dominationi, nullis legibus circumscriptae, quae omnia liquido coram supremo Iudicio producturi ac probaturi sumus. Tum quod ante mutuam Conventionem pacationemque animorum, Congregatio coadunari non possit, sine gravissimo praesentique Religionis, eiusque integritatis, indemnitate, atque immunitatum discrimine. Item quod Congregatio gravissime rem hanc sibi expendentem suscipiat, et Congregationem a se designare, cum interventu Auctorita-

tis Apostolicae, destinet. Tum quod idem Ill.mus Dominus Metropolitanus, obtrudendo nobis SS. Domini Nostri favorabilem sibi sententiam, qua SS.mus Dominus Noster ante decretoriam pronunciationem velit nos subesse ipsius absoluto arbitrio ac parere indictis Congregationibus, seu potius Congressibus, hoc ipsum nunquam nobis autentice, iuridice, ac legitime exhibuerit, quod omnino ante Congregationem praestandum erat, quo securi ad eam proficesceremur. Contendens ad Congregationem tantum nos pertrahere, seu potius adigere, in qua nos omni libertate religiosa privet, et a recursu ad Sedem Apostolicam per vim impediatur et remoretur. Tum quod Brevi Apostolico, iuxta tenorem illius, non satisfecerit, adeoque hoc ipso ostendat, se nolle Religionem pacificare. Tum etiam quod lite apud Tribunal S. Sedis pendente, idem Ill.mus Metropolitanus, non expectans sententiam de nobis decretumque Apostolicum, cui paratissimi subsumus, subesseque volumus, interea gravissimis nos detractationibus, diffamationibus, famosis libellis, probris verbo scriptoque, tam coram gravissimis quibusque Proceribus ac Personis ecclesiasticis laicisque, tum coram infima ac postrema faece plebis, nullis spectatis circumstantiis, proscindat, (*f. 123v*) aggravet atque opprimat, homines honesti studentes, atque aequo potius iudicio S. Sedis constanter nosmet subicientes, quam talia ferentes vel valentes ferre. Tum quod licet nos officiose coram nobiscum agens invitet ad Capitulum, interea scripto verboque, tum apud varios externos minetur nobis compedes, carceres, mortes, et quaeque alia durissima, tum idem ipsum, et praeterea spoliationem ab habitu religioso, quem multo antiquius, quam ille ipse deferimus, per suum Auditorem ac intimum arcanorum suorum participem detonet. Tum quod caput Religionis, Pater noster Protoarchimandrita, in Intimatoriis fuerit postpositus, nec ad Congregationem invitatus, etsi ipsa intimatio aliunde valorem nullum habeat. Tum quod Congregatio ipsa Novogrodensis Martiana, praeterierit in decimam Januarii, ad quam expresse respicit S. Congregatio de Propaganda Fide seseque asserit expectare, quid in ea factum esset. Et ipsi Ill.mi DD. Episcopi Rutheni mentem suam expriment, quod non in aliam Congregationem, quam in Ianuario Brestae conventam consentiant. Quae quia non est sortita suum effectum, aliam nullam agnoscere volunt Congreg., quae sine ipsorum assensu fiat. Denique quod manifestissimum oppressionis nostrae, quam Ill.mus Metropolitanus molitur contra nos, indicium est, quod omni conatu refugiat mediationem Ill.morum Episcoporum nostrorum, quam ipsemet quaesivit. Quam notificationem, manifestationem, protestationem, recursumque nostrum ad S. Sedem omni meliori modo ac iuris terminis, clausulisque ac modis quibuscunque, si qui forte nos praetereunt, S. Sedi eiusque supremo Arbitrio corrigendos, supplendosque relinquentes, ac eius nutus demississima ac parentissima obsequentia praestolantes, nunc Ill.mo Domino Metropolitano ab eoque convocatis humillime repraesentamus omnia haec, Actis competentibus signaturi in eaque relaturi. Datum in Consultorio Zyroviciis, die decima septima Martii, Anno Domini 1684, etc.

Hanc eandem manifestationem protestationemque Actis Nuntiaturae inseri humiliter supplicamus expostulationemque nostram cum Domino Metro-

litano ac reclamationem Capitulo Novogrodensi identidem coram Ill.mo Nuntio Apostolico dolenter repetimus.

STEPHANUS MARTISZKIEWICZ BUSINSKI  
Protoarch. OSBM (mp)

PACHOMIUS OHILEWICZ, Ord. S. Basilii Magni, Consultor (mp)

SYMEON CYPRIANOWICZ, O.D.B.M. Consultor, Super. Minscen. (mp)

BONIFACIUS PUCZKOWSKI, O.D.B.M. Consultor (mpr)

JOACHIM KUSZELICZ, Ordinis Procurator, Superior Zyrovicien. (mpr)

JOSEPHUS PIETKIEWICZ

Secretarius Ord. D. Basilii M., Superior Bithenen. (mpr)

77.

*Zyrovyci, 30.III.1684.*

*Littera Symeonis Cyprianovicz, Consultoris et Superioris Minscensis ad Consultorem Georgium Malejevskyj Romam: de Capitulo Generali Minscensi invalidato, de modo agendi Metropolitanis, de aliis Episcopis. Littera valde minuta et exacta, praesertim quae spectant Superiorem Minscensem, qui erat ipse Auctor epistolae.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 129-134.

Venerabilis ac Admodum R.nde in Christo Pater Consultor Ordinis,  
Pater Fr. plurimum Colende.

Pax Christi!

Genuinam et veridicam defero V.P. Vestrae de Capitulo Minscensi, anni elapsi, narrationem, ut de eo, quorum intererit, informet V.P. Vestra.

Supponendum, quod incidebat Capitulum nostrum die 25 Iulii anno elapso, hyeme tamen eiusdem anni conventum est coram Ill.mo D. Nuntio Apostolico Varsaviae, ex certis rationibus consentiente Ill.mo D. Metropolitanis, Ill.mis Episcopis Vladimiriens. et Chelmen., et quibusdam Primoribus Religionis, uti R.mo Protoarchimandrita, et Consultoribus, ut idem Capitulum in praesentem annum ad 10m diem Januarii Brestae cum Synodo celebrandum transferretur. Postposita hac Conventione D. Metropolitanus, attentavit idem Capitulum die 25 Iulii Minsci celebrare; et licet ab Ill.mo R. Nuntio praemonitus aliquot litteris fuerit, ut secundum conducta abstineret ab hoc termino, et celebratione Capituli, nihili ista ducens, pro Iulio Universales Litteras, inconsultis Consultoribus, et sine subscriptione Secretarii Ordinis, quod utrumque pro lege et consuetudine nostra necesse erat praestandum, extradidit et Capitulum indixit.

Ergo adventavit Minscum die 23 Iulii D. Metropolitanus, et per ephebum suum (f. 129v) me ad se accivit. Post salutationem D. Metropolitanis, et varia colloquia, ventum ad discursum de Capitulo, et trinas conformes litteras Ill.mi D. Nuntii ad nos scriptas praesentavi D. Metropolitanis, quibus nuntia-

bat, urgentissime ad D. Metropolitanum scripsisse, ut a Iuliana abstineret Congregatione, contentus praefixo, et condicto termino in Januario incidente. Perplexum et dubium hac die, visis et a me porrectis hisce punctis, reddidit se D. Metropolitanus.

In crastinum supervenit A.R.P. Gedeon Oranski, Vicarius Monasterii Zyroviciensis, cum litteris a Rev.mo Protoarchimandrita et toto Consultorio scriptis ad D. Metropolitanum, postulantibus, et reducentibus in memoriam, ut respondeat conventioni Varsaviensi, et Januarium expectet; adhuc dubius haesit D. Metropolitanus, et praestolabatur adventum D. Episcopi Pincensis, quo cum collaturus erat. Die igitur Dominico, 25 Iulii, infra solennem Missam, ab ipso Domino Metropolitanano habitam in ecclesia nostra religiosa Mincensi, advenit et D. Pincensis; post finitam Missam, illico D. Metropolitanus, cum variis hospitibus ecclesiasticis, et laicis catervatim per sacellum Monialium nostrarum, ad claustrum earundem contulit se, et ad hypocaustum hospitale, ad ianuam Monasterii Monialium situm, excepturus ibi invitatos hospites milites, pro prandio descendit; et tunc primo cum summa interna mea excandescencia rescivi (cui cura incumbibat monialium, tanquam earum confessario) in hoc loco milites cum variis hospitibus tractandos. (*f. 130*) Quod sine derisu et scandalo, rite ista omnia apprehendentium, non potuit non esse, eo magis dum ad idem hypocaustum supervenire ipsa Superiorissa cum aliquot Monialibus Virginibus, et ad tempus, pro more Patriae, dum vino cremato, et variis confectionibus laute excipiebantur hospites, commorantibus. Hora instante prandii, detinebat D. Metropolitanus ipsam Superiorissam et nonnullam Monialem, ut insimul cum hospitibus uterentur mensa, sed prudenter excusavit se Superiorissa, tanquam gravis virgo, ac recessit. (Sit intra parenthesis: Optimum et salutare fore, ut moneatur D. Metropolitanus, ne similia agat in Monasteriis suae Dioecesis Monialium, neque ibi convivia et computationes instituat propter multa scandala et pericula, maxime, quia dum D. Metropolitanus vadit ad Monasterium Monialium, etiam et Religiosi, qui sunt penes D. Metropolitanum, et famulitium eius saeculare libere intrant in penetrale Monialium, et per dormitorium et per cellas earundem discurrunt, morantur, iocantur, quod certissimum est, et V.P. Vestrae abunde patet: horrendum est hoc, et penitus magna advertentia et maiori cura et clausura indigent, quam hucusque Moniales).

Sumbatur prandium, et omnia quietata erant. Finito prandio et aliquot calicibus vitreis mulsi epotatis, abiit D. Episcopus Pincensis ad suum diversorium. Dum pro humanitate D. Metropolitanum hospites iam stando adbibebant, iterum venit Superiorissa, sponte an accita, ignoro, cum aliquot Monialibus. Rediit (*f. 130v*) etiam e hospitio et D. Pincensis et venit ad idem hypocaustum hospitale, ad cuius fores stans, Moniales et milites alloquebatur promiscue; viso tandem me adstante Domino Metropolitanano, eique deferente obsequia mea, nescio quo instictu prorupit D. Pincensis: Necessum esset huic, hoc est - mihi cervicem incidere fors framea, et varie me conviciebatur coram Monialibus ac militibus palam. Comprimebat talem impetum domini Pincensis ipse D. Metropolitanus, rogans ne in me talia probra iaciat; ego

autem ad tales contumelias solum haec reposui verba: Pone, Domine, custodiam ori meo.

Jam circa septimam horam a meridie persuasit D. Metropolitanus D. Episcopus Pincensis, ut se ad Monasterium nostrum conferret, et fundet Jurisdictionem Capituli, et saltem brevem Sessionem faceret; fuitne consilium et ratio, ita serotino tempore, ista tam gravia inchoare et prosequi, praesertim dum omnes hilares et laeti ex convivio fuere. Quare ambo, D. Metropolitanus ac Pincensis, per porticum Monialium, nobis aliis insciis, ivere ad Monasterium nostrum, e quo me, qui cum caeteris hospitibus, adhuc remanserem in Monasterio Monialium, per quendam e suis evocavit D. Metropolitanus, opus mei habens. Subito assumpto in Socium R.P. Vicario Zyroviciensi festinavi; dum veni ad meum Monasterium, requisivit D. Metropolitanus, ut Aulam Monasterii mei adaperirem, quod et feci, rationabiliter metuens, ne violenter illam aperirent, si nollem. Igitur ingressus sum et ego cum R.P. Vicario Zyroviciensi, atque in medio aulae steti, attendens, quid factururus (*f. 131*) sit D. Metropolitanus; dum fundabat Jurisdictionem huius Capituli D. Metropolitanus cum paucis Monachis, vix non omnibus e suis, vel D. Pincensis Monasteriis evocatis, et vix aliquot ex illis vocalibus, opposui me et dixi: Ill.me Domine. Quo fundamento quoque motivo attentat hoc Capitulum Ill.ma D. Vestra? Verum quidem est, quod in hanc diem incidebat, sed ex Conventione coram Ill.mo D. Nuntio habita, ad sequentis anni Januarium translatum est. Si ergo prosequi vellet hoc Capitulum Ill.ma D. Vestra, et nequaquam ab illo desistere, protestor nomine Consultorii et Religionis contra Actum et omnia ac singula acta in eo statuenda et recurro ad Illustrissimum D. Nuntium. Ad haec, post multa, respondit D. Metropolitanus: Cras se monstraturum assensum Ill.mi D. Nuntii pro hoc Capitulo, et recessi ex aula, interposita protestatione et recurso, cum R.P. Vicario Zyroviciensi, atque ad meum cubiculum contuli me. D. vero Metropolitanus cum suis prosecutus est Sessionem suam; dum finivit illam et exibat ex aula D. Metropolitanus, rogavi Ill.mum humiliter pro debita reverentia, ut saltem ad cubiculum meum declinaret et inviseret illud; libenter hoc fecit, sed D. Pincensis renuit, licet me, vix volente, effecit D. Metropolitanus, quod et D. Pincensis intravit. Et quia D. Pincensis iam succensebat mihi, et primo apud Moniales oneraverit me maledictis, nunc autem videns me protestantem et recurrentem (*f. 131v*) magis exarsit et afficiebat et me, et totum Consultorium cum Rev.mo Protoarchimandrita variis opprobriis et conviciis, praesente Domino Metropolitanus, et vix non decem Monachis; sustinebam omnia patienter; dum venit ad hoc idem D. Pincensis et me et omnes nostros, quorum personam referebam, sine intermissione, praeter varia scommata, non viles et agrestes solum, sed nothos et spurios nominabat, iam nimium lacessitus, fateor, ex laesa patientia commotior factus in haec formalia prorupi ad D. Pincensem, narrative dicendo non obiective, nec affirmative: recordatur ne D. Vestra, quid etiam avunculus D. Vestrae, D. Gabriel Kolenda, Metropolitanus, publice de natalibus D. Vestrae dixerit, quo Patre genita sit D. Vestra, et nominavi personam, uti audivi a pia memoriae Gabriele, publice utrumque hoc referente. Quod si afficiebat D.



Pinscensem, etsi futiliter ab Avunculo, qui mos ipsius erat, dictum, non minus me affecisse debuit simile probrum, non semel sed identidem in me acriori ac commotiori futilitate ab eo proiectum. His auditis, impetiose aggressus me est D. Pinscensis, et bis barbam mihi evulsit, comminando fustibus caedere, vitae meae instare etc. et ulteriora mecum ageret, ni cohiberet D. Pinscen. R.P. Vicarius Zyroviciensis; peracto hoc D. Pinscensis abscessit e cubiculo meo, quem inerme expectabat D. Metropolitanus, et subiecit haec verba ad D. Pinscensem, uti (*f. 132*) audiverunt nonnulli monachi: iam ne factum est? Quid haec verba velint, patet quantum colligo, quod forte ex conducto acta sunt ista, ad opprimendum me pro protestatione et recursu facto, et quod penitus nolim adhaerere, et esse a partibus eorum, quod intendebant.

In crastinum venit ad eandem aulam nostri Monasterii D. Metropolitanus cum Domino Pinscensi et aliis Monachis, iam animo absolute intento celebrandi Capitulum. Adui et ego cum eodem R.P. Vicario Zyroviciensi, repescens, ut D. Metropolitanus et litteras et assensum Ill.mi D. Nuntii, prout heri dixit, monstret pro celebratione Capituli, et nihil ad Capitulum spectans ostendit D. Metropolitanus ab Ill.mo D. Nuntio, etsi ego ex tribus epistolis Ill.mi D. Nuntii, ad nos scriptis, excerpta puncta monstravi, quod non debuit hoc Capitulum celebrari, tanto magis protestatus sum et recursum feci ad Ill.mum D. Nuntium, statimque cum eodem Socio meo ex aula recessi, et D. Metropolitanus cum paucis Monachis, ut supra retuli, discolis, et intervenire ad Capitulum, ex variis causis, non potentibus, prosecutus est Sessionem, se ipsum in Protoarchimandritam elegit et omnia susque deque invertit et innovavit, uti optime constat V.P. Vestrae etiam ex Inhibitione ab Ill.mo D. Nuntio submissa nobis contra hanc Congregationem Minscensem.

(*f. 132v*) Caetera nota sunt V.P. Vestrae, quomodo debui me, ob periculum vitae, praesertim a D. Pinscensi instante, transferre ad Conventum PP. Dominicanorum, quomodo inique ereptus mihi Superioratus Minscensis, quomodo illegitime ac dure iudicatus et condemnatus a D. Metropolitanus, etc. Ultimo, quia, uti recenter accipio, D. Metropolitanus detulit Romam inter caeteros, me egregium esse potatorem, dies noctesque toto quadriennio superioratus mei impendentem crapulis, et plane dissolutam vitam, non monasticam ducentem, humillime exposco, ut de vita et moribus meis fiat rigorosa inquisitio, non Minsci solum, sed Zyroviciis etiam, ubi longiori tempore mansi, hoc est duodecim annis, Vicarium, Concionatorem, Confessarium et Superiorem agens. Inquirantur quoque ipsa rudimenta vitae meae, tum domi in Novitiatu, tum Romae in Collegio Graecorum exacta. Quodsi reperiar talis, paratus sum condignas luere poenas. Si vero, ut firme teneo, confisus in Deo meo, immunis ab his iniquis delationibus repertus fuero, ut Delatores mei subeant talionem.

Id etiam defero, quod etsi Breve Apostolicum iniunxerit restituere (*f. 133*) nobis ablata officia, consequenter et mihi Superioratum Minscensem, nihilominus D. Metropolitanus contumaciter contraiverit Brevi, et varia adinvenit, ut me repellat a Superioratu Minscensi, pro ratione afferens, ibi esse Archimandriam; ubi continui fuerunt simplices Superiores, cum adiuncta olim Archimandria Ascensionis Domini, inque provisionem Monasterio S. Spiritus a

Regibus Poloniae collata. Et Barlaamus Kozinski,<sup>222</sup> ex speciali gratia Regia, ad vitae tempora fuit Superior Minscensis, et cautum eodem Regio Privilegio, quod habemus authenticum, ut a morte Barlaami iam temporanei essent Superiores (quod hucusque observatum est) et subsint Superioribus Religiosis. Fuit quidem ante Unionem Archimandria, sed Unione facta, Josephus Rutscius Archimandriam alio transtulit, quemadmodum et Monasterium ipsum e Civitate veteri ad novam, et mutato Monachorum domicilio, Archimandriam quoque cum simplici Superioratu commutavit. Quod magis, D. Metropolitanus in personam Gedeonis Szumlanski<sup>223</sup> (Nepotis neo-uniti Episcopi Leopoliensis.), hominis Neophyti a Schismate, iuvenis (f. 133v) sine meritis, talentis ac debita religiositate, conatus est procurare privilegium apud Principem per Episcopos neo-Unitos, quod quidem et ipse Patruus istius Patris, dictus Episcopus Leopoliensis,<sup>224</sup> improbavit, dato responso ad D. Metropolitanum, in quo asserit debere prius mereri hanc promotionem suum nepotem, atque sese Religioni commendare. Quid vero nunc sub regimine Gedeonis in utroque tam Monachorum, quam Monialium Monasterio agatur, piget dicere: compositiones, contentiones, Monialium continuae additiones, ibique similiter commessationes et computationes in noctem usque, maxime quod D. Metropolitanus Superiorissam gravissimam Virginem deposuerit, et suffecerit nimis flaccidam, mobilem, et in regimine remissam; Confessariumque Monialibus assignaverit, litteris destitutum et tam gravi muneri imparem. Sacrosanctum esset si instituatur Visitatio a S. Sede Apostolica, per quam in comperto essent vita, mores etiam D. Metropolitanus, et gravamina non solum Religiosis, sed et saecularium Sacerdotum apparerent, quos ut mancipia tractat et onerat. Monialium quoque perennis disordo monstraretur, qui (f. 134) ex negligentia Pastoris perdurat, non compellentis ad Clausuram Moniales, quae, in aliquibus Monasteriis earundum, uti Vilnae, Minsci insignis posset esse et consequenter in aliis.

Omnia haec brevissime defero V.P. Vestrae, cuius me gratiae, et sanctis ad Limina Apostolorum orationibus, plurimum commendo.

Zyroviciis, die 30 Martii 1684.

V.A.R.P. Vestrae addictissimus Fr. et Servus

SYMEON CYPRIANOWICZ

Consultor Ordinis D. Basilii Magni, Superior Minscen. (mpr)

---

<sup>222</sup> Barlaam Kosinski, Archimandrita Minscensis (ab an. 1652), qui fuit dein Archiepiscopus Smolenscensis (1655-1665).

<sup>223</sup> Gedeon Szumlanskyj, nepos Josephi Szumlanskyj, Episcopi Leopoliensis; cfr. notam 220.

<sup>224</sup> Josephus Szumlanskyj, Episcopus Leopoliensis (1676-1708); ab an. 1677 fidem catholicam clam professus ad personam, an. 1681, in Martio, coram Rege et aliis episcopis, tandem anno 1700, in Iunio, unionem suam et eparchiae palam proclamavit. Obiit 27 Augusti 1708.

## 78.

Zyrovyci, 3.IV.1684.

*Conqueritur Ordo Basilianus de Metropolitano Kioviensi deque novo periculo congregandi Capitulum, post nullum primum seu Minscense instatque apud S. Patrem de remedio apto.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 125rv.

Beatissime Pater.

Iterum ad Beatissimos Beatitatis Vestrae lachrimabundi provolvimur pedes calamitosi Monachi Rutheni Uniti, Apostolicam supplicissime implorantes miserationem opemque in supremis aerumnis nostris, quibus a D. Metropolitano Russiae involvimur. Non ii sumus, Beatissime Pater, qui strepitosas in Ecclesia Dei excitemus lites, quae ad Beatissimas usque Apostolicas pertinent aures, quin potius demississima atque ad omne Beatitatis Vestrae arbitrium determinationemque resignatissima parentissimaque prece id solum supplicamus, ut ad bonum ordinem ac pacem tranquillitatemque religiosam reducamur, utque D. Metropolitanus auctoritas supra nos, quae nunc soli ipsiusmet arbitrio innititur, proindeque in magna Religionis incommoda, praesertim spiritualia, exorbitat, iustis sanctisque legibus circumscribatur, quo sub eius regimine tuti reddamur salutis nostrae, vel si id consequi non possimus, peragatque idem erga nos esse D. Metropolitanus, ut, aut exemptione, aut alio quocunque salubri provideatur eidem saluti nostrae modo. Quae porro recentissime a D. Metropolita in Religionem tentata peractaque sunt, et ut Brevi Apostolico Beat. Vestrae ne in puncto quidem obediverit, imo ad suum sensum traxerit, interpretatus sibi per illud potestatem deferri novum intimandi celebrandique Capitulum Novogrodeci, utque illud ingenti praeiudicio iniuriaque Religionis celebraverit, et semet ipsum absque (*f. 125*) debito vocalium numero, imo vix aliquo, in Protoarchimandritam eligi fecerit, Ablegatus noster in Urbe causae attendens deponet ad pedes Beatitudinis Vestrae. Nos vero uti liti impares eamque pertaesi ac magis pacis quietisque Religiosae studiosi, denique sumptibus, quos per vim ad se convertit D. Metropolita, destituti, rem totam ad compendium redigentes, haec duo apud Beatitudinem Vestram demississima supplicamus prece. Alterum, ut partes deferantur D. Nuntio Apostolico, qui novum intimet Capitulum eique praesideat, quo electio libere peragatur simulque praetensiones, vitam moresque nostros cognoscat, rem totam terminaturus iuxta nutus Beatitudinis Vestrae, et Sacrae Congregationis. Alterum, ut dum haec peragantur per Rescriptum Beat. Vestrae moneatur D. Metropolitanus, ut a divexandis nobis absistens, quietos nos tranquillosque esse patiat, tanquam sub recursu et protectione Beat. Vestrae existentes.

Et Beatitati Vestrae beatissimos serosque, ac de trophaeis Christianitatis supra immanem ottomanicam belluam faustissimos precamur annos.

In Monasterio Zyrovicien., April. 3, Anno 1684.

Beatitatis Vestrae humillimi,  
obedientissimique Servi ac apud Deum Exoratores

STEPHANUS MARTISZKIEWICZ BUSINSKI

Protoarch. O.D.B.M. (mpr)

PACHOMIUS OHILEVICZ, Ord. Consultor (mpr)

SYMEON CYPRIANOWICZ, Ord. Consultor, Sup. Min. (mpr)

BONIFACIUS PUCZKOWSKI, Superior, O.D.B.M. Proconsultor

JOACHIM KUSZELICZ, O.D.B.M. Proconsultor, Sup. Zyrovicien. (mpr)

JOSEPH PIETKIEWICZ

Ord. D.B.M. Secretarius, Sup. Bith. (mpr)

79.

*Zyrovyci, 3.IV.1684.*

*Protoarchimandrita cum Consultorio instant apud S. Congregationem de circumscribendo periculo novi Capituli generalis ex parte Metropolitanæ Kioviensis et petunt protectionem.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 127rv.

Emin.mi Principes Domini, Domini Clementissimi.

In expedito per Sacrum Eminentiarum VV.rum Senaturn medendis rebus nostris Brevi Apostolico, summam supra nos consecuti earundem miserationem, summas pro ea proni referimus gratias. Verum cum D. Metropolitanus noster, non solum ne in puncto quidem ei Brevi satisfecerit, imo illud pro se sibi quasi collata, novum congregandi Capitulum, in eoque sese constituendi Protoarchimandritam, facultate, etsi vix aliquo eoque inferiorum tantum vocalium numero is Congressus constaret, traxerit, interpretatusque contradicenter ipsi Brevi fuerat, adeoque contraveniente Religione et DD. Episcopis, et Capitulum celebraverit Novogrodeci, et sese Protoarchimandritam fecerit, exclusis etiam Mediatoribus, praesertim Domino Episcopo Chelmeni, quem ipse per Eminentissimum Protectorem Russiae quaesivit. Idcirco litem, quam ipse D. Metropolitanus nobis intentavit, et cui sumptibus per D. Metropolitanam nobis ablatis impares sumus, imo genio indoleque nostrummet ipsorum eam pertaesi, compendio terminari cupientes pacique nostrae ac tranquillitati restitui, haec duo ab EE.VV.ris supplicamus. Primum (*f. 127v*), ut intercessu EEm.rum Vestrarum Sanctissimus Dominus Partes deferat Domino Nuntio Apostolico, qui novum intimet Capitulum eique ipse praesideat, quo libera sit electio simulque in praetensiones, vitam, mores nostros a prope ac districtissime inspiciat. Secundum, ut ne interea lacessat nos divexetque D. Metropolitanus, dum per D. Nuntium Apostolicum audiamus quid locuturus

de nobis sit Sanctissimus D. Noster, Vestrarumque EE.m Senatus alias. Supplicamus eximi a tam duro eius atque amplius intolerabili regimine nullisque legibus circumscripto. Iusta EE. Principes petimus proindeque firmiter confidimus EE. Vestras ad vota nostra suos Clementissimos animos benignissime inclinatuos. Et Sacram EE.tiarum Vestrarum Purpura demississimo supplicissimoque veneramur genu ac osculo.

In Monasterio Zyrovicien., April. 3, Anno 1684.

Eminentiarum Vestrarum humillimi Servi et apud Deum Exoratores

STEPHANUS MARTISZKIEWICZ BUSINSKI

Protoarchim. O.D.B.M. (mpr)

PACHOMIUS OHILEWICZ, Ord. Consultor (mpr)

SYMEON CYPRIANOWICZ, Ord. Consultor, Sup. Minscen. (mpr)

BONAFACIUS PUCZKOWSKI, O.S. Basilii M. Proconsultor (mpr)

JOACHIM KUSZELICZ, O.S.B.M. Proconsultor, Sup. Zyrovicien. (mpr)

JOSEPHUS PIETKIEWICZ

Secretarius Ord. D. Basilii M., Sup. Bithenen. (mpr)

80.

*Zyrovyci, 3.IV.1684.*

*Eiusdem argumenti Praefecto de Prop. Fide, et ut moneatur Metropolitanus ne Ordini Basiliano damna afferret.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 176-177.

Eminentissime Princeps, Domine, Domine Clementissime.

Vitam nobis per Eminentiam Vestram restitutam sensimus, quando eius clementissima dignatione, uti nobis Ablegatus noster in Urbe causam nostram curans refert, procuratum expeditumque est Breve Apostolicum, quod pacandorum omnium nostrorum dissidiorum, introducendique in Religionem omnium boni religiosi ordinis videbatur affulsisse certum principium. Verum quia D. Metropolitanus non solum Brevi non paruit, neque illud vel in minimo puncto executus est, sed potius pro se illud traxit, asserens deferri sibi per idem illud potestatem convocandi Capitulum, ad quod nullatenus Breve respicit, et cui alii contraveniunt Domini Episcopi ac Religio, iterumque potius redintegravit Congregationem Minscensem per Breve sublatam, ac se iterato fecit Protoarchimandritam Religionis (*f. 176v*), paucissimis iisque inferioris ordinis ac pro illis qui non adfuerunt plane nullis Vocalibus, id quod explanatus repraesentabit Eminentiae Vestrae idem dictus Pater Ablegatus noster. Nos interim liti, ablatis per Dominum Metropolitanum proventibus, impensisque impares, eamque pertaesi, ac paci religiosae studentes, nec tamen per D. Metropolitanum ad extrema praecipitia protrudi volentes, cum nec mediationem, quam per Eminentissimum Protectorem Russiae procuravit, amplius admittat; medium pacificandi res nostras his duobus modis complectimur,

quos Eminentiae V. humillime exponimus, atque ad ea effectui mancipanda clementissimam eiusdem imploramus protectionem opemque.

Primum, ut S.mus D. Noster per Nuntium Apostolicum novum convocari Capitulum mandet, cui ipsemet praesideat D. Nuntius, quo libere peragatur electio, caeteraque Capituli, dignoscatque inter Partes, ac rigidissime earum examinet expendatque praetensiones, vitam et mores; denique rem totam terminet (*f. 177*) ad placitum S. Sedis ac Sacri Eminentissimarum Vestrarum Senatus.

Secundum, ut interea per rescriptum Apostolicum moneatur D. Metropolitanus, ut ne nos quocunque modo lacestat, divexetque.

Et Sacram Eminentiae Vestrae Purpuram humillimo veneramur osculo.  
Zyroviciis, 3 Aprilis 1684.

Eminentiae Vestrae humillimi Servi et apud Deum Exoratores

STEPHANUS MARTISZKIEVICZ BUSINSKI  
Protoarchimandrita Ord. D.B.M. (mp)

PACHOMIUS OHILEVICZ, Ordinis S. Basilii M. Consultor (mp)

SYMEON CYPRIANOWICZ, Ord. Consultor, Superior Miscen. (mp)

BONIFACIUS PUCZKOWSKI, O.D.B.M. Proconsultor (mp)

JOACHIM KUSZELICZ, Ordinis Proconsultor, Superior Zyrovic. (mp)

JOSEPHUS PIETKIEVICZ

Secretarius Ord. D. Basilii M., Superior Bithenen. (mp)

81.

*Zyrovyci, 3.IV.1684.*

*Idem Secretario de Prop. Fide eiusdem argumenti.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 175rv.

Ill.me et R.me Domine,  
Domine et Patrone Colendissime.

Quanto feliciores beatioresque nos putabamus esse ab expedito gratia, favore cooperationeque Ill.mae D.V. Brevi Apostolico, sanctissime de rebus nostris statuente, tanto maiore premimur infelicitate infortunioque, quod id ipsum Breve miseratioque SS.mi contradicentiam repererit apud D. Metropolitanam quoad omnia illius puncta, paragraphos, clausulasque, quin imo, pro suamet ab eodem tractum parte, ut asserat, quasi per illud delata sit ipsi auctoritas alterius intimandi celebrandique Capituli contrarii illi, ad quod Breve respicit; quid nunc contra Religionem egerit peregeritque in Novogrodeni, absentibus fere omnibus Vocalibus, Capitulo; quomodoque sese ipsum iterum, invita Religione, fecerit Protoarchimandritam, repraesentabit Ill.mae D.V. Pater Ablegatus noster, ne nos duplicato relatu fatigemus aures Ill.mae D.V. Haec duo promoveri apud S. D. Nostrum Sacrosque Proceres purpuratos demississime ab Ill.ma D. V. petimus.

Primum, ut S.D. Noster Ill.mo Domino Nuntio in hoc Regno (*f. 175v*) Apostolico novum indici celebrarique Capitulum demandet, cui ipse D. Nuntius praesideat, quo libere peragi possit electio caeteraque Capituli, et quo e prope rigidissimeque examinentur praetensiones, vita moresque nostri.

Alterum, ut interea, dum sub lite sumus, tutos nos securosque ac tranquillos sinat esse D. Metropolitanus, tanquam sub recursu protectioneque Apostolica existentes; haec dum demisissime Ill.mae D.V. deferimus, eidem seros prosperimosque ac caelestium gratiarum feraces praecamur annos, simulque sacri sui vestimenti sacram humillimo osculo veneramur oram.

In Monasterio Zyroviciensi, 3 Aprilis 1684.

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae humillimi Servi et apud Deum Exoratores

STEPHANUS MARTISZKIEWICZ BUSINSKI  
Protoarchimandrita Ord. S.B.M. (mp)

PACHOMIUS OHILEVICZ, Ord. D. Basilii Magni Consultor (mp)

SYMEON CYPRIANOVICZ, Ord. Consultor, Superior Minscen. (mp)

BONIFACIUS PUCZKOWSKI, Ord. D.B.M. Pro-consultor (mp)

JOACHIM KUSZELICZ, Ord. Proconsultor, Superior Zyrovicien. (mp)

JOSEPHUS PIETKEVICZ  
Secretarius Ord. S. Basilii M., Superior Bithenen. (mp)

82.

*Zyrovyci, 1.VII.1684.*

*Querelae contra Metropolitanum Kioviensem eiusque modum agendi contra Ordinem Basilianum, auctore Protoarchimandrita Basiliano.*

APF, *Scrilt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 181-182v.

Praesens calamitosus status ac discrimina Monachorum Ruthenorum, stante eorum lite cum Ill.mo D. Metropolita Russiae-Romae.

Ill.mus D. Metropolitanus totus in hoc est, quod litteris suis expresse et fatetur et contendit, ut Protoarchimandriam in semet devolvat, quo scilicet pacto Religionem in absolutam redigat servitutem, eiusque per omnia tam in personas, quam in bona, nullis canonibus, nulla lege circumscriptus, fiat Dominus atque Arbiter; id quod re praestat ipsa in Monasteriis, quae sive favore Collatorum obtinuit, sive per iniuriam, uti nunc coepit facere, occupavit, quod a nullo Metropolitanum factum est, nisi quo immediatus Antecessor<sup>225</sup> attentare iam id coeperit, isque post omnes Metropolitae solus et unicus; immo nec in Graecia schismatica talia ab Episcopis in Monasteria usurpantur; quia imo pleraque non tantum in Graecia, sed etiam in Russia, Monasteria Schismatica, saecularium aliquae Confraternitates, ab Episcopis suis per

<sup>225</sup> Antecessor Cypriani Zochowskyj in similibus usurpationibus et arbitrariis promotionibus Archimandritarum fuit Gabriel Kolenda, Metropolita Kioviensis (1665-1674).

Stauropegas sese eximunt, et ad Patriarcham Constantinopolitanum immediate referuntur. Quam animi sui destinationem, ut consequatur Ill.mus Metropolitanus:

1. Nuntii Apostolici subterfugit omni conatu Iudicium et contemnit.

2. Imo recursum Monachorum ad S. Sedem, ad quam ipsemet eos provocavit, acerbissime fert, recurrentesque duris dirisque modis divexat, ac persequitur, verbo, scripto, facto; vocitans eos ac scriptitans ob id rebelles a Metropolita, faecem rebellionis, razza di furfanti, et aliis probris, ac verbis spurcis, quae os vilissimi cuiusque colonis dedecent, et aures honestas offendunt. Insuper gravissimis calumniis, viros in Religione praecipuos, illibatae apud suos et externos vitae et famae obruens, idque ubique locorum, atque apud cuiusvis conditionis homines, nullis spectatis circumstantiis. Praeter haec Monasteria, quae et quomodo, aut qua arte potest occupans; sic post occupatum Monasterium provisionis Protoarchimandritalis, nunc recentissime Monasterium Czereiense, Patris Ablegati nostri Romae Causae attendentis advitale, postquam reditus pro subsidio Patri Ablegato paratos extorquere ab eius Vicario non posset, motis inde aliquibus Monachis et quodam discolo ac scandaloso, qui ibidem ob discolam vitam exactus fuit praemisso, ac mox alio Superiore immisso, actu contendit occupare, nisi Ill.mi Collatoris potentia, interposito suae auctoritatis, in quo sola spes est, vim retundat.

3. Monachorum ipsorum, qui Religioni adhaerent, interceptioni inhiat, ut trepide itinera peragere cogamur.

4. Discolos Monachos promissis et criminum indulgentia ad se allicit; quendam Monachum e Monasterio Zyroviciensi profugum et captum, inque Monasterium reductum, ac deinde ad ipsum recurrentem, cum iam e Religione dimittendus esset, in suam protectionem accepit, Sacris Ordinibus, alias indignissimum, ad Diaconatum usque inclusive initiavit, initiaturus sequenti die etiam Sacerdotio, nisi is ipsius Auditorem, obiecta ipsi improba vita anteacta, et diutina extra Religionem divagatione irritasset; quare mox ad Monasterium Vilnense illum expedit, ubi cum ipse die Sacro Pentecotes sese pro delicto, nescitur adhuc quo, puniendus, in cubiculo reclusisset, et ob resistantiam fores effringi securibus iuberentur, ipse alteri Monachorum barbam evulsit, alteri caput, alteri nasum, alteri dentes, alteri oculum laesit.

5. Dignos tamen et praesentatos a Patre Protoarchimandrita ad initandum Ordinibus Monachos respuit.

6. Sacrum Chrisma per ordinariam viam iussit Monasterio Zyroviciensi denegari, cumque ad ipsummet Superior Monasterii, cum honorificis supplicatoriis et vase sacro, in quo asservabatur hoc sacrum unguentum, et quod adhuc Sacro elapsi anni Chrismate delibutum erat, misisset (*f. 189v*) ipse loco unguenti sacri, picem liquidam betulae adustae, vulgo cleopissam, hoc est unguentum, quo axes currus perunguntur, infundi in illud vas Sacrum iussit, et obsigillatum cum indignatione remisit.

7. Ad Sacram etiam Regiam Maiestatem nos traducit, quasi qui Regio iure Patronatus Principem spoliare contendamus, cum tamen ipse



Regiam Archimandriae Polocensis Collationem in se transtulerit, et eam recentissime exercuerit et exerceat. Imo, Archimandriam et Monasterium Grodnense, Regiae itidem collationis, penitus sustulerit, eius bonis usui saecularis cuiusdam magnatis permissis, sicut et aliorum duorum in Russia, Pustinensis et Onophriensis.

8. Breve Apostolicum, quo Capitulum Minscense<sup>226</sup> est declaratum nullum, vulgat esse revocatum, et aliud se Breve habere contrarium, quo pacto terrorem incutit remotioribus Monasteriis ut ad se pertrahat; recentissime confinxit, se convenisse cum Religione et Consultorio, qua arte induxit Superiorem Monasterii Vitebscensis, ut ad ipsius obedientiales monachos aliquos dimiserit, qui ipse Superior id nobis significavit, et responsum a nobis tulit, nil tale inter nos factum fuisse nec pacem coaluisse.

9. Respuit omnem, etiamsi Roma praescribendum, pacis modum, nisi res tota Religionis eius absoluto arbitratui permittatur. Et se potius Metropolia cessurum, quam ab hoc proposito discessurum. Quare nec Dominos Episcopos, praesertim Vladimiriensem et Chelmensem, nam et Premysliensis a nostris partibus est, patitur mediatores, imo a mediatione eos omnino excludit, iam adferens causam, quod duo priores Romam pro nobis literas scripserint; sicuti etiam cepit contendere eosdem Dominos Episcopos, etiamsi monasteria monachorum retineant, non spectare ad Capitulum.

10. Modus ipsius in Capitulis, ut ex praxi patet, est: Eos, qui pollent efficaciori auctoritate, quales sunt Domini Episcopi, excludere. Vocales, quos potest, etiam voce carentes et incapaces, ac discolos, modo numero suffragiorum legitimos vocales superent, conquirere ac intrudere. Alios ex legitimis, favoribus, sin minus, minis, praesertim pusillanimes, ad suas partes pertrahere; absentium etiam vota ingerere, in actu electionis, cum ipsemet chartulas suffragiorum recipiat a Scrutatoribus, tacite perlectas, ita voce evulgare, ut in quemcunque velit numerum suffragiorum pro arbitratu, non pro rei veritate, flectat; denique etiam peracto Capitulo suffragia, per procuratas ab illis, qui aberant, subscriptiones cumulare, quae est gravissima et liberae electioni praeiudiciosissima oppressio. Ut autem ad arbitrium eius stent Capitula, Consultoribus advitalitatem tollit, ut nimirum et tales faciat, qui ipsi vellificentur, maxime expirante eorum officio in Capitulo electivo postquadriennali spe confirmationis in officio illici possint.

11. Minatur, si pro se Roma aliquid decidat, eos qui illuc recurrerunt distracturum se per dissitissima loca, et ita tractaturum, ut nec hiscere possint, multo minus recurrere Romam in posterum. Interim horrendis nos terret exemplis aliquorum Episcoporum, qui in recurrentes ad S. Sedem crudeliter saevierunt.

12. Jactat sui libiti esse, etiamsi pro nobis Roma decideret, non parere, pro exemplo proferens Capitulum latinum Chelmense, quod in Causa Decimarum, quae inter illud et Dominum Episcopum Chelmensem Ruthenum Romae

<sup>226</sup> Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, pag. 651, nr. 612, sub dat. 30.X.1683.

agitatur, Decretis Romanis tot resistentias fecit (*f. 182*) et facit, quod tamen est alterius generis et conditionis.

13. Reducere nos satagit ad legem exlegem Ecclesiae Graecae, quae hodie tota schismatica est, praeter solos unitos Ruthenos, qui maxime nos Monachi, uti lacte pientissimae Matris nostrae S. Romanae Ecclesiae enutriti, horremus fel illud draconum.

14. Modum quemcumque conveniendi ipse prorsus impossibilem reddit, hunc solum obtrudens nobis modum, ut sine ulla conventionem, quod etiam litteris ad Nos datis premit, omnia quae iam fecit, praesertim Capitula et electionem ipsius in Protoarchimandritam pro ratis habeamus, et nosmet ipsius absoluto arbitratui subiiciamus. Ut nec mens nec ratio agendi cum ipso suppetat, praesertim quod etiamsi aliquid nobis in favorem nostrum promitteret, nil firmum esse possit, cum nunquam verbo, etiam scripto firmato, stet.

15. Ob quae praedicta omnia calamitosior sors nostra esset post recursum ad S. Sedem, quam si non recurreremus; quia adhuc vel aliquomodo subvereretur Romam Dominus Metropolitanus; quodsi viderit nos derelictos, quod tamen minime persuademus nobis, laxis habenis omnia sibi in nos permittet.

16. Verum quo summa ac caput rei est, si Ill.mus D. Metropolitanus suo nos absoluto dominatui subiugaret, idem usurparet sibi successor, qui cum ob rationem status Patriae asseratur omnino futurus Szumlanskius, Episcopus Leopoliensis, iam ignominiosissimus penitus esset, ac simul funestissimus exitus Religionis; et in loco sacro Ecclesiisque ac Monasteriis Unitorum facile superinduci posset abominatio antiqui schismatis Graecanici, quod detestabilissimum fatum etiamsi nos potius Monasteriis exueret, tamen intolerandum est, vel ut in loco, ubi Religio fulgebat Catholica, perfidia et impietas obtineat haeretica.

Quare si hae causae exemptionis sufficientes non sunt, nulla supererit, quae satis sit; idcirco supplices misericordiam hanc a Sanctissimo Domino Nostro imploramus, et in primis praeviam visitationem Apostolicam, quae res et vitam moresque partis utriusque exacte inspiciat; per hoc enim causam nostram triumphaturam confidimus. Interim dum ex praescribenda a S. Sede lege, Religio pro circumstantiis S. Ecclesiae et Patriae ad bonum ordinem redigatur, ut a Nuntio Apostolico immediate pendeamus; utque efficaciter moneatur Ill.mus Dominus Metropolitanus, quo omnia nobis restituat ablata, uti monasteria, bona, praesertim vero Provisionem Patris Protoarchimandritae, et exequatur mandata Brevis Apostolici, utque tutos a se quietosque nos esse velit, demississime rogamus, idque ut quam celerrime fiat. Nisi enim acceleretur remedium, interitura est ante tempus Religio, ob multa ingentiaque incommoda ac disordines, quos intervenire necesse est in tanta rerum perturbatione.

Zyroviciis, primis Calendis Iulii, 1684.

STEPHANUS

Ord. D.B.M. Protoarchimandrita

## 83.

(Roma), 1684.

*Exceptiones P. Georgii Malejevskij contra Vocales Capituli Novogrodecensis, ad singulas personas datae.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 171-172.

Eccettioni, che si danno dal Padre Giorgio, Consultore de Basiliani, alli venti due Vocali, che sono intervenuti nel Capitolo de Basiliani in Novogrodeco, nominandoli ad uno per uno numeratamente, conforme stanno descritti negl'Atti trasmessi da Monsig. Metropolita.

1mo. - Benedetto, Archimandrita Trocense, non poteva validamente votare, havendo rinunciato il suo titolo, et Archimandria alla Religione, nel Capitolo Generale dell'anno 1679.

2. - Stefano, Archimandrita Braslaviense.<sup>227</sup> Questo fu Sacerdote secolare, e morta la moglie, fu accettato dal defonto Metropolita nella Religione col patto di dargli l'Archimandria sudetta, come seguì, non ostante, che per la medesima vi fosse consecrato un Monaco. Venuto poi il moderno Metropolita a sapere la vita del Padre Stefano, ordinò si visitasse quel Monaterio, e rimase privo dal Generale dell'Archimandria, e posto altro in suo luogo; ma nel progresso di due anni incirca, acconsentendovi Monsig. Metropolita, ricuperò violentemente l'Archimandria, e scacciò il Superiore instituitovi dalla Religione, onde poi il solo suo ingresso conditionato nella Religione, pare resti escluso dalla legitima vocalità.

3. - Pietro Caminschi non poteria votare come Auditore del Metropolita, ne come Vicario del Vescovo di Premislia, e questo è quel Monaco pessimo, di cui parla Monsig. di Chelma nella sua lettera, ch'è stato appostata tanti anni, delle cui male conditioni se ne havranno li registri in questo Collegio de Greci.<sup>228</sup>

4. - Giacomo Giovanni non poteva dare il voto ne come Ufficiale, ne come (f. 171v) Consultore, havendo ottenuto questo indebitamente nel Capitolo Minscense, annullato da Sua Santità.

5. - Barsonufio è legitimo vocale.

6. - Simeone non poteva votare come Consultore, fatto invalidamente nel Capitolo suddetto.

7. - Martiano, Superiore Vिल्nense, non poteva votare in vigore della superiorità conferitali nel Capitolo suddetto, ch'è invalido.

8. - Gioseffo ha voto legitimo, ma vi è concorso per timore, essendo

<sup>227</sup> Stephanus Sielużynskij, Archimandrita Braclaviensis (1680-1684), depositus a Metropolita; obiit an. 1703.

<sup>228</sup> Petrus Kaminskyj, OSBM, Alumnus romanus Coll. Graeci, ingressus 15.I.1671, annorum 20, diaconus, dimissus e Collegio 31.VII.1671 «ob causam Bullae», forsan Alexandri Papae VII, quae exigebat ab Alumnis iuramentum.

Superiore Polocense, ch'è Arcivescovato posseduto da Monsignor Metropolita, sotto il cui Dominio assoluto soggiace.

9. - Bartolomeo, Superiore del Monasterio di Santa Croce, ha voto legitimo.

10. - Gedeone<sup>229</sup> non poteva votare, havendo ottenuto l'Archimandria Minscense nel Capitolo invalidato, in cui fu privato di quella Superiorità uno de Consultori, il quale a tenore del Breve doveva esserne reintegrato.

11. - Anselmo Cigi non era più Superiore Brestense, perche in suo luogo era stato dichiarato il Padre Procopio, e perciò non poteva legitimamente votare.

12. - Gioseffo è legitimo.

13. - Innocentio è legitimo.

14. - Gioseffo Pascioschi, Vicario Cassuten. Questo voto è dubbioso, non essendovi per anco incorporato questo Monasterio con la Religione.

15. - Costantino Vicario Dubnense.

16. - Isidoro Vicario Dubnense: Uno di questi non può essere, non potendo un Monasterio havere due Vicarii.

17. - Martino, Delegato Polocense, non poteva votare, essendo intervenuto anco il Superiore come al num. 8, e non havendo quel (*f. 172*) Monasterio numero sufficiente di Monaci, per poter, conforme alle Costituzioni, mandar due Vocali.

18. - Innocentio, Delegato Dermanense, è valido.

19. - Teofano, Delegato del Monasterio di Santa Croce, non poteva votare per esservi intervenuto anco il suo Superiore, come si vede al n. 9°, et in quel Monasterio sono due Monaci in tutto.

20. - Daniele non poteva votare come Predicatore Metropolitan, nè come Delegato Vitebscense, non essendone capace quel Monasterio per la mancanza del numero sufficiente de Monaci. Et il Superiore, ch'era il legitimo vocale, non ha voluto intervenire.

21. - Damiano è quivi notato per cortesia, essendo questo Padre del Monasterio di Zirovicio, nè poteva intervenire come Delegato Lescinense, soggetto al Vescovo di Premislia, che non li ha dato il suo necessario consenso, perchè non si sà, se habbia havuto notitia del Capitolo, a cui per tal causa non è intervenuto ne anco il Superiore, ch'era il legitimo Vocale.

22. - Isaia non poteva intervenire come Delegato Berezvecense, nel qual Monasterio è Superiore il Padre Stefano Proto-Archimandrita, e molto meno come Archidiacono, non havendo voto tal Dignità.

Onde si vede, che di venti due Vocali, sette soli sono legitimi, uno dubbio, e quattordecim invalidi, come potranno riflettere, e certificarsi gl'Emin.mi Signori Cardinali.

---

<sup>229</sup> Gedeon Szumlanskyj, Archimandrita Minscensis (1683).

## 84.

(Zyrovyci), 1684.

*Quaedam informationes a Protoarchimandrita Consultori Romam misso.*APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 143rv, 151rv (*idem*).

Informatio Romam, Venerabili Patri Consultori Ordinis.

Ante omnia Berezaccium, Minscum et alia abrepta bona restituantur Religioni.

Accipiendum Decretum prorogationis et Comparitionis Romae.

Puncta gravaminum et praetensionum bene perpendenda, ut ibi possint probari et contraria retundi.

Propter gravamina antecedentia, praesentia, et sequentia, supplicandum omnino, ut eximamus sicut caeterae Religiones, ut et ipsa per Hispaniam et Italiam Basiliana.

Supplicandum, ut secundum leges et statuta a S.M. Josepho Rutscio, Metropolitano, regatur Religio, correctis quibusdam, et secundum Canones ad bonum ordinem redactis pro beneplacito S. Sedis.

In casum conserventur penes Monasteria Zyroviciense, Vilmense, Bytheniense, Minscense etc etc. sub immediata Ill.mi Domini Nuntii Apostolici directione et Jurisdictione.

Petendum, ut post abrogatum Minscense Capitulum, comittatur Ill.mo D. Nuntio aliud intimandum, praevio Brevi Apostolico, prout factum fuit sub Nuntio Pigniatello.<sup>230</sup> Est Breve super hoc, sunt et Intimatoriae eiusdem cum Praesidentia in Capitulo.

Si Religio non eximatur, saltem nos sex, qui ius agimus cum Ill.mo D. Metropolitanano eximamur ad vitae nostrae tempora, simulque sub immediata S. Sedis et eius Nuntii Protectione, Jurisdictione etc., quia sicut minantur ipsi, non possumus esse securi de vita. Sub poena enim excommunicationis praecepit per Delegatos Monasterii Zyroviciensis, cum manifestatione ad se misos, denunciandum quod Patrem Generalem, et Consultorem Ordinis, modicum a Religione Oratorem, compedibus stringere, et in carcere putrefacere omnino decreverit.

Supplicandum, ut iuxta Decreta S. Congregationis Episcoporum et Regularium, ab Innocentio X approbata, in Monasteriis, ubi sex Monachi sunt unus, ubi plures duo Ritu Latino celebrare possint. In Monasterio vero Zyroviciensi, sex saltem requirantur. Ita concessum est Basilianis Italo-Graecis a Paulo V, Urbano VIII, Innocentio X et aliis sub Anno 1649. Quicquid denique Optimi isti habent Patres nostri a Summis Pontificibus, Cardinalibus etc. sibi concessum, ea omnia eodem iure, ut ad nos quoque transferantur, omni studio procurabit V. Pr. Consultor.

Quod, ut facilius fiat, consulatur super his omnibus A.R. Pater Procurator

---

<sup>230</sup> Antonius Pignatelli, Nuntius Varsaviensis (1660-1667).

Generalis, vel ipse Rev.mus Pater Abbas Generalis Basilianus, ut sua ope, consilio et omni favore promoveat tam dure a Praelatis oppressos Fratres eiusdem Ordinis.

(f. 143v) Legatur diligenter Breve Gregorii XIII, sub Anno 1579 editum, quo sua Sanctitas Ordinem instaurat, in unam Congregationem redigit, admittit ad omnia Privilegia, Praerogativas, Immunitates, Indulgentias, et Gratias Ordini S. Benedicti concessas, eximit a Jurisdictione Ordinariorum omnium, et similia procurantur.

Idem favor et gratiae expetendae a PP. Generalibus aliarum Religionum, Societatis, Praedicatorum, Franciscanorum, Carmelitarum Discalceatorum, quibuscum specialis esse debet connexio. Qui omnes summopere res nostras instaurare possunt, modo sincere velint apud Eminentissimos Cardinales et ipsum Summum Pontificem.

Rogandus Rev.mus D. Jacobus Magliabecchius, rerum et similium oppressionum nostrarum peritissimus, ut apud Eminentissimos Cardinales res nostras promoveat et Patronum efficacissimum agat. Quod si forte, ut speramus, res ex voto nobis succedet, et grata et obligata omnem gratitudinem effective refundet Religio, etsi sit per praesentes calamitates vehementer depauperata.

Quia literae etiam Nuntii Apostolici intercipiuntur, ut patuit in D. Bialozor Vilnae, ideo tam Ill.mo D. Nuntio prius, quam deinde Sacrae Congregationi de Propaganda Fide supplicandum, ut expeditiones tam nostrae Romam, quam Romanae ad nos per postam suam secure expediantur, accedente singulari favore Ill.mi D. Secretarii de Prop. Fide.

Quia gravissime sumus infamati, impetrandus unus et alter Commissarius, pietate, doctrina et iudicio gravis, qui non sit acceptor personarum aut munerum. Hic inquirat de vita et moribus nostris et eorum. Et quodcunque erit devium, corrigat, emendet, adamussim Religiosae Observantiae reducat. Hoc enim liberissime et sapimus et optamus.

Expediendum Decretum a S. Congregatione de Propaganda Fide de recipiendis pro semper studiosis nostris ad Alumnatum Pragensem et Olomucensem, quale habent a multis annis Patres Paulini.

In fidem

STEPHANUS

Ord. S.B.M. Protoarch.

PACHOMIUS OHILEWICZ, OSBM, Consultor

SYMEON CYPRIANOWICZ, OSBM, Consultor, Sup. Minscensis

JOSEPHUS PIETKIEWICZ, OSBM, Secretarius, Sup. Bytheniensis

85.

*Zyrovyci, 20.III.1685.*

*Aliud Capitulum nullum, attentata Metropolitae contra Ordinem, expetitur protectio et provisio regimini Ordinis, nec non subsidium pro Ablegato Romano etc.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 214-215.

Ill.me et R.me Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Beneficentissimam pientissimamque Ill.mae Dominationis Vestrae Protectionem, quam in toto hoc causae nostrae, quae vere miserabilium dici possit, progressu, praesertim vero in ultimis decretis Eminentissimorum Particularis Congregationis Patrum, cognoscendae eidem causae a SS.mo Domino Nostro destinatorum, decima septima Iulii superioris anni emanatis abunde experti demississimeque venerati sumus; intimis grati animi ac nunquam intermoriturae memoriae reconditam penetralibus, ipsi posterique nostri dum spiramus, perennibus ad Deum Dominum respirabimus suspiriis, ut hanc Ill.mae Dominationis Vestrae in nos calamitatemque nostram dignatissimam respicientiam miserationemque Divinis suis aeviternisque remuneretur miserationibus.

Supplici autem poplite ulteriorem Ill.mae Dominationis Vestrae imploramus gratiam opemque, ut lis haec, promotu Ill.mae Dominationis Vestrae ultimato acceleratoque Eminentissimorum Patrum ac Sanctae Sedis Apostolicae nobisque propitio, quam primum dirimatur ac terminetur oraculo, cum et omnia super quibus in praesenti causa ab Ill.mo Nuntio Apostolico interrogati fuimus plene, exacte abundeque omni candore sinceritateque ad eundem perscripserimus, praesertim vero nullitatem Capituli Novogrodensis<sup>231</sup> luculentissime demonstraverimus, et hactenus iam Romam etiam esse transmissa, aut antequam praesentes nostrae perveniant transmittenda credamus. Nec vero pares amplius simus ferendae continuae ac irrequietate eique gravissimae crudissimaeque persecutionis Ill.mi Domini Metropolitanæ, qui etsi memorata superius Eminentissimorum Patrum Decreta interea admiserit, Consultoresque ac Secretarium redintegrari in suis oneribus passus sit, ac P. Symeonem in munus legitimi eius superioratus ad Monasterium Minscense restituerit; tamen diris eos iniquissimisque criminationibus apud omne genus statumque hominum, non expectans donec obiecta eis iuxta Decretum Eminentissimorum (f. 214v) Patrum Ill.mus D.nus Nuntius Apostolicus cognoscat, lacessere proscindereque ac in fama apud probos quosque externos incontaminata interimere non cessat, inferiores vero monachos sub parentia Patris Stephani, qui per Breve Apostolicum in munere Protoarchimandritali confirmatus fuit, usque ad futurum legitimum utique Capitulum, existentes captivat, contundi iubet, detondet, carceratque, uti cum tribus eorum, iisque Sacerdotibus, et horum uno Superiore insuper Vlnensi, non iudicatis, non convictis recentissime fecit, minitans idem aliis, ut propria manu ipsemet ad Patrem Stephanum exaravit. Nunc duas praeconcepit maximas, alteram, tollendas omnino esse stirpitibusque abolendas leges Iosephi; videt nimirum suam causam, stantibus hisce legibus, subsistere non posse; alteram, Decreta Romana quaecunque pro parte nostra emanarunt atque emanatura sunt non ferenda, seque id effecturum per Rempublicam, ut ne subsistant, quasi authoritati Metropolita-

---

<sup>231</sup> Capitulum Novogrodense, convocatum a Metropolita Zochovskyj, in quo iterum electus fuit in Protoarchimandritam, et ideo nullum declaratum a Sede Apostolica, in Martio 1684; cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis...*, pag. 17.

nae praeiudiciosa, eiusque laesiva, ac iuribus, privilegiis consuetudinibusque Ecclesiae Orientalis adversantia.

Quare iterum supplices simus Ill.mae Dominationi Vestrae, ut pro eadem sua in nos clementissima dignatione id apud Eminentissimos Patres ac SS.mum Dominum Nostrum efficere dignetur, ut leges illae Josephianae, Oraculo Apostolico per speciale Breve confirmentur, tamen reformatis correctisque auctoritate Supremi Legislatoris iis, quae praesenti tempori minus accommodata sunt, et quae Ill.mo Metropolitanum arma in nos oppresionemque nostri suppeditent. Iosephus enim ita leges hasce condebat, ut eas suo illi tempori adaptaverit. Nec nos ideo leges hasce in volumen redactas per Patrem Delegatum nostrum Romam repraesentandas Supremo Tribunali misimus, ut eas integre, ut in se sunt sonantque confirmari exoptaremus, sed ut candorem nostrum fidemque in eis sincere exhibendis Sanctae Sedi probaremus, utque ne species quidem aliqua restaret parti adversae, quo nos de crimine falsi accusaret. Verum totum hoc sapientissimo aequissimoque Ill.mae Dominationis Vestrae plene absoluteque resignamus iudicio arbitrioque. Porro si, quod avertat Divina Bonitas, lis haec protelaretur ulterius, id supplices exoramus, ut caput (*f. 215*) Religioni, vel titulo Administratoris interea provideatur, cum res nostrae per litem sic suspensae patentem ac in dies certiora certioresque misere experiantur interitum, utque Patri Ablegato nostro beneficium subsidium a S. Congregatione clementer assignetur, ac donec lis duret, impertiatur, quemadmodum Superiori olim Ablegato nostro P. Pachomio<sup>232</sup> per integrum triennium suppeditabatur; ideo enim hodiernus P. Ablegatus noster pauperum e Religione sibi collatarum impensarum periculum isthuc fecit, quod crederet se quam primum expediendum, iam vero nunc debita coactus est contrahere. Caetera distincte et particulatim exponet Ill.mae Dominationi Vestrae idem P. Ablegatus noster<sup>233</sup> ad quem vota nostra perscribimus. Et Ill.mae Dominationi Vestrae longaequam prosperamque ac quorumque caelestium favorum fertilem devotissime precati aetatem, sacram sacri eiusdem vestimenti oram humillimo veneramur osculo.

Datum in Monasterio Zyroviciensi, die 20 Martii, Anno 1685.

Ill.mae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae humillimi Servi ac apud Deum Exoratores

STEPHANUS MARTISZKIEWICZ BUSINSKI  
Ord. D. Basilii M. Proto-Archim. (mp)

PACHOMIUS OHILEVICZ, Ordinis S. Basilii M. Consultor (mp)

SYMEON CYPRIANOWICZ, Consultor Ord. D. Basilii M., Superior Minscen. (mp)

BONIFACIUS PUCZKOWSKI, Proconsultor Ord. D. Basilii M. (mp)

JOACHIM KUSZELICZ, Ordinis D.B.M. Proconsultor, Super. Zyrovicien. (mp)

JOSEPHUS PIETKIEWICZ, Secretarius Ord. D. Basilii M., Superior Bithen.  
(mp)

<sup>232</sup> P. Pachomius Ohilevyč, Legatus Romam (1662-1664).

<sup>233</sup> Georgius Malejevskij, Consultor Generalis, Legatus Romam pro defensione iurium Ordinis; cfr. alias notas.



## 86.

Slonimi, 15.V.1685.

*Cautio Metropolitanae Antonii Sielava an. 1642 et Acta primorum sex Capitularum generalium tempore Josephi Velamin Rutskyj, serie documentorum confirmata.*

APF, *Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 260-61v; idem fol. 248-250 (copiae).

## NUM.L-MUS:

Nos infra scripti pro electione Protoarchimandritae Vilnen. anno praesentis 1642, mense Iulii, per Ill.mum ac Rev.mum Dominum Metropolitam evocati, cavemus hoc scripto nostro quod electio praesens Rev.mi Patris Metropolitanae, uti de Religione meritissimi et ob alias graves causas, non debeat liberae electioni pro futuro Religiosis Regulae S. Basilii in ullo praeiudicare, et ad similes personas non debeat attrahi, sed expressa Constitutionis Novogrodovicen. sub annum 1617 debeat pro futuro executioni mandari. Ad hoc, post sera fata moderni Protoarchimandritae Ill.mi D. Metropolitanae, sede vacante, Regimen Religionis nostrae ad futuram electionem novi Protoarchimandritae, vel si vivente Protoarch. Vicarius Generalis electus esset, secundum eandem Congregationem Novogrodovicensem, quae cautio nostra ut in memoria habeatur et semper valida sit, subscripsimus manu nostra et ut ad acta Ill.mi D. Metropolitanae inseratur impetravimus. Scriptum die 5 Iulii, secundum vetus, anno 1642.

Antonius Sielava, Metropolita, Protoarchimandrita Ord. S. B. Magni.  
 Andreas Kwasninski Zloty, Archiepiscopus Smolen. et Czenihoviensis.  
 Paulus Owloczinski, D.G. Episcopus Samborien., Coadiutor Premislien.,  
 Kobrinensis Archimandrita.

Symeon Jackiewicz, Hegumenus Mn.rii Bytheniensis, Cons. O. S. B. M.  
 Alexius Dubowicz, Archimandrita Vilnensis Sanctissimae Trinitatis.  
 Theophilus Olszanica, Archimandrita Polocensis.

Eustachius Pieszkowski, Archimandrita Grodnensis.

Laurentius Wolkowicz, Superior Zyrowiciensis.

Ignatius Szopowicz, Consultor Ord. S. Basilii Magni.

Sylvester Kotlubay (mpr).

Constantinus Witopolski, Hegumenus Monasterii Minscensis O.S.B.M.

Theodorus Borowik, Superior Monasterii Nowogrodensis O.S.B.M.

Joachimus Hostilowski, Superior Monasterii Czerlon. O.S.B.M.

(f. 260v) Num. II. Subscriptio Notarii et aliorum, qui extraxerunt iura, quibus titulus: Regulae et Constitutiones tam Capitulares quam extra Capitulares Josephi Velamin Rutski, Metropolitanae Russiae.

Nos infra scripti testamur fidemque facimus quod Volumen inscriptum: Regulae et Constitutiones tam Capitulares quam extra Capitulares Josephi Velamin Rutski, Metropolitanae Russiae, Instauratoris Monachorum Ruthenorum Ord. S. Basilii Magni, nobis praesentatum fuit, ex quo Volumine Consti-

tutiones tam Capitulares quam extra Capitulares praefati Josephi Velamin Rutski, Metropolitae Russiae etc. Item Congregationes Regulares num. 6to, quarum Ima anno 1617, die 20 mensis Iulii, celebrata fuit. Similiter Observationes circa electionem Protoarchimandritae ipsiusque Regulae, una cum Regulis Episcoporum transcriptae et nobis infrascriptis a Revmo Patre Martyszkiewicz, Generali eorundem Monachorum et pleno Consultorio eiusdem Ordinis, exhibitae sunt, quae omnia a nobis visa, revisa fideliterque collationata, per omnia cum ipsis authenticis scriptis concordare testamur. In quorum fidem manus nostras subscripsimus et sigillis munivimus.

Datum Slonimi, Anno 1685, die 15 Maii.

Michaël Rusiecki, Praepositus Canonorum Regularium Lat. Slonimen.  
X.W. Stanislaus Samocki.

Joannes Paulinus Urbanowicz, Guard. Convent. Slonimensis  
Ord. Min. Rel. Oservantiae S. Francisci.

(L.S.)

(L.S.)

(L.S.)

Anno 1684, Mense Maii 18, praesentes Copias authenticas Regularum et Constitutionum per Religiosum Patrem Josephum Pietkiewitz, Ord. S. Basilii Magni, Secretarium, Superiorem Monasterii Bytheniensis, Mandatarium eiusdem Ordinis Consultorii, coram Actis Protonotarialibus meis exhibitae et productae cum Originalibus, ex quibus sunt depromptae et exemplificatae fideliter, lectae et revisae et collationatae iuxta tenorem et continentiam suam concordant cum toto. Et quia Ego Joannes Woronowicz, Prothonotarius Apostolicus, Cancellarius Dioecesis Vilmensis, praedictas copias collationum, subscriptiones manuum Personarum annotatarum (*f. 261*) et Sigilla apposita supra pridem optime novi, ideo easdem copias mea manu subscripsi et signo meo, quo in Publicis instrumentis utor communivi, rogatus et requisitus. Idem qui supra (mpr).

(L.S.)

Subscriptio aliorum Iurium, quae incipiunt ex Capitulo Zyroviciensi,  
Anno 1658.

Nos infrascripti testamur fidemque facimus contenta in hoc scripto extracta tam per textum quam copias, exhibita nobis simul cum eorum Originalibus a Revmo Patre Generali et pleno Consultorio Ord. S. Basilii Magni, lecta a nobis, recognita ac collationata cum iisdem originalibus cumque iis per omnia concordare. In quorum fidem manus nostras subscripsimus et sigillis nostris munivimus.

Datum Slonimi, Anno 1685, mense Maii.

Michaël Rusiecki, Praepositus Canonic. Latt. (mpr).

X.W. Stanislaus Samocki, Comm.

Joannes Paulinus Urbanowicz,

Guard. Convent. Slonim. Ord. Min. Oserv. S. Francisci (mpr).

(L.S.)

(L.S.)

(L.S.)

Subscriptio Iurium, quorum titulus: Leges quaedam Monachorum Ruthenorum Unitorum, excerptae ex eorum Actis Capitularibus. Haec quoque excerpta etiam cum suis Originalibus concordant. Testatum facit. Ego Josephus Pietkiewicz, Secretarius Capitularis iuratus Ord. S. Basilii Magni, Superior Bytheniensis (mpr).

(L.S.)

Testatum facimus inserta his foliis ex actibus Capitularibus RR.PP. Basilianorum Ruthenorum excepta, Literis Alphabeticis ab A usque ad Q, inclusive, connotata et prout sunt filis sericeis colligata, contulisse nos cum iisdem Actis authenticis appressis, manus proprias subscripsimus.

D. Albertus Stanislaus Samocki, Comm. Slonimensis.

P. Andreas Jolowski, Can. Reg. Latt. Conven. Slonim. Prior.,  
in Absentia Admodum R.P. Praepositi.

Joannes Paulinus Urbanowicz.

(L.S.)

(L.S.)

(L.S.)

(f. 261v) Num. III: Ex Actis Congregationis habitae Zyroviciis 25 Lulii, Anno 1679. Dominus Metropolitanus, Liturgia Sacra de Sancto Spiritu solemniter cantata etc. simulque, uti ante quadriennali Capitulo fuit, ita etiam sese ab electivis in Proto-Archimandritam suffragiis, inhaerendo piae memoriae Metropolitanae Rutski, et totius Religionis Constitutionibus, in perpetuum se sponte et ultro exclusit.

## 87.

(Roma), 1685.

*De redivibus Protoarchimandritae et Consultoris Romae degentis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1685, vol. 492, fol. 12.

Il Generale de Basiliani Rutheni hoggi dî non ha altre rendite, che quelle del Monasterio Berezvecense, con le quali deve mantenere li Monaci, spendere nelle visite, nè Viatici degl'Alunni, che si mandano da lui nè Collegij Pontificij, et in occasione delle Diete Generali per procurare li vantaggi della sua Religione, e della S. Unione.

(in margine) Si suppone che per l'anno corrente saranno godute dal Padre Generale, sentendosi la restituzione del Monasterio fatta in sua mano.

Tali rendite non sono sufficienti per le spese suddette et oltre di ciò ne è rimasto privo per due anni, havendole occupate il Metropolita, dopo che si è fatto eleggere Generale.

Vi sono di più le rendite di Torochania, spettante al Monasterio Brestense, che sono propriamente destinate per il sostentamento del Generale, e per

le spese straordinarie, e queste parimente sono occupate dal Metropolita, contro il decreto del Signor Cardinale Pignatelli, all' hora Nuntio. 1666.

(*in margine*) Questo è uno de punti, che dovrà decidersi nella Congregazione particolare.

Il Padre Consultore, presente in Curia, gode le rendite dell' Abbatia di Czereia, che appena possono bastare per alimentare i Monaci della medesima, onde ha supplicato la Sac. Congregazione di sussidio per pagare li debiti contratti, e per il suo mantenimento qui, come per il viatico nel suo ritorno, essendosi ciò benignamente praticato col Padre Pachomio.<sup>234</sup>

## 88.

(Roma), 1685.

*Elenchus Alumnorum ad Collegia Pontificia a Protoarchimandrita missorum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1685, vol. 492, fol. 95rv.

Monachi Basiliani Rutheni ad Alumnatum Collegii Graeci ad S. Athanasium, a Protho-Archimandrita Romam missi.

Anno 1634. Eustachius Korsak a Raphaële Korsak, Proto-Archimandrita Monacho Professo.

Anno eodem. Nicolaus Korsak ... Ab eodem.

1636. Gabriel Kolenda ... Ab eodem.

Eodem Clemens Szuyski ... Ab eodem.

1640. Zacharias Ilkowski ... Ab eodem.

1643. Isaacius Kopiiwicz ab Antonio Metropolita tanquam Proto-Archimandrita.

1645. Pachomius Ohilewicz ... Ab eodem.

Eodem Gregorius Bienkowski ... Ab eodem.

1653. Martianus Bialozor ... Ab eodem.

eodem Stephanus Martyszkiewicz ... Ab eodem.

1658. Hieronymus Bohdanowicz a Patre Benedicto Terlecki, Protho-Archimandrita Monacho Professo.

Eodem Simeon Cyprianowicz ... Ab eodem.

Eodem Nunc metropolita Cyprianus Zochowski ... Ab eodem.

Eodem Joannes Malachowski ... Ab eodem.

Eodem Athanasius Balcewicz ... Ab eodem.

Eodem Josephus Babinski ... Ab eodem.

(f. 95v) 1665. Georgius Maleiewski = Ab ortu dissidiorum fuit deputatus Administrator Relig. P. Adrianus Moser.

Eodem Benedictus Michniewicz ... Ab eodem.

---

<sup>234</sup> P. Pachomius Ohilevyč, Consultor Generalis, annis 1662-1664 missus fuit Legatus Romam.

1669. Samuel Smogorzewski a D. Gabriele Kolenda, tanquam Proto-Archimandrita.  
 1671. Petrus Kamienski ... Ab eodem.  
 1672. Simeon Koziol ... Ab eodem.  
 1673. Leo Zalenski ... A Patre Pachomio, tanquam Administratore.  
 Eodem Joachimus Kuszelicz ... Ab eodem.  
 1676. Cyrillus Szypilo ... A Patre Pachomio, Proto-Archimandrita.  
 Eodem Augustinus Lodziata ... Ab eodem.  
 1677. Simeon Ohurcewicz ... Ab eodem.  
 1683. Marianus Jwanowicz ... A Patre Stephano, Proto-Archimandrita.  
 Eodem Adrianus Kossakowski ... Ab eodem.  
 1684. Polycarpus Philipowicz ... Ab eodem.

(f. 100v) Foglio presentato per parte del Consultorio de Monaci Basiliani, nel quale si prova, che dall'anno 1631, che la Religione fu posta in Congregazione, sino al giorno de hoggi, mai li Arcivescovi di Kiovia hanno mandato Monaci per Alunni a questo Collegio Greco, se non in quanto accidentalmente erano Protoarchimandriti dell'Ordine. E Monsignor Arcivescovo di Kiovia presente, in dieci anni, che si trova Metropolita, non ne ha mandato pur uno, havendo lasciato ciò fare alla Religione, alla quale è più cosa chiara del sole, che spetti a disporre delle Persone de suoi Monaci, come si vede disposto nell'introscritta nota. Anzi si vede, che Mons. Metropolita medesimo, essendo Monaco, fu mandato a questo Collegio Greco dalla sua Religione, e non dall'Arcivescovo di Kiovia.

## 89.

Chelm, 20.II.1686.

*De obedientia Alunni, de infirmitate Jacobi Susza, de missione alterius Alunni et recommendationes.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 248rv.

Illustrissime ac R.ndissime Domine,  
 Domine Patrone Colendissime.

Beneficia Ill.mae Dominationis mihi collata tanto maiora sunt, quanto minus merito praestita. Unde tanto memoria in me, perpetua digniora, quo praestantiora: haec in abdito cordis recondere primo, dein (cum ex abundantia cordis os loquatur) lingua colere recordabor semper, nunquam obliviscar. Illustrissimus Dominus Episcopus,<sup>235</sup> Pater meus Colendissimus (quem extremis laborantem inveni) iam 40 circiter hebdomadis, variis, gravioribusque premittur infirmitatibus; et quia videt tantos, et Monasterium suum, et Religionem

---

<sup>235</sup> Jacobus Susza, Episcopus Chelmensis (1652-1687).

nostram experiri ab Ill.ma Dominatione favores, etiamsi vix spiret, nihilominus summas rependit Ill.mae Dominationi grates, missurus in locum meum et Socii mei, (qui iam in Monasterio residet nostro) duos Religiosos, post Congregationis brevi futurae resolutionem. Ego vi sanctae obedientiae constrictus, Superioratum Monasterii Chelmen. suscipere debui, onus superans vires meas. Et cum Sacram Pastoralemque Ill.mae Dominationis, cum ea qua par est reverentia, osculor manum, testor me esse pro semper.

Chelmae, 20 Februarii 1686.

Illustrissimae ac Rnd.ssimae Dominationis Vestrae  
 Servum humillimum,  
 et coram Deo Exoratore indignissimum  
 POLYCARPUS BINIKIEWICZ  
 Ord. D.B.M.S.T.D., Sup. M. Chelmen. (mp).

Optassem ipse specialiter pro commonstratis favoribus mihi et loco Chelmeni pauperi, sed gloriosissima Virginis Mariae imagine clarissimo, agere gratias; sed quia pressus aegritudine sum, hisce paucis verbis coram Deo et ... gratias V. Ill.mae D.ni ago, et ut enim in posterum huiusque loci meminisse dignetur, submisso oro, maneoque S.

J. SUSZA, Ep. Chelm. (m.pr.)

90.

*Zyrovyci, 7.XII.1686.*

*Protoarchimandrita Basilianorum transmittit Acta Capituli Novogrodecensis petitque approbationem S. Congregationis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 312rv.

Ill.me ac Rev.me Domine, Domine Patrone noster Col.me.

Supplicem libellum Sacrae Congregationi de Propaganda Fide ratione approbationis Capituli nostri Novogrodensis, sub praesidentia A.R.P. Thomae Viejski, Societatis Jesu, Domus Professae Vilnen. Praepositi,<sup>236</sup> peracti, porrigentes, specialem Ill.mae D. Vestrae humiliter imploramus opem, ut praesidio Ill.mae D. Vestrae et protectione Acta nostra Novogrodensia cum Regulis, Constitutionibus, Ratione Vitae Communis, aliisque Appendicibus Eminentissimis Cardinalibus transmissa, modo cum Sacris Canonibus, Bullis Pontificiis, Decretis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, et Immunitate Religiosa convenient, sortiantur effectum suum et necessariam accipiant confirmationem. Maxime vero, ut Decreto Eminentissimorum Cardinalium in perpetuum roboretur, futuros Protoarchimandritas puros similiter Monachos eligendos,

<sup>236</sup> Thomas Viejski, Soc. Jesu, Praepositus Vilnensis, quodam tempore Episcopus Kioviensis latinus (1677-78), et dein Delegatus Nuntii Varsaviensis ad praesidendum Capitulo Novogrodensi 1686, diebus 1-10 Augusti.

ut ita penitus pax conservetur tollanturque occasiones ad lites et iurgia inter DD. Metropolitanos et Religionem. (f. 312v) Agnitam gratiam, et beneficam Ill.mae D. Vestrae, ad EE.mos Cardinales intercessionem, continua apud Deum deprecatione, pro omnibus faustissimis Ill.mae D. Vestrae progressibus gratificari obligabimur. Cuius devotissime promissi, Sacram exosculamur Dexteram.

Zyroviciis, die 7 Xbris, Anno 1686.

Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae humillimi Servi et apud Deum Exor.

JOSEPHUS PIETKIEWICZ  
O.S.B.M. Proarch.†a (mpria)

SYMEON CYPRIANOWICZ, Consultor Ord. D. B. M., Superior Zyroviciensis (mpr)

STEPHANUS MARTISZKIEWICZ BUSINSKI, Consultor Ord. D.B.M., Arch. Polocensis (mpr)

GEORGIUS MALEIEWSKI, Ord. S. Basilii Magni Consultor, Abbas Czereiensis (mpr)

SYMEON OHURCEWICZ, Ord. D. Basilii M., Secretarius, S. Th. D., Superior Vilnensis (mpr)

## 91.

Zyrovyci, 7.XII.1686.

*Consilium generale Congregationi de Prop. Fide transmittit Acta Capituli Novogradensis, de nexu cum Metropolita etc. petitque approbationem.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 314-15.

Eminentissimi Principes, Domini Patroni nostri Clementissimi.

Quae in Capitulo nostro Novogradensi, sub praesidentia Admodum R.ndi Patris Thomae Vieyski, Societatis Jesu Praepositi Domus Vilnensis, et Comite eiusdem R.ndo Joanne Berentt, exprovinciali, dignissimis viris, ex subdelegatione tunc Ill.mi nunc Eminentissimi Cardinalis, Nuntii Apostolici per Regnum Poloniae, et Magnum Ducatum Lithuaniae,<sup>237</sup> ex mutua conventionem statutae sunt, et iam transmissa ad Eminentias Vestras, illa omnia in toto arbitrio Eminentiarum Vestrarum humillime subiicimus. Ducibus enim praedictis R.ndis Patribus, Arbitris rerum nostrarum, et Interpretibus mentis Eminentiarum Vestrarum, oportuit nos cum Ill.mo D. Metropolitano inire (f. 314v) concordiam, et nexum, in illo et in compendium redactis Regulis, Constitutionibus Capitularibus, et Appendicibus, quicquid boni, et perfecti est in obsequium Sanctae Matris nostrae Romanae Ecclesiae, conformiter ad Sacros

<sup>237</sup> Nuntius Varsaviensis Opitius Pallavicini (1680-1687), creatus Cardinalis die 2. IX.1686; obiit an. 1700, 11 Februarii; ianuensis, Ep. tit. Ephesus.

Canones, Iura et Immunitatem Ecclesiasticam, item in profectum Religionis, et salutem nostram aeternam, ea integerrime subsint sententiae et approbationi Eminentiarum Vestrarum, pro qua humillime supplicamus, infinitas agentes gratias EE.VV., quod et curam pusilli Ordinis nostri habuerint (nec illam in futurum EE.VV. pro bono Ecclesiae intermittant) et conformiter ad Decreta EE. Vestrarum restituta sit libertas religiosa, quod iam purum Monachum habeat Protoarchimandritam talemque in perpetuum habendum, ut novo Decreto EE. Vestrarum firmiter roboretur, submississime postulamus, ne aliquando super hoc Religionem nostram cui, si quid forte adhuc desideretur, ut subsequentibus EE. Vestrarum gratiis benigne impertiatur pronissimi imploramus EE. Vestras. Et Eminentiarum (*f. 315*) Vestrarum sacras Sacrae Purpurae fimbrias devotissime exosculamur.

Eminentiarum Vestrarum, Dominorum Clementissimorum  
humillimi Servi et apud Deum Exoratores

JOSEPHUS PIETKIEWICZ

Ord. D.B.M. Protoarchimandrita (mpr)

SYMEON CYPRIANOWICZ, Consultor O.D.B.M., Superior Zyrovic. (mpr)

STEPHANUS MARTISZKIEWICZ BUSINSKI, Consultor O.D.B.M., Archim. Polocensis (mpr)

GEORGIUS MALEIEVSKI, Ord. S. Basilii M. Consultor, Abbas Czer. (mpr)

SYMEON OHURCEWICZ

Ord. D. Basilii M. pro Secretarius, S. Th. D.,

Superior Vilnensis (mpr)

Datt. Zyroviciis, die 7. Xbris, Anno 1686.

92.

*Zyrovyci, 7.XII.1686.*

*Congratulatur cum Purpura collata, de nexu cum Metropolita, de quibusdam punctis Constitutionum, de Procuratore de Camillis, petitur approbatio Capituli generalis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 318-319.

Eminentissime Princeps, Domine Patrone noster Clementissime.<sup>238</sup>

Praeclarae virtuti et insignibus in Ecclesia Dei meritis Eminentiae Vestrae dudum debitam, nunc collatam Cardinalitiam Purpuram, humillime ac devotissime gratulamur E. Vestrae, bono omine nostro, siquidem excelsiorem E. Vestrae gradum magis pusillo Ordini nostro profuturum utilemque fore haud dubitamus. Agnita enim priora beneficia et favores E. Vestrae in Religionem nostram, quae aeternum debet pientissimis gratiis E. Vestrae ad statum praesentem relata, maiora sperare firmant animos nostros, supplica-

<sup>238</sup> Ut videtur, Optio Pallavicini, creato Cardinali 2. IX. 1686.



reque perenne patrociniū et praesidiū E. Vestrae demississime urgent.

Additio terminorum volentes nolentes inde processit, quia Ill.mus D. Metropolitanus tenacissime principaliora Monasteria cum Polocensi ad Arcem, et Cassutensi, cumque advitalibus Archimandriis ac Hegumenatibus collationi suae subiecit, relictis pauperibus collationi Protoarchimandritae, secundum 9 punctum in nexu descriptum, ubi incipit: Protoarchimandrita conferet etc. Grave enim est Religioni non subesse totaliter et in omnibus Moderatori eius Religioso, et a potiori pendere a gratiis Metropolitanorum, ex quo manifeste deducitur, ex respectu, non ex vi (*f. 318v*) meritorum conferendas istas nocivas Religioni Archimandrias, quas olim Josephus Rutski extinxerat. Igitur, etsi cum gravamine Religionis, studio solius pacis, volentes nolentes acquievimus.

Et 17 punctum, quod incipit: Confessarium, Theologum etc. quos requirit Metropolita. Grave et hoc, quia non ex electione Protoarchimandritae cum Consultoribus, sed ex requisitione Metropolitanī, quas voluerit Personas, illas obligatur dare Domino Metropolitanō Protoarchimandrita. Aequius est, ut requirat a Protoarchimandrita, et hic, consultis aliis, quos idoneos videbit, subministrabit Domino Metropolitanō.

Et hoc necessario pro meliori notitia E. Vestrae deferre visum est. Quod D. Metropolitanus firmiter stetit et effecit, ut idem Josephus de Camillis, Graecus, Romae apud S. Sergium denuo Procuratorem Religionis ageret, quamvis mens Religionis fuit, alium ex his partibus Religiosum nostrum Ruthenum mittere.

Supplex noster libellus ad Eminentissimos Cardinales de Propaganda Fide, pro confirmatione Capituli nostri, et litterae ad Ill.mum D. Secretarium eiusdem Congregationis pateant E.V. Cuius humillime imploramus opem et instantiam ad eosdem EE.mos Cardinales, tam pro confirmatione dicti Capituli, quam, ut decreto Eminentissimorum Dominorum roboretur futuros Protoarchimandritas in perpetuum pariter puros Monachos eligendos, ut cessent tandem lites, tollanturque occasiones ad iurgia inter DD. Metropolitanus ac Religionem. Item et nexus cum Domino Metropolitanō, si conformis est ad Sacros Canones et Jura Ecclesiastica, et hic an solum cum praesenti D. Metropolitanō, an etiam cum Successoribus (*f. 319*) eius tenendus et observandus a Religione, declarationem et approbationem habere ab EE. Cardinalibus humiliter supplicat Religio, per specialem, et hanc beneficam et clementem E.V. intercessionem, quam repetitis vicibus cum illa ab Eminentia Vestra exposcimus, atque haec omnia suprascripta soli E. Vestrae, uti beneficentissimo Patrono nostro deferimus, nolentes amplius in his molestiam ex nobis EE.mis Cardinalibus de Propaganda Fide afferre. Et E. Vestrae Sacram Purpurae fimbriam pronissimi devotissime exosculamur.

Eminentiae Vestrae, Domini nostri Clementissimi  
humillimi Servi et apud Deum Exoratores

JOSEPHUS PIETKIEWICZ

Ord. D.B.M. Protoarchimandrita (mpr)

SYMEON CYPRIANOWICZ, Consultor O.D.B.M., Superior Zyrovic. (mp)  
 STEPHANUS MARTISZKIEWICZ BUSINSKI, Consultor O.D.B.M., Archim. Polocensis (mpr)

GEORGIUS MALEIEVSKI, Ord. D. Basilii M. Consultor, Abbas Czereien. (mpr)

SYMEON OHURCEWICZ

Ord. D. Basilii Magni, pro-Secretarius,  
 Superior Vilmensis, S. Th. D. (mpr)

Datt. Zyroviciis, die 7. Xbris, Anno 1686.

93.

*Mukačevo, 20.V.1688.*

*Petrus Kaminskyj: de Religiosis in Transcarpatia, de Methodio, Episcopo et quaedam reflexiones characteris ascetici et ecclesiastici.*

ASV, *Arch. Nunz. di Vienna*, vol. 79, fol. 54-57.

Illustrissime, ac Reverendissime Domine,  
 Domine Pater in Christo, et Patrone Colendissime.<sup>239</sup>

Etsi dicebar, ut in hoc primordio ingressus mei in Ungariam omnibus posthabitis, ad pedes Illustrissimae, ac Reverendissimae Dominationis Vestrae accurerem, tamen quia id ob magnas quasdam difficultates praestare non poteram, idcirco hisce litteris dum id in persona faciam, a longe fimbriam vestimenti Illustrissimi, ac Reverendissimi Dominationis Vestrae, quam devotissime exosculor. Ego vero, qui scribo, sum ille, qui postquam primus in Croatiam Unionem intulerim, et in maximis persecutionibus ibidem egregiam operam in Fide Catholica plantanda navarim, veni in Ungariam Munkacsinum, ubi pro posse meo Genti Ruthenae et, ut ita dicam, atheae, Fidem Catholicam instillare conatus sum, Monasteriumque Mukacsiense a Ioannicio, Voloszinovskio, Maurocordato Schismaticis defendi, ac a Schismate vindicavi, nec unquam meo tempore passus sum Schismaticum ullum vel una hora habitare. Ipse interea Parochiam Ungariensem administravi, verum quia propter maximam rebellionem imminens ulterius manere non potui, nam Populus quoque ob summam ante grassantem pestem Ungarini defecerat, voto tempore Pestis obstrictus, suscepi iter Hierosolymam, ac emensa Transylvania, Valachia, Silistria, Thracia, tandem perveni Constantinopolim; Inde coactus sum redire in Poloniam, quia Graeci mihi insidiantes volebant me Turcarum Imperatori prodere, ac pro Interprete decem linguarum recommendare. In Polonia mansi usque ad praesens tempus, ac audito, quod Munkacsinum in potestatem Caesaris venit, vicissim contuli me in Ungariam, si forte possem aliquid boni in hisce partibus circa Ruthenos ad Unionem convertendos praestare. Dum maneo in Munkacsiensi Monasterio ecce venit Methodius

<sup>239</sup> Ut videtur Secretario de Prop. Fide, Eduardo Cybo (1680-1695).

Episcopus Cassovia,<sup>240</sup> quem dum interrogassem, an Fidem Catholicam sit professus, nihil respondit. Imo, per suos, qui secum erant, publicare fecit, quod sit admissus ad Episcopatum nulla mentione Unionis facta, quare etiam hodie pro Patriarcha, non pro Summo Pontifice oratur, et in Symbolo legitur: Qui a Patre, omisso: Filio procedit. Habeo praeterea litteras illius Episcopi, qui hunc consecravit, in quibus non solum eum confirmat, verum hortatur, ut Demetrium Szathmariensem Archidiaconum ad se visitandum pelliceat. In Monasterio est summa penuria, quia minima quaeque ex Monasterio aufert, filiis, consanguineis Monasterium replevit, Monachos vero dispulit, ac modo nisi unum habet Monachum, qui etiam ob extremum defectum abitum meditatur. Quidquid hoc miserabile Monasterium habet intradae, totum in suum usum convertit, quia cum olim salem vehebat, ac venalem distrahebat, miseriae memor, cito ditescere contendit, nuper filiae vestes centum florenorum emit. Ita est avarus, ut etiam vestem, quam in dorso gestat, pro aliena, et quidem rapta pecunia emerit; nullum secum habitare permittit, et illi, qui nuper Cassoviae fuerunt, sunt aliunde convocati. Maxima damna in his locis intulit, nec est quisquam, qui non habeat maximas conquerendi, et lamentandi contra eum occasiones, quae suo tempore per Inquisitionem patebunt. Nec est necesse tantopere eiusmodi rebus immorari.

Certum est, quod dictus Methodius Episcopus esse non potest, cum ob defectum aliarum virtutum, quas S. Paulus, in Episcopo necessarias esse requirit, tum maxime ob inopiam doctrinae, quae est de essentia Episcopi. Cum enim Episcopus debeat esse Doctor, non ut doceat tantum, verum etiam ut contradicentes redarguat, quomodo docebit, aut redarguet, qui ipse nihil didicit aut novit. Si fides est ex auditu, uti est, auditum autem per verbum Dei, verbum autem per Praedicantem, quomodo praedicabit, qui praedicare non novit? Habeo ipsum Deum huius meae conclusionis testem, qui anteactis saeculis (f. 58v) sinens homines in suo errore versari, novissimis diebus, volens veram sui cognitionem in terram diffundere, non Angelum ullum, aut nescio quam creaturam, sed Filium suum Unigenitum misit, Sapientiam ipsam, Viam, Veritatem, et Vitam cuius quale munus fuerit, ipse dicit apud Evangelistam: Oportet me in aliis civitatibus praedicare, in hoc exii. Sed in hoc exiit, certissimum est munus principale fuisse Christi docere, adeoque de essentia Episcopi, qui munere fungitur Christi, est esse Doctorem, Doctoris autem docere. Quomodo autem docebit, qui ipse nihil didicit? Quanti id fecerit Christus, aperte declaratur in Evangelistis; Non enim sufficiebat eos toties ac tot annis erudivisse, sed dum transiret de hoc Mundo ad Patrem dixit Apostolis: Rogabo Patrem, ut alium Paracletum mittat Vobis, Spiritum Veritatis, qui docebit Vos omnem Veritatem. Ex quo loco liquide constat, Spiritum Sanctum non modo ut Apostolos, in tristitia de Christi morte praeconcepta, consolaretur, verum etiam ut doceret, quod, Doctore Spiritu Sancto,

---

<sup>240</sup> Methodius Rakoveckij, Episcopus Mukačoviensis (1687); ab anno 1690 hegumenus Mukačoviensis. Erat sub vigilantia Episcopi Josephi De Camillis; mors eius ignota.

primum Concilium definitum fuit, ita enim Acta testantur, quod: visum est Spiritui Sancto, et Nobis, scilicet Christi Discipulis, in quibus verbis Apostoli duorum Doctorum faciunt mentionem Christi, et Spiritus Sancti, alias nondum Christi Discipuli, et ad Mare Galileae retia jacentes, ac rudes definivisset. Si itaque, ut ita ruditer dicam (quamvis minus caute) Pater in Monte Sinai, Filius in Monte Tabor, Spiritus Sanctus in Coenaculo, ipsa scilicet Trinitas Doctor esse voluerit, impossibile est, ut Episcopus esse possit, qui Doctor esse nequit. Nisi forsitan quis dicat, quod Episcopus indoctus etiam per alium docere potest. Isto modo erit bonus Cytharedus, qui per alium canat, et bonus Medicus, qui per alium curet. Sed nec est possibile, ut sapientes viri cum stultis commercium habere velint, ut enim sapientia cum stultitia stare nequeunt, sed ut album pellit nigrum, et e contra, ita Sapientes cum Stultis conversationem refugiunt. Non est ergo possibile, ut indocti per doctos docere possint; scientia enim inflat, teste Apostolo, et rudis saepe vilipenditur ab inflato. Praeterea scriptum est, et qui stultus est serviet sapienti. Potius ergo erit, ut Episcopus doctus eligatur, quam ut indoctus Episcopus per doctum doceat. Et nisi doctus Episcopus Ruthenis praeponatur, in aeternum non fient uniti, patet hoc inductione; fuerunt, a centum annis Joannicius, Porphyrius, Parthenius, Basilius Voloszynouski, Maurocordatus,<sup>241</sup> hi omnes, quia indocti ac barbari fuerunt, ne muscam, ut ita dicam, unitam fecerunt. Contra, in Croatia statim bonum et doctum virum Episcopum creantur, (*fol. 56*) facile conversi sunt universi et usque huc in eadem fide permanent. Sed dici potest: Jam debet tolerari, quia fecit professionem, et est consecratus. Ad primum dico. Professio Graecorum nihil valet, absque doctrina, quia id non agnitae veritatis gratia faciunt, sed adipiscendi honoris causa. Sunt enim natura fraudulentissimi; timeo Danaos et dona ferentes, ut dum decipere volunt, iuramento fraudem tegunt. Est proverbium: Graeca mercaris fide. S. Apostolus dicit: Cretenses (nam et hi Graeci sunt) semper mendaces. Ita dictum est a quibusdam de eiectis proxime Voloszynouski et Maurocordato Schismaticis,<sup>242</sup> iam consecrati sunt, et professionem fidei fecerunt, interim tamen turpissime reiecti sunt. Habemus exempla sole clariora. Graeci maluerunt teterrimo servitutis Turcarum iugo subiici, quam Catholici fieri; ipsum Concilium Florentinum ab ipsis subscriptum explodunt, et in tantum errorem sunt prolapsi, ut etiamsi velint converti non possunt, quia ab agnita in Concilio Florentino veritate recesserunt, quod est peccatum contra Spiritum Sanctum, ideoque nec in hoc saeculo, neque in futuro remittatur eis; iam in profundum venerunt, ideo contemnunt cum enim Consolator et Spiritus Veritatis, id est Doctor, recessit, necesse est eos in externis tenebris oberrare et ut Haebrei ob Christum a se occisum, pereant. Deus meus, gens

<sup>241</sup> Episcopi Mukačovienses enuntiati sunt: Ioannicius Zejkan (1651-1687), Porphyrius?, Parthenius Petrovič (1651-1665), Josephus Vološynovskyj (1667-1675), Theophanes Maurocordato (1676-1686); cfr. A.B. PEKAR, *Narysy istoriji Tserkvy Zakarpattja*, vol. I: Forma hierarchica, Romae 1967, pag. 194-197.

<sup>242</sup> Josephus Vološynovskyj (1667-1675) et Theophanes Maurocordato (1676-1686).

omnium nobilissima olim doctissima, quae cunctos et... teste Platone vocabant: ipsi barbaris ipsis sunt longe barbarissimi.

Et ut redeam ad primum meum discursum, etiamsi iurent, non est eis credendum. Ante aliquot annos duo episcopi in Polonia, Premysliensis et Leopoltanus, ut adipiscerentur episcopatum, primum penes Donatiales fecerunt professionem, deinde a rege moderno multis pollicitationibus et privilegiis allecti professi sunt fidem publice in comitiis Varsaviae, in manibus moderni Nuntii Em.mi Cardinalis Opitii Pallavicini, qui etiam singulos in suis cathedris, Varsavia reduces, sollemniter visitavit. Patres S.J., maximo gaudio concepto, vix non semper alternatim bini eorum limina tenebant; maximum gaudium undique, ipse Lipnicki ab uno eorum tamquam a certissimo unito consecratus est. Ego etiam apud utrumque aliquo tempore commoratus sum, quid tandem factum? Sus reversa est ad lutum suum, sed qua astutia? Subornarunt tertium Episcopum, (56v) qui nondum fecerat professionem Fidei, id est Luceoriensem,<sup>243</sup> qui tenebris relicto ex conducto suo episcopatu fugit in Moscoviam, ibique Magno Duci exposuit, qualiter Episcopi in Polonia cogantur ad Unionem, seque ideo fugisse, ne fieret Unitus, adeoque supplicavit, ut eis succurratur. Successit malefactum, nam Moscus inter Pacta conventa contra Turcam hoc punctum posuit, ut duo praedicti episcopi ad schisma redirent, secus trecenta millia militum, quos contra Tartaros contraxit, contra Polonos una cum ipsis Tartaris, facta cum Turca pace missurus.<sup>244</sup> Debit rex volens nolens subscribere cum maximo fletu Nuntii Apostolici, et ipsius regis, diu fuit reluctatum, diu disputatum, sed legati Moscovitae non argumentis, sed tormentis decernere statuerant. Haec quae scribo, sunt ita vere facta, sicut quidquid verissimum; legantur Pacta inter Polonos et Moscovitas facta.

Non est itaque Graecis credendum. Quia probabo testibus, quod tale habeant consilium Graeci in Hungaria, modo iste Methodius aliquo modo Donatiales obtineat, et Demetrium Szathmariensem Archidiaconum frangat, subito missuri supplicantes in Moscoviam, ut ipse Dux expostulet cum Imperatore, ne fiant uniti, sed ita libere degant, sicuti in Polonia, vel Venetiis. Praetera dictus Methodius non est consecratus, taceo enim, quod sit consecratus a schismatico advena, non ab ullo suam cathedram habente, adhuc a tali, qui ab ipsis Patriarchis Graecis est excommunicatus ob haereses quasdam novas. Sed quia est consecratus ab unico, cum vero aequalis in aequalem non habeat auctoritatem, sequitur eum nec benedicere, nec maledicere (dico in quantum est aequalis) posse. Probatum id auctoritate Apostoli, qui ait, absque omni disceptatione minor a maiore benedicitur, cum vero Episcopus unus est eiusdem auctoritatis, quam consecrandus, non sequitur posse eum consecrare, alias et sacerdos sacerdotem, diaconus diaconum consecraret, nihil enim obs-

---

<sup>243</sup> Forsan agitur de Gedeone Svjatopolk Cetvertynskyj, Episcopo Luceoriensi, qui anno 1685 aufugit Kioviam in dominum Moscoviae, ubi devenit Metropolita Kioviensis non-unitus (1685-1690).

<sup>244</sup> Forsan agitur de conditionibus s.d. « pacis aeternae » Grzymultovianae an. 1686 inter Poloniam et Moscoviam, ubi similis clausula erat.

taret, gratis enim Apostolus diceret; Minor a maiore benedicatur et Christus gratis dixisset: Pater maior me est, licet id quoque aliter interpretari potest. Sed et eam primus Apostolorum nihil valeret, qui dixit: Episcopus a duobus vel tribus Episcopis ordinetur. Quod quia factum non est ratione, Scriptura et Canonibus probatur, Methodium non esse consecratum. Nec inferior posse ab uno consecrari, sed is qui consecrat, debet esse Legatus Delegatus cum expressa licentia Summi Pontificis, debet esse Catholicus idque (*fol. 57*) cum assistentia alicuius Praelati Catholici, quorum omnium hic fuit defectus.

Accedit praeterea, quod qui apud eos consecrantur, uti recenter fuit decretum in consecratione Premisliensis Episcopi in Polonia, quem modernus Eminentissimus Poloniae Nuntius sub conditione in lecta Missa consecrari decrevit. Quare cum Ill.ma D.tio Vestra videat, quod dictus Methodius defectu doctrinae, ordinationis Episcopus esse nequit, minus considerari debet, et fraudis loco habenda, idcirco misereatur tot centenorum millium hominum in sua Dioecesi in gravissima schismatis caligine pereuntium, nobis provideat de bono viro, ac docto Episcopo, qui eos in viam pacis dirigere possit. Utique habetur Hieronymus Lipnicki,<sup>245</sup> cui praeter Ordinem nihil meo iudicio deesse videtur, mittatur in Poloniam ad bonos Unitos, vel ab ipso Archiepiscopo consecratur etiam latino, si id aliter fieri nequit. Secus testor Saguine Christi Jesu, per nebulones indoctos ac barbaros, uti antea tot saeculis nihil factum, ita in posterum nihil fiat, tantum perpetui tumultus et schismata.

Quod si vero aliter fieri non potest et dictus Methodius pro Episcopo assumetur, habitet Agriae penes ecclesiam Rascianorum et sit vel Coepiscopus, vel Vicarius, quia in omnibus Regni Legibus et Constitutionibus nullibi legetur fuisse aliquando Episcopum Munkaczini, sed haec res est perperam introducta: hic enim non Episcopi, sed Superiores Monachorum fuerunt, tandem cum coepissent Rutheni multiplicari, isti, qui etiam Superiores fuerunt, facti sunt Episcopi, ac sic tandem effectum est, ut perperam Episcopatus Munkaciensis audiat, qui nullus est in rerum natura, nullus enim illum fundavit in pago, vel in sylva. Coeterum haec universa Ill.mae et Rev.mae D.nationi Vestrae iudicio trutinanda perscribens, meipsum quam obsequentissime et devotissime commendo eiusque sacras manus, ad ima provolutus, exosculor, ac maneo.

In Monasterio Munkacz, 20 Maii 1688.

Ill.mae ac Rev.mae D. Vestrae D. Patris in Christo  
et Patroni mei Colendissimi humillimus Servus

PETRUS KAMIENSKI

O.S.B.M. Monachus, Sacerdos unitus

---

<sup>245</sup> Hieronymus Lipnicki, Vicarius generalis Joannis Malachovskyj, Episcopi Peremyliensis, qui erat etiam Administrator eparchiae Mukačoviensis, postquam Josephus Vološynovskyj ex eparchia expulsus fuit (1667-1675); alius Vicarius generalis erat P. Porphyrius Kulčyckyj, qui ambo contendebant de eparchia, sed sine effectu, etsi Porphyrium Kulčyckyj etiam Rex Poloniae commendabat post eliberationem civitatis Vindobonensis, propter merita cuiusdam consanguinei Porphyrii.

## 94.

(Romae), ... 1688.

*Quaedam considerationes Josephi de Camillis, OSBM, de quinterno Constitutionum, per singula puncta considerato, de quo patet effectus dubius quinterni, quod suspendi petitur.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, a. 1700/19, vol. 3, fol. 179-180.

Considerazioni fatte sopra il Quinterno intitolato:

Constitutiones Monachorum S. Basilii Magni Ruthenorum, etc.

Il Capitolo Generale celebrato dai Ruteni in Novogrodeco l'Agosto del 1686 e trasmesso à questa S. Congregazione dall'Eminentissimo Signor Nuntio, si contiene in tre Quinterni distinti; due de quali sono legalizzati con le sottoscrizioni, e sigilli del R.mo P. Subdelegato, di Monsignor Metropolita e della Religione. Ma il terzo intitolato: *Constitutiones Monachorum*, non è sottoscritto, ne sigillato; il che era necessario che si facesse, mentre nel decreto di questa S. Congreg. delli 11.7bre 1685 così si ordina: — Idem Nuncius in dicto novo Capitulo curet, ut recognoscantur, et *subscribantur Constitutiones*, quae factae supponuntur in diversis Capitulis generalibus, et earundem Copiam cum *subscriptione* transmittat Romam pro confirmatione. Ne pare che le sottoscrizioni degl'altri due Quinterni possano servire anche per questo, mentre è Quinterno separato. E se ben vi sia il richiamo, non è però secondo lo stile comunemente usato nelle scritture zelose, et importanti, come sono queste, di lasciar nel fine tanto spatio di carta bianca, dove vi si potrebbero aggiungere più cose. E questa avvertenza par che avesse l'istesso Capitolo, mentre per li due altri Quinterni non si contentò d'una sottoscrizione, ma ad ogn'uno pose la sua immediatamente dopo, senza un minimo spatio.

Oltrechè vi nascono delle difficoltà considerabili nel contento. E primo, perchè queste Costituzioni non sono riportate col dovuto ordine, mentre non si specifica il tempo, nè i Capitoli da i quali sono state estratte; ma in confuso si pongono senza sapere da chi, e quando siano state fatte. Et le Costituzioni 6, e 15, sono apertamente nuove, il che repugna al titolo.

(f. 179v). 2°. Perchè nelle Costituzioni 2a, e 3a, si stabilisce, che non possa esser eletto per Protoarchimandrita alcun Vescovo, ne men titolare, ma semplice Religioso; il che non è probabile che sia stato passato da i Vescovi con tanto silenzio, mentre li mesi passati scrissero concordemente una lettera à questa Sac. Congregazione e fu consegnata all'Ill.mo Monsignor Segretario, nella quale espongono le loro ragioni per non esser resi inabili à questa eletione; e sono ragioni di molta efficacia, e da attendersi non poco.

3°. Nella Costituzione 9 di stabilisce che il Protoarchimandrita intimi il Capitolo futuro, *conscio* Metropolita. Et nella connessione fatta tra il Metropolita e la Religione n. 5, si scrive *consulto* Metropolitanano. Or tra il verbo *conscio*, et *consulto* vi è gran differenza.

4°. Nella Costituzione 11 si stabilisce, che il Protoarchimandrita insieme con i Consultori presentino al Metropolita le Persone che dovranno promoverli a i Vescovati, et Archimandrie. E nella connessione n. 11 si conviene, che il Metropolita solamente conferat cum Protoarchimandrita et Consultoribus super qualitatibus promovendorum; di modo che par che l'elezione delle Persone sit penes Metropolitanam tantum.

5°. Nella Costituzione 25 si ordina, che tutti universalmente osservino tutti li Statuti, Legi, e Regole fatte nelle due passate Congregationi e non si specifica quali sono queste Congregationi, e quali questi Statuti e Regole, che si devono osservare; il che era necessario specificarsi per non caminar alla cieca, e dar campo à molti Superiori indiscreti di tribolar i sudditi con pretese inosservanze.

(f. 180) 6°. Nella Costituzione 32 s'impone pena di scomunica ipso facto incurrenda contro chi pigliasse qualche libro d'alcun Monastero, senza saputa del Protoarchimandrita. E nelli Punti de i Legati del Capitolo n. 18 s'impone pena solo di privatione dall'Officio contro gl'Officiali, e di sospensione à divinis contro gl'altri.

Per queste, et altre riflessioni che si potrebbero fare pare necessario che il sopradetto Quinterno resti in sospeso fin tanto che ne habbia da Monsignor Metropolita e dal P. Generale piena informatione. E perchè il contenuto negl'altri due Quinterni sottoscritti non v'è ripugnanza, stante il concordato fra loro, si potrebbero questi due soli confermare, quando così paresse bene alla Sac. Congregatione per stabilire certa Regola, con la quale dovranno i Ruteni contenersi ne i tempi avvenire.

## 95.

Romae, 16.XI.1689.

*Inventarium mobilium et librorum ad ecclesiam et Hospitium SS. Sergii et Bacchi pertinentium, a monachis Basilianis Iwanowicz et Kossakowski compilatum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 291-292v.

Robbe e Mobili lasciati dal Padre Giosafat Michniewicz  
al Ill.mo Monsignor De Camillis,<sup>246</sup>

---

<sup>246</sup> Procurator generalis in Urbe, Josephus De Camillis (1675-1689); cfr. notam 187.



appartenenti alla Chiesa e alla Casa di SS. Sergio, e Bacco (f. 291)

Due calici d'argento con due patene e due stolle e un cuchiarino per comunicare tutti, d'argento, et una pisside.

Pianete sette alla Greca. E quattro alla Latina con li loro manipoli e stole e un'altra stola.

Camisci tre di tela bianca, due boni e un vecchio con gl'amiti.

Tovaglie grandi cinque, ricamate con seta per gl'altari, et tre tuvaglie piccole, medesimamente ricamate con seta, per porsi sugl'Altari, e due altre piccole schiette.

Corporali sette, sopracalici duodeci, di diversi colori; fazoletti e purificatori in quantità.

Paliotti per gl'Altari sei, due di corame e quatuor di mezo seta.

Due carte di Gloria, vecchie. Cucini tre, per il Messale.

Un Messale latino. Un tapeto.

Tre croci per gl'altari, uno di ottone e due di legno, et un piccolino.

Quattro candelieri di ottone, due grandicelli e due piccolini.

Due reliquiarii grandi, di legno indorato e due altri piccoli, neri.

Dodici rami grandi di fiori di seta. E sei vasi di legno, inargentati.

Due altri vasi piccoli, con due rami grandi di fiori di tela.

Una dozzina in circa d'altri rami di fiori di talco grandi e piccoli e quatro candelieretti piccolini, d'ottone, un dito lunghi.

Dieci candelieri grandi di legno, vecchi.

Una lampada d'ottone e due campanelli.

Quatro banchi grandi, per sedere nella chiesa.

Un Evangelio grande, coperto di veluto rosso; Messale, et altri libri ecclesiastici Schiavoni.

Tre quadri attaccati in chiesa, cioè S. Nicolò, l'Annuntiata e la Madonna di Monseratto; quattro altri quadri vecchi, cioè S. Basilio, S. Giovanni Christostomo, la Madona con Gesù e S. Gio. e S. Antonio di Padova.

In Sagristia il quadro di S. Girolamo con due SS.ti Greci.

Quindici altri quadri antichi, di ritratti grandi e piccoli.

Quatro sedie vecchie di vagetta, due scabelli di noce, vecchi.

Un tavolino sconesso di noce piccolo, tre palmi incirca.

Una cassa grande, vecchia.

Un cartello, un barille e un mezzo barille.

Due scansie grandi, dentro la chiesa.

La libreria con diversi libri latini, greci, schiavoni, polachi.

Tutti gl sudetti rincontrati e trovati in esse questo dì 16. 9bre 1689.

IO MARIANO IWANOWICZ,<sup>247</sup> mano propria

IO ADRIANO KOSAKOWSKI,<sup>248</sup> O.S.B.M. (mp)

---

<sup>247</sup> Marianus Ivanovič, OSBM, Alumnus romanus Coll. Graeci, ingressus die 25.XI.1683, an. 19, doctor theologiae et philosophiae, egressus e Collegio et venit in Hospitium SS. Sergii et Bacchi die 8.V.1690, ubi per aliquod tempus remansit in Urbe ut Procurator, post discessum Josephi De Camillis (1689).

\* \* \*

Mobili lasciati dal Ill.mo Monsignor de Camillis  
e suppelettili di Chiesa e di Casa,  
fatti fare dal medesimo Mons. de Camillis (*f. 291v*).

- Paliotti d'altari 10, cioè 4 di adamasco, e 6 depinti.  
Vasi inargentati n. 12; vasi più piccoli, mezo indorati n. 6.  
Rami di fiori di seta n. 12., e diversi altri fiori di seta spartiti.  
Rami di fiori diversi, fra talco, tella e carta n. 62.  
Vasi di terra stampati n. 16.  
Statue di gesso bianche per l'altare n. 4.  
Candelieri di legno, inargentati n. 12, e due croci inargentate.  
Carte di Gloria inargentate per due altari 6 pezzi.  
Cuscini di damasco, da una banda rosso dal altro bianco n. 3, e un altro  
cuscino stampato verde n. 1.  
Camisia per la Messa n. 1.  
Tovaglia grande per l'altare 1, e tovaglie più piccole per l'altare n. 4.  
Tappeto per la predella n. 1.  
Una lampada d'ottone grande per la chiesa, e che sta in chiesa.  
Un inginchiatore per la chiesa.  
Una pradella per l'altare di SS. Sergio e Baccho.  
Un campanello d'ottone.  
Un bancone nuovo per la Sacristia con gli suoi palliotti di corame fiorato,  
e diversi sciugatori.  
La cornice mezzo indorata e mezzo imbrunita nel quadro di San Nicolò.  
Un arme nova del Re di Polonia, e un quadro di fiorami nella Sacristia,  
sotto la fenestra.  
Sopracalici di diversi colori, per la Messa Greca.  
Sedie di vachetta vecchia n. 18, delle quali 9 sono nelle stanze tre sopra la  
specieria et altri 9 a basso per...  
Sedie di vachetta più nove n. 5.  
Scabelli di legno di noce n. 8, e 3 d'essi stanno nelle tre stanze sopra la  
specieria. Scabelli di pelle n. 4.  
Inginchiatoi 4, tre sopra le tre stanze e l'uno sopra coretto della chiesa, e

---

<sup>248</sup> Adrianus Kossakowskyj, OSBM, Alumnus romanus Coll. Graeci, ingressus in Collegium 25.XI.1683, annorum 19, filius Georgii et Annae Buchanovna; postquam ordinatus fuit sacerdos (1688), et factus doctor in philosophia et theologia, egressus e Collegio 18.XI.1689, et post brevem commorationem in Hospitio SS. Sergii et Bacchi, tandem discessit in Hungariam cum Episcopo Mukačoviensi Josepho De Camillis, tit. Sebasteni.

l'inginocchiatoio sopra la stanza della Sacrestia. In ogni di quelle tre stanze vi sono banchi, tavole per il letto e materazzo e coperta, e un tavolino per l'una, e in una stanza quadri n. 3, due della Madona e l'uno del Beato Josafat.

Nella stanza sopra la Sacristia un tavolino di noce, due sedie di paglia.

Un credenzone grande.

Un altro tavolino di noce con piede intagliato.

Un bufetto nero, tavolino di noce, tutto con due tiratorij.

Scantia di libri con una altra di sotto serrata con sportelli o fatta a sportelli, e in essa libri diversi.

Uno studiolo di legno albuccio.

Quadri diversi di Santi n. 18, 4 di tela Imperiale con le loro cornici, in uno Christo con la Samaritana, nel altro Michele Arcangelo, nell'altro S. Giovanni Battista, nel altro S. Antonio Abbate, un altro quadro, più piccolo, con cornice, in esso S. Francesco d'Assisi, un altro simile di grandezza, la convesione di S. Paulo, senza cornice, un altro, bislongo con diversi Santi Greci in gloria. Un altro con la cornice il viaggio di Giacob, un altro con la cornice, certi gieroglifici, un altro una Madona Greca. Un Ecce homo con la cornice. Christo, la Madonna e S. Giuseppe in uno di simile grandezza con cornice fiorata d'oro, due quadri a busto di Christo uno e l'altro della Madonna, con le loro cornici, l'altro di S. Giovanni Battista e un altro di Salvatore, con le loro cornici (f. 292).

Ritratti diversi n. 6, l'uno del Innocentio XI, e due cardinali tutti tre con le cornici intagliate e due di Vescovi, l'uno del Monsignor Metropolitan Zochowski e l'altro del Monsignor de Camillis.

Tavolini d'albuccio n. 3, l'uno tinto di nero e sta nella saletta e due altri nella cucina.

Sediole di legno n. 4. Banchi da sedere con l'apoggio n. 2.

Un credenzino nella cucina.

Un caratello di due barilli e un mezzo barille. Due vettine da oglio grandi e l'una piccola. Un catino grande d'abucata.

Una canavetta con 12 boccie di vetro.

Un tripiede da lava mano. E una scalla. Un tavoliere. O gioco di dama.

Secchio con la sua catena e corda per il pozzo.

Delli sudetti mobili, eccetuando però quello che è stato fatto per servizio della chiesa, il sudetto Ill.mo Monsignor De Camillis, se bene gli lasciò tutti in questa casa, desidera però che se in evento tornasse egli a Roma possa averne l'uso di qualche parte d'essi o per se, o per alcuno de suoi Nepoti ad tempus.

MARIANO IWANOWICZ, O.S.B.M. (mp)

ADRIANO KOSAKOWSKI, O.S.B.M. (mp)

\* \* \*

Spese fatte dal medesimo Monsignor de Camillis<sup>249</sup>  
per serviggio stabile della sudetta Chiesa et Casa di Santi Sergio et Bacco.

Per il quadro di SS. Sergio e Bacco, posto ne loro altare, per aggiustamento del altro del B. Giosafat scudi 14.

Per la porta, fatta fare nel fin della chiesa, per evitare qualche irreverenza che si commetteva col passare del Sancta Sanctorum scudi 4.

Per pitture diverse, fatte dipingere in una stanza e in diversi muri scudi 16.

Per la fabrica d'una stanciona nova, fatta vicino alla porta della casa scudi 80.

Per la porta nova, slargata e ingrandita, e per un betto fatto fare di novo nel cortile, tra Muratore, Falegname e Ferraro scudi 60.

Per istaurare e mattonare una stanza piano terra, vicino alla cucina con finestra di vetro e tavuole scudi 14.

Per rifare il cortiletto, che confina con la Casa del Signor Stefanoni et era già fragico e senza esito per l'aqua scudi 12.

Per diversi armari fatti in più stanze scudi 10.

Per sei porte nove e per aggiustamento d'altre vecchie con serrature etc. scudi 20.

Per aggiustamento del cortile, risarcimento della pergola in due volte scudi 8.

Per aggiustamento della ciavica di tetto, cortile, per muri e selciato fatta nel medesimo scudi 14.

Per due condotti necessarij, fatti fare l'uno nella Casa di qua della Chiesa e l'altro nella Casa di la, scudi 16.

Per un camino con sciaquatore e un lucernaro fatti di nuovo nella soffita della Casa verso la strada de Serpenti scudi 4.

Per spese fatte nel ristorare la bottega, per ridurla nello stato presente, ad uso della specieria scudi 60.

Per un pezzo fatto fare di novo in detta specieria con un sciaquatore grande che inboca al chiavicone scudi 40.

Per vetri fatti in quasi tutte le fenestre, d'ambedue le case scudi 20.

Per fabrica d'una stalleta, per apertura d'una porta, che entra nel Magazzino, per un condotto vicino alla cucina scudi 30.

Inoltre pagò una tassa alli Mastri di strada per getiti fatti vicino a 25 scudi.

Io MARIANO IWANOWICZ, Monaco del Ord. di S.B.M. (mp)  
ADRIANO KOSAKOWSKI, O.S.B.M. (mp)

---

<sup>249</sup> Ut Procurator in Urbe (1675-1689); cfr. notam 187.

## 96.

Bytenj, 5.IV.1690.

*Protoarchimandrita Basilianorum mittit novum Procuratorem in Urbe, Polycarpum Filipowicz.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 300.

Ill.me ac R.me Domine, Domine Patrone Col.me.

Notus olim Romae, sex sine dimidio annis administrans Residentiam nostram Ruthenam ad SS. MM. Sergii et Bacchi ecclesiam, habeo praxim quod tota salus et auxilium Religionis nostrae in Protectione Sacrae Congregationis de Propaganda Fide consistat, hoc autem maxime sit promovente Ill.mo Secretario. Quapropter ad praedictum locum nostrum in Urbe, ex consilio Patrum Generalium Consultorum Ordinis Nostri mandans ad munus Generalis Procuratoris Religionis et Russiae Rev.dum Patrem Polycarpum Philipowicz,<sup>250</sup> cum Socio sacerdote, de integritate vitae et doctrinae sat commendatum, speciali gratiae ed Patrocinio Ill.mae D. Vestrae commendo, quo munitus et apud EE. Cardinales Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, per Ill.mam D. Vestram, assequatur favores et res Religionis auspiciato peragat.

Collatae ab Ill.ma D. Vestra in locum nostrum istic et praedictum Patrem Procuratorem gratiae et beneficia totam Religionem, immo Russiam ad debitam erga Ill.mam Dominationem Vestram obligabunt gratitudinem. Cuius nunc devotissime Sacram Dexteram deosculor.

Bythenii, die 5 Aprilis, Anno 1690.

Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae  
humillimus Servus et Exorator

JOSEPHUS PIETKIEWICZ<sup>251</sup>

O. D. Basilii M. Protoarchimandrita, S. Bithen.

## 97.

(Ex Russia), 1692.

*Remedia ad meliorem formationem Ordinis Basilianorum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 387.

<sup>250</sup> P. Polycarpus Filipovyč, Procurator Generalis in Urbe (1690-1700), Alumnus romanus Coll. Graecorum, ingres. die 5.XI.1684, annorum 24, doctor in theologia et philosophia, egressus e Collegio 17.VI.1685.

<sup>251</sup> Josephus Pietkiewicz, OSBM, Procurator in Urbe (1666-1669) dein Secretarius Ordinis (1679-1686), et demum Protoarchimandrita ut simplex monachus, post famosam litem an. 1683-1686. Electus in Protoarchimandritam 1686 in Capitulo Novogrodecensi, et munus suum exercebat usque ad Capitulum Minscense an. 1690, in quo fuit electus Consultor Generalis et Superior Byteniensis, ab an. 1698 Zyrovicensis, iterum Byteniensis ab an. 1703 et Protoconsultor Ordinis. Obiit 3.IV.1708. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, Romae 1958, pag. 270-271.

*Remedia istorum malorum.*

Rd.mus Metropolitana suaviter inducendus, ut relinquat Ordinem regendum Proto-Archimandritae. Quodsi noluerit, informanda erit Sedes Apostolica, ne deferat dignitatem Metropolitanam nisi illi, qui se hoc iure spoliare voluerit, sancteque promiserit; alioquin Ordo manebit sine ordine, operariis et fructu.

Proto-Archimandrita, cum suis PP. Consultoribus videat, in quo a Regula S. Patris Basilii sit aberratum, idque corrigere studeat, praesertim, ut Scholas habeant in suo Ordine, domique discant. Quod vero corrigere non potest, referat ad Nuntium Apostolicum, qui Sedem Sanctam informabit. Vestitus non sit de serico etiam Archimandritis advitalitiis, nam et isti sunt sub voto paupertatis.

Archimandritae advitalitii si tolli non possunt, circumscribantur, et permittant, gratumque habeant, si sui Monachi a Proto-Archimandrita visitentur, corrigantur, mutentur.

Ne ambient dignitates, voto adstringantur.

In Novitiatu diligenter informentur, ut vivere discant iuxta Regulam, et non iuxta exempla pravorum. Ideoque Novitiis explicari debet Institutum Basilianum diligenter, etc. Quod plurimi, etiam senes ignorant, etc.

Alios defectus Religiositatis ipsi Basiliani, Deum et vitam religiosam sincere amantes, indicabunt, et rimedia procurabunt.<sup>252</sup>

## 98.

*(Ex Russia), 1692.**Mala ob quae Ordo Basilianus deficit a perfectione.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 387v.

*Religio Basiliana.*

1. Quia in illa potestas Superiorum in subditos videtur esse nulla, eo quod Rd.mus Metropolitana regat iuxta suum libitum Religionem, et promovet minus dignos, aut simpliciter indignos ad Archimandrias, non vero Ordo, aut Proto-Archimandrita, qui larva esse videtur.

2. Quia Rd.mus Metropolitana plures Archimandrias tenet cum suis proven-  
tibus, ad solum suum commodum, suaeque aulae splendorem.

3. Quia Regulae non servantur a S. Basilio praescriptae in promovendis ad Superioratum, et Archimandrias, ad quas iuvenes promoventur recentissime ex seminariis educti, in Religione non bene probati, formatique, ideoque facile delabentes ad secularismum in vestitu, victu, famulitio, conversatione, totamque Religiositatem abiicientes bonisque Christi ad luxum abutentes. Inde inutiles sunt sumptus per varia Seminaria Summorum Pontificum impensi in

<sup>252</sup> Auctor huius adnotationis proxime stabat Ordini, imo forsitan quoddam Membrum Ordinis erat, ex. gr. Procurator in Urbe.

illorum eruditionem educationemque. Quia eruditi educatique nihil laborant, neque volunt laborare circa salutem proximorum. Sed dignitates et Praelaturas artibus nequam quaerunt. *Similiter non servantur circa paupertatem.* Quia aliqui Superiores Basiliani dicuntur tantam habere pecuniam, quanta sufficeret ad novorum foundationem Monasteriorum.

4. Quia multi sunt Archimandritae, et valde pauci, qui possint Novitios iuxta Regulam spiritumque S. Basilii formare.<sup>253</sup>

## 99.

*Ex Russia, 1691-1710.*

Ab hoc anno adnecti possunt *Litterae Episcoporum historiam Ucrainae illustrantes*, vol. IV: 1691-1710, pag. 1-320, ubi plurima prostant documenta insignia Episcoporum Basilianorum, secundum diversas Sedes episcopales, praesertim vero Episcoporum Peremyliensium, Pinscensium, Chelmensium et quaedam Mukačoviensium et Leopoliensium. Dantur etiam quaedam epistolae Metropolitanarum Kioviensium, in editionibus separatis non notatae.<sup>254</sup>

## 100.

*(Ex Russia), 1692.*

*Expetuntur Litterae monitoriales pro Episcopo Pinscensi ratione Archimandriae Vilnensis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1690, vol. 508, fol. 599.

Rogo, ut R. Vestra expediat severas Monitoriales a Sac. Congregatione contra Dominum Episcopum Pinscen. Martianum Bialozor,<sup>255</sup> ratione Archimandriae Vilnensis, quam toties in manus Religionis resignavit, ac consensus a Sac. Congregatione ad Ill.mum Nuntium, ut mihi committat iudicare, et exequi, veniendo in locum loci cum Rev.mo Patre Generali, ac Consultoribus; quamvis enim de facto habeam penes me Ius primae instantiae, nihilominus expedit ut sim suffultus autoritate etiam speciali Sacrae Congregationis.<sup>256</sup>

<sup>253</sup> Forsan haec nota provenit a Procuratore in Urbe, Polycarpo Filipovyč (1690-1700).

<sup>254</sup> Etiam quartum volumen « Litterarum Episcoporum » adiungi potest « Litteris Basilianorum », secundum indicem Sedium episcopalium, quae omnes erant in manu monachorum Basilianorum. Cfr. WELYKYJ A.G., OSBM, *Litterae Episcoporum historiam Ucrainae illustrantes*, vol. IV; 1691-1710.

<sup>255</sup> Bilozor Martianus, Episcopus Pinscensis (1666-1696) et simul Archimandrita titularis Vilnensis ab an. 1670 usque ad mortem an. 1707, et postea hic titulus disparuit.

<sup>256</sup> Nescimus quisnam fuit hic iudex et de quanam causa agebatur, sed, ut videtur, agebatur de quodam actu stricte monastico.

## 101.

Grodno, 12.I.1693.

*Cardinali Praefecto de Prop. Fide de non immiscendo se in causam Archimandriae Suprasliensis declarat Protoarchimandrita Ohurcewicz.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 408rv-409.

Eminentissime et Reverendissime Princeps ac Domine,  
Domine, Patrone et Protector Russiae Colendissime.

In Causa Suprasliensi, cum summo dolore cordis inaudivi, Patrem Procuratorem Ordinis nostri in Urbe agere contra Ill.mum Metropolitanum, cuius potius tenere partes debuisset, tot ab Ill.mo cumulatus gratiis, quem ausum per separatas literas coërcere duxi.

Monasterium enim Suprasliense exemptum est a Iurisdictione mea, subiectumque immediate Ill.mo Metropolitanano, uti in separato folio testimonium meum cum aliis Ill.mis Episcopis clarius refert. (f. 408v) Nec enim video cui magis expediat tenere hanc Abbatiam quam Ill.mo Metropolitanano, qui et tot impensis pro Sancta Unione exhaustus, totum se exinanivit, et qui solus hoc tempore bello onusto, eandem Abbatiam in integro servare, ac augere cum summa Gloria Dei illiusque loci emolumento potest. Quapropter signata gratia SS.mi Domini Nostri, cooperante promotione Eminentiae Vestrae, Inclyti ac Unici Protectoris nostri (f. 409) non deberet impediri, quam Monachi illi, Regulae ac suae vocationi parere nolentes, impedire conantur. Interim Sacram Eminentiae Vestrae, Domini mei clementissimi, purpuram devotissimo colo osculo.

Eminentissimae ac R.mae Dominationis Vestrae  
humillimus, devotissimus et obligatissimus Servus

SYMEON OHURCEWICZ<sup>257</sup>

Ordinis D.B.M. Protoarchimandrita (mp)

Grodnae, in Comitibus Generalibus, die 12 Januarii, 1693.

## 102.

Grodno, 12.I.1693.

*Littera monitoria Protoarchimandritae ad P. Procuratorem in Urbe de non immiscendo se causae Suprasliensi cum Metropolita.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 411-412v; 402 (idem).

Copiae litterarum Reverendissimi Patris Provincialis Ordinis D. Basilii M. in Regno Poloniae, scriptarum volanti sigillo ad Reverendum Patrem Residentem Romanum, Monachum eiusdem Ordinis.

---

<sup>257</sup> Ohurcevič Symeon, OSBM, Protoarchimandrita (1690-1698), Alumnus romanus Collegii Graeci, quod ingressus est die 21.XI.1677, an. 23 (natus 20.VIII.1654), sacerdos; absoluta theologia egressus est e Collegio die 14.VIII.1682, obtenta laurea in philosophia



Ven. et Adm. R.de in Christo Pater, Pater et Frater Colendissime.

Perstrinxit adeo cor meum et Religionis totius quod R.V. ingerat se negotiis non pertinentibus ad Religionem, imo novas excitare lites in Religione videatur cum Ill.mo Metropolitanano, ob promovendam causam Monasterii Suprasliensis, quae nullatenus pertinet ad Religionem, cum sit exemptum a Provincia nostra hoc Monasterium, uti optime notum est R.V. In hac enim Causa partes potius Metropolitanani agere praestaret V.P. Vestrae, a quo tot receptas R. V.scio gratias. Nunc vero serio iniungo Ven. P. Vestrae, quatenus Paternum cor Illr.ssimi D. Metropolitanani ob causam impertinentem ad Religionem non laedatur; subsequutura enim damna in V.P. Vestram refunderentur. Interim maneo.

Ven. et Admodum Rn.dae Paternitatis Vestrae  
 Servus et Frater  
 SYMEON OHURCEVICZ

Ordinis D.B.M. Protoarchimandrita (mp)

Grodnae, 12 Januarii 1693.

(f. 412v) Ven. et Adm. R.ndo in Christo Patri, Patri Policarpo Filipowicz, Ordinis D.B.M. Procuratori in Urbe ad SS. Sergium et Bacchum, Patri et Fratri Obs.smo. - Romae, ad SS. Sergium et Bacchum.

### 103.

Roma, 16.I.1693.

*De approbatione Constitutionum et de quibusdam punctis earum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 424rv.

Copia literarum R.P. Residentis Romani  
 ad RR.PP. Consultores Religionis Ordinis D. Basillii.

Satisfaciendo officio meo et votis tam Venerabilium Paternitatum Vestrarum, quam totius Religionis, feci curam ut leges ipsius possint autoritate Sedis Apostolicae firmari; porrexi igitur supplicem libellum ad Sanctissimum in hoc, qui remisit istud negotium ad S. Congregationem de Prop. Sacra vero Congregatio destinavit e gremio sui Congregationem Particularem aliquot Cardinalium, ut hi inspiciant iura nostra et iudicent, quid fieri possit, quid non. Quando igitur venit ad tractandum, nostram partem fortissime D. Cardin. Pallavicinus tuebatur,<sup>258</sup> ut instabat pro confirmatione, sed D. Card. Nerlius nimis opponebatur, et post longas altercationes in fine conclusum est, scribere nomine DD. Episcoporum, ut talem pro sua parte mittant Procuratorem, qui ab illis invigilet ad causam hanc, et ad Religionem in quantum videretur

---

et theologia eodem anno sui discessus, « cum optima fama ingenii ». Vita functus est anno 1698.

<sup>258</sup> Opatius Pallavicini, Nuntius Varsaviensis (1680-1687); cardinalis nominatus 2.IX.1686; obiit die 11.II.1700.

illi, ut mittat aliquem peritiorum rerum suarum. In hoc itaque haesit hoc negotium; difficultas mota fuit circa haec maxime puncta, primario a D. Card. Nerlio, qui petat, quare Metropolitanus aut alter aliquis Episcopus non possit esse Protoarchimandrita. D. Card. Barberinus reprobabat, uti praeiudiciosum iuribus Serenissimi Regis, quod Episcopatus non debeant conferri aliis, nisi personis Congregationis nostrae, et quod pro iisdem non debeant praesentari. Sed D. Card. Pallavicinus nimis hoc vituperabat, quod concessimus D. Metropolitanano exdivisionem certorum Monasteriorum et potestatem praeficiendi in ipsis Superiores. Aliis displicuit inordinata distributio ipsarum legum, et constitutionum, quod in tot partes divisae sint, et iussit mihi D. Card. Pallavicinus, ut procurem in meliorem ordinem redigere, et ut hoc quod in nexu statutum est, inter Constitutiones referam. Illa vero puncta super quibus dispensatione egemus penitus reicere, et hoc solum exprimere, quod volumus observare. Modo igitur incumbit consulere VV.PP. Vestris: Primo, si debet ulterius proseguere hoc negotium, vel suspendere illud (*f. 424v*). Nam mihi videtur, quod consultius fuisset supersedere a toto modo, et differre ad feliciora tempora Religionis, quando Deus aut Metropolitanum istum mutabit, aut etiam D. Card. Protectorem recipiet, qui magnus est impugnator Religionis, propugnator vero Metropolitanus; nam periculum est ne velint confirmare illud punctum, nimis noxium Religioni, in quo facit sibi Metropolitanus exemptionem monasteriorum certorum. Postea, si videbitur insistere ulterius huic negotio, opus est, ut VV.PP. Vestrae ex nunc consulant supra haec puncta: Primo, cur Metropolitanus non possit esse Prothoarchimandrita, etsi Brevia illa, quae in hac materia emanarunt in favorem Religionis pro electione simplicis Monachi, cavent universaliter, ut Metropolitanus non sit Prothoarchimandrita, sed simplex Monachus, vel etiam praescribuntur pro particulari actu, uti mihi ad hanc solutionem replicavit Card. Pallavicinus. Necessesse est et copias istorum Brevium mittere, acticas in aliquo officio, ut fides habeatur ipsis. Secundario, necesse est demonstrare quam iniuste sibi praetendit potestatem praeficiendi in nonnullis Monasteriis Archimandritas et Superiores, et quomodo id est praeiudiciosum Religioni. Etiam si antea, antequam sumus redacti in unam Congregationem, Metropolitanus, qua tales, an etiam Superiores in Monasteriis, an vero ipsi Monachi inter se eligebant. Etsi antea Rex conferebat Archimandrias, hoc bene examinandum. Etiam inspicere fundationes Monasteriorum, quae proprie sunt fundatae in Archimandrias, et quae in simplices Hegumenatus; in his duobus punctis maxima difficultas. Nec non proponendae rationes, quare non debent esse conservatae Archimandriae, sed sublatae; ego aliquas dedi, sed illis non acquiescunt. VV.PP. dignentur fortiores adinvenire. Operae pretium esset expedire literas a Serenissimo Rege instanciales ad S. Congregationem de Prop. Fide et ad Card. Protectorem Regni, etiam literas a Card. Radziejowski,<sup>259</sup> nam instantiae istae

---

<sup>259</sup> Michaël Radziejowski, Primas Poloniae (1687-1705), cardinalis nominatus 2.IX.1686; obiit 11.X.1705.

magnum momentum ad facilitandum totum negotium addere possunt. Significo etiam VV.PP. Vestris quod expedivi inhibitionem contra D. Metropolitanum ratione monasterii Bitinensis, ut nihil audeat in illo inhiare sine scitu S. Congr. et iam ante duos menses missa est ad illum. Optime fuisset si VV.PP. mitterent mihi aliquot chartas subscriptas pro conficiendis literis, ut ad illos Cardinales inscriberem, ad quos scirem in negotio praefato esse necessarium, et interim hoc ipsum faciant VV.PP. Vestrae ad Ill.mum Secretarium Propagandae, qui nimis zelose stat pro nobis. Interim VV. PP.

Romae, 16 Ianuarii A.D. 1693.

POLYCARPUS FILIPOWICZ

(fol. 423rv): Copia earundem litterarum lingua polonica.

## 104.

*Suprasl, 23.II.1693.*

*Actus primus nullus electionis P. Cyprianowicz in Archimandritam Suprasliensem et rationes invaliditatis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1693, vol. 516, fol. 12rv.

### ACTUS PRIMUS ELECTIONIS

In Nomine Domini. Amen.

Significamus hoc publico testimonii Instrumento nos infraspacificati Patres Venerabilis Capituli S. Laurae Suprasliensis, Ordinis Sancti Basilii Magni in Unione Sancta cum Ecclesia Romana existentes. Quod occurrendo exterminio et ruinae huius Monasterii post obitum dignae memoriae Rev.mi Patris Josaphat Michniewicz, Archimandritae, accesseramus ad electionem Venerabilis Patris Simeonis Ciprianowicz, Religiosi professi Ordinis S. Basilii, sed alterius Monasterii, et alterius Provinciae, qui tamen nunquam fuit in possessione huius Sanctae Laurae Suprasliensis,<sup>260</sup> et non potuit assequi, propterea, quia illius electio ex multis rationibus invalida fuit. Primo, quod in eius electione Juridici termini Jurisque solennitates, et ad electionem necessariae conditiones, secundum jura ab antiquo constituta, non fuerunt servatae. Et quia supra specificatus V.P. Ciprianowicz non fuit ex gremio nostri Mona-

---

<sup>260</sup> Archimandria Suprasliensis cum Congregatione SS. Trinitatis Vilmensis non unita; fundata an. 1510 ab Alexandro Chodkiewicz, dein ab eius filio Joanne-Hieronymo, Castellano Vilmensi (obiit an. 1562); familia Chodkiewicz habuit ius collationis Superiorum, qui erant Archimandritae, maxima ex parte Metropolitanae Kiovienses. In primo actu electionis electus fuit Simeon Cyprianovič, post obitum Josaphat Michniewiç, Archimandrita (1680-1692); sed non potuit obtinere benedictionem a Metropolitana, quia non habuit requisitas qualitates, et praesertim non pertinebat ad Communitatem Suprasliensem; ideo ventum est ad actum secundum electionis seu postulationis, et electus fuit in Archimandritam Cyprianus Zochowskyj, sed iam hoc anno in octobri obiit, die secunda.

sterii, et ita non potuit eligi, sed tantum postulari; 2do, quia Monasterium Suprasliense, secundum jura et foundationem, debet habere pro collatore ex familia Ill.morum DD. Chotkiewicz, a quibus fundatum et bonis dotatum remansit; nunc vero post mortem piae memoriae Ill.mi DD. Georgii Chotkiewicz, Castri metatoris M.D. Lithuaniae, exisit sub protectione et dispositione tutorum Ill.morum DD. Sapiehorum, Ducis et Thesaurarii Supremorum Mag. Ducat. Lithuaniae, qui habent in tutela derelictum Colatorem, adhuc pupilum, Mag. D. Joannem Chotkiewicz, filium Magnifici Domini Castri Metatoris Magni Ducatus Lithuaniae. Et propterea, secundum transactionem factam inter nostrum Monasterium Suprasliense cum Ill.mis Colatoribus, debemus eligere ex medio nostri Capituli dignum et huius officii capacem, de Sancto loco emeritum, Candidatum. Et quoniam, ad istam conditionem, quam non habuit inter nos, fuerat electus V.P. Ciprianowic, ideo electio ipsius non potest habere suum valorem, contra Canones Sanctos, foundationem, et transactionem factam. Ex his itaque causis, et aliis nobis bene notis, propter melius bonum et conservationem praedicti Monasterii, Primum Actum Electionis sicut invalidum totaliter cassamus, et annihilamus, et ad aliam (*f. 12v*) novam Electionem, secundum jura antiquitus praescripta, aut Postulationem, secundum practicum Ecclesiae Sanctae Orientalis morem, accedere destinavimus. Et propter meliorem fidem modernum Instrumentum manibus nostris pacifice et unanimiter subscribimus et sigillum Monasterii Sacrosanctae Anuntiationis B.ssmae Virginis apposuimus.

Datum in Sancta Laura Suprasliensi, die 23 Februarii, Anno 1693.

(Locus Sigilli)

Ignatius Szibikowski, Ord. S. Basilii Magni.  
 Pr. Joannes Krupski, Ord. D. Basilii Magni.  
 Pr. Athanasius Haponowicz, Ord. D. Basilii Magni.  
 Pr. Theophanes Kunczyc, Ord. D. Basilii Magni.  
 Pr. Bartholomeus Miniewski, Ord. D. Basilii M.  
 Pr. Theodorus Wodoszynski, Ord. D. Basilii M.  
 P. Florianus Laniewski Wolk, Ord. D. Basilii M.  
 Pr. Pantaleon Paulowicz, Ord. D. Basilii M.  
 Pr. Gervasius Kiszczyc, Ord. D.B.M.  
 P. Pachomius Borowski, O.D.B.M.  
 P. Alexius Plaskiewicz, O.D.B.M.  
 P. Josephus Kiesel, O.D.B.M.  
 P. Ambrosius Gimbul, O.D.B.M.  
 P.Theophilus Toloczko, O. Divi B.M.  
 Fr. Valerianus Zawaczki, Ord. Divi B.M.  
 Fr. Petrus Lackowski, O.D.B.M.  
 Fr. Hilarion Dombrowski, O.D.B.M.  
 Fr. Thimotheus Kodzynski, O.D.B.M.  
 Fr. Bohdan Jaholkowski, O.D.B.M.  
 Fr. Macarius Sosnowski, O.D.B.M.



FAMILIA S. BASILII MAGNI



Fr. Artymonius Narewski, Ord. D.B.M.  
 Sigismundus Michnewicz, Ord. D.B.M., ad hunc actum Secretarius  
 Monasterii Suprasliensis subscribo.

Et quia ego, Sacra Apostolica Autoritate Notarius Porphyrius Kulcicki, Ord. D. Basilij Magni, praeinsertis omnibus et singulis una cum requisitis testibus, hoc est R.P. Floriano Laniewski O.D.B.M. Professo ejusdem loci et R.P. Pachomio Borowski, O.D.B.M. eiusdem Monasterij Professo praesens interfui eaque sic fieri vidi et audivi, ideo hoc documentum confeci, scripsi et subscripsi solitoque Notariatus mei sigillo, munivi, ex parte memorati Capituli ad id specialiter requisitus (mp).

105.

*Suprasl, 23.II.1693.**Actus electionis Metropolitanae in Archimandritam Suprasliensem.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 604-605.

## ACTUS SECUNDUS ELECTIONIS

In nomine SS.mae et Individuae Trinitatis. Amen.

Omnibus in communi et cuilibet in particulari hoc nostrum Instrumentum electionis, qui videbunt, legent ac audient, deferimus ad notitiam, quod post obitum R.mi P. Josaphat Michniewicz,<sup>261</sup> ultimi huius Archimandriae possessoris, nos infrascripti habentes liberas voces cum toto venerabili Capitulo nostro tam ex fundatione quam ex transactione cum Magnificis Dominis fundatoribus et Colatoribus cum nostro Monasterio etiam ex Regulis et antiqua consuetudine Sanctae Laurae Suprasliensis Ecclesiae Sanctae Orientalis in Unione Sancta existentes. Volentes eidem Monasterio providere de novo digno Archimandrita, convocatis prius secundum consuetudinem nostram ad refectorium pro die 23 februarii Anno 1693, hora 10 ante meridiem, post absolutam Missam sanctam de Spiritu Sanctissimo omnes Patres, Fratres et Professos, ad novam electionem aut postulationem Archimandritae; congregati die et hora superius specificatis per sonum campanulae accesserunt feliciter ad novam electionem, facto diligentissimo scrutinio, si non reperiretur inter Venerabiles PP. Capitulares excommunicatus, vel in censuris aliquibus existens; tunc post notificata documenta, quod nullus inveniatur inter Venerabiles PP. Professos ad hanc electionem spectantes aliqua innodatus censura, propter quod libera vox deberet impediri et insimul electio invaliditate aliqua laborare. Tunc itaque invocato Spiritu Sancto, per orationem in Ecclesia Sancta Orientali solita in subsidium, *lmo* resoluti sumus per scrutinium

---

<sup>261</sup> Josaphat Michniewiż, OSBM, Archimandrita Suprasliensis (1680-1692), Procurator in Urbe (1660-1674).

liberarum vocum Capitularium hanc electionem facere, et ita Scrutatoribus moderna electionis aut postulationis electis, et deputatis, ex medio nostri Monasterii pacifice, unanimiter V.P. Joannes Krupski, V.P. Athanasius Haponowicz et V.P. Theophanes Kunczicz, habentes potestatem plenariam secreta et singulariter cuiuslibet calculi et vota sua et aliorum cum omni diligentia collectis, et ut quilibet idoneum ad hoc Officium Archimandriae det sub conscientia obligando, ut talem Archimandritam eligant et petant, qui in munere spirituali et saeculari comodissimus, et optimus fiat huic Sanctae Laurae Suprasliensi. Tunc praefati scrutatores, cum Notario et Testibus infraspacificatis, ita sua sicut et Venerabilium Dominorum Professorum huius Monasterii et omnium Capitularium in loco solito diligenter combinatis, pacifica, integra in animis inventa vota, ex nunc in praesentia V.P. Vice-Superioris Monasterii Suprasliensis liberis vocibus, sine ulla ab aliquo contradictione, notificarunt et proclamarunt, quod pro Archimandrita Sanctae Laurae Suprasliensis in Temporalibus et Spiritualibus Gubernatorem, Patrem et Dominum elegerunt et postularunt Fratres professi et omnes Venerabiles Patres Capitulares, pacifice et nullo excepto, personam Ill.mi et Rev.mi D. Cipriani Zochowski, Metropolitae Kiioviensis, Haliciensis et totius Russiae. Et ita nos Scrutatores, supra specificati, cum omnibus Patribus, Fratribus, Professis, et Capitularibus unanimi voce postulamus pro Archimandrita, et iisdem liberis vocibus eligimus Ill.mum et R.mum D. Ciprianum Zochowski, Archiepiscopum et Metropolitanam totius Russiae, quem insimul declaramus, publicamus pro Archimandrita, Domino et Padre nostro, quod fiat in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

(f. 604v) Quam electionem nostram, uti liberam, pacificam et unanimem, sine ulla contradictione, gratissime acceptando et approbando, salvo in omnibus relinquimus ad obtinendum beneficium consensum ad hoc SS.mi Oecumenici Patris Nostri Domini Innocentii Papae huius nominis XII. Actum omnia in Sancta Laura Suprasliensi die, hora, mense, et anno superius specificatis, sub felici Dominio SS.mi Patris XII Innocentii, in hoc anno 1693.

Ideo manibus nostris propriis Capitularibus omnes unanimiter subscribimus et sigillum Religiosum huius Monasterii Suprasliensis Bss.mae Annunciationis SS.mae Virginis expressimus die, et anno ut supra.

(L.S.)

- Ignatius Szibikowski, O. S. Bas. M.  
 Sigismundus Michnewicz, O.D.B.M., ad hunc actus electionis Secretarius Capituli Suprasliensis subscribo.  
 P. Joannes Krupski, O. D. Basilii M.  
 P. Athanasius Haponowicz, O. D. Basilii M.  
 P. Theophanes Kunczycz, O.D.B.M.  
 P. Bartholomeus Miniewski, O.D.B.M.  
 P. Florianus Laniewski, O.D.B.M.  
 P. Theodorus Wodoszynski, O.D.B.M.  
 P. Pantaleon Pawlovic, O.D.B.M.



P. Gervasius Kiszczic, O.D.B.M.  
 P. Pachomius Borowski, O.D.B.M.  
 P. Alexius Plaskiewicz, O.D.B.M.  
 P. Josephus Kisiel, O.D.B.M.  
 P. Ambrosius Gimbul, O.D.B.M.  
 P. Teophilus Toloczko, O.D.B.M.  
 Fr. Valerianus Zawacki, O.D.B.M.  
 Fr. Hilarion Dombrowski, O.D.B.M.  
 Fr. Bohdan Jaholkowski, O.D.B.M.  
 Fr. Thimoteus Kodzynski, O.D.B.M.  
 Fr. Procopius Halicki, O.D.B.M.  
 Fr. Petrus Laczkowski, O.D.B.M.  
 Fr. Macarius Sosnowski, O.D.B.M.  
 Fr. Arthemon Narewski, O.D.B.M.

Et quia ego, Sacra Apostolica Auctoritate Notarius Publicus, praeinsertis omnibus, et singulis, una cum requisitis testibus, hoc est R.P. Floriano Laniewski, Professo eiusdem loci, et Rn.do Pachomio Borowski, Ord. Divi Basilii M. eiusdem Monasterii Professo, praesens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, ideo hoc documentum confeci, scripsi et subscripsi solitoque Notariatus mei sigillo munivi ex parte memorati Capituli. - Porphyrius Kulczycki, publicus Apostolica Auctoritate Notarius.

106.

Zyrovyci, 20.V.1693.

*Protoarchimandrita cum Consilio generali conqueruntur de Metropolitano eiusque ingerentiis in negotia Ordinis, praesertim in electiones Superiorum Ordinis et Monasteriorum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 871rv.

Ill.me et Rd.me Domine,  
 Domine et Patrone Colend.mo.

Singularis affectus et zelus Ill.mae Dominationis Vestrae erga minimam Congregationem nostram, cuius nobis hic ubertus testis est P. Procurator noster, uti magnas a nobis vendicat gratias, et plane impares viribus nostris, ita impellit nos nunc, ut eo audacius et fidentius hisce molestare praesumamus; stimulum etiam addente gravissimo negotio Religionis nostrae, dum ultimam ipsi prorsus minatur ruinam Ill.mus Metropolitanus Russiae, conspiratione facta cum aliquot paribus sibi in gradu et caractere, ubi omnia iura ipsius et pacta conventa in Capitulo Novogrodecensi, anno 1686 celebrato, convellere attentat. Hoc semper erat in votis ipsius, ut a nulla lege, sed a solo arbitrio suo tota penderet Religio, hinc quidquid mali ordinis hucusque successerat et inconvenientium in Religione testis sit nobis Deus, si non ipse tota illius extitit causa. Quid sperandum ibi boni, ubi nihil stabile concluditur

unquam, sed omnia variantur pro varietate passionum et affectuum. In praedicto Capitulo, uti ex autentico a nobis misso ad S. Congregationem et manibus utriusque partis roborato constat, constituerat ipse unum nobiscum, nemine cogente neque enim nos, uti pars debilior, vim illi ullam inferre poteramus, ut Protoarchimandrita simplex semper esset Monachus, consenserat etiam super divisione Monasteriorum, et super multa alia, nunc vero omnia retractat et iam fundamenta (*f. 871v*) iacere incipit, ut in proximo futuro Capitulo electio Protoarchimandritae in personam succedat ipsius, non attentis tot Brevibus Apostolicis, quibus praecipitur, ut simplex eligatur Monachus. Omnia susque deque miscere vult. Supplicamus igitur Ill.mae Dominationi Vestrae, ut sicut alias semper, ita etiam nunc, tum nobis tum R.P. Procuratori nostro singularissimo suo patrocinio assistere dignetur,<sup>262</sup> et miseras ac afflictiones nostras speciali zelo repraesentare S. Congregationi, ad quam etiam speciales de omnibus hisce rebus damus. Et nunc devotissime sacram ipsius Dextram osculantes, manemus quoad vixerimus.

In Monasterio nostro Zyroviciensi, 20 Maii 1693.

Ill.mae et R.dmae Dominationis Vestrae  
 Servi humillimi et Exoratores  
 SYMEON OHURCEWICZ

Ord. D. Basilii M. Protoarchimandrita (mpr)

SYMEON CYPRYNOWICZ, Proto-Consultor Ord. D. Basilii M., Superior Zyroviciensis. (mpr)

STEPHANUS MARTISZKIEWICZ BUSINSKI, Consultor Ord. D.B.M., Archim. Polocen. (mpr)

JOSEPHUS PIETKIEWICZ, Consultor Ord. D. Basilii M., Superior Mon. Bithenen. (mpr)

JOACHIM KUSZELICZ, Ord. D. Basilii M., Proconsultor, Sup. Liscoviensis (mpr)

JOSAPHAT HUTOROWICZ

Ord. D. Basilii M., Secret., Superior Vilmensis (mpr)

## 107.

(Roma, 1693)

*Procurator Basilianus in Urbe refutat et informat de quibusdam obiectio-nibus adversus Ordinem Basilianum, ex parte Metropolitae Kioviensis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1680/95, vol. 29, fol. 867-69.

Refutatio nonnullarum praetensionum Ill.mi Metropolitae Russiae, contra Congregationem Monachorum Rutenorum O.D. Basilii M. in folio responsorio ad nonnulla quaesita S. Congreg. de Propaganda Fide expressarum, cum

<sup>262</sup> Polycarpus Filipovyč, Procurator in Urbe (1690-1700), Alumnus romanus Coll. Graeci, ingressus est 5.XI.1684, an. 24, egressus, doctor in philosophia et theologia, die 7.VI. 1685 « cum laude ingenii, pietatis et modestiae ».

veriori et incertiori informatione, circa causas mali regiminis et status eiusdem; porrecta eidem S. Congreg. de Propaganda Fide a Procuratore praedictorum Monachorum.<sup>263</sup>

1°. *Quod attinet, cur Metropolita aut alius ex Episcopis non debeat eligi in Protoarchimandritam?*

R. - Quia inprimis haec fuit mens clarissima primi Institutoris huius Congregationis, videlicet piae memoriae Velamini Rutschii, Metropolitae Russiae, qui a Fel. Record. Urbano VIII obtinuit potestatem omnia Monasteria Ordinis Basiliani in Russia existentia regidendi in unam Congregationem et in primo Capitulo hanc legem cum aliis Patribus Capitularibus sancivit, his formalibus contentam: — *Caventes, ut tam iuniores quam seniores, cum omni fiducia, et absque ullo impedimento, in necessitatibus suis confugere possint ad Protoarchimandritam, tanquam ad Patrem suum, statuimus, ut non possit Episcopus, sed solum simplex Monachus fieri Protoarchimandrita.*<sup>264</sup> — Idem deinde formatum est compluribus decretis S. Congregationis de Prop. Fide, et Summorum Pontificum, nominatim Urbani VIII, Alex. VII et Innocentii XI. Quod autem non obstantibus eiusmodi Decretis S. Congregationis et Brevibus Summorum Pontificum, Metropolitae saepius hoc munus Protoarchimandritale exercuerint, adeo id provenisse, partim ex defectu personarum idonearum ad tantum regimen, quo maxime sub primordia sua Congregatio maxime laborabat, partim ex ambitione Metropolitanarum, cui resistere non valentes Religiosi, nolentes volentes vota sua in eum inclinare debuerunt, consulentes etiam bono pacis, et subterfugientes occasiones litium et iurgiorum. Nihilominus, qui primum lapidem iecit huius Congregationis, Iosephus Velaminus Rutschius, toto vitae suae tempore, ab hoc officio abstinuit, ut inaniter ab Ill.mo Metropolita moderno adstruatur,<sup>265</sup> quod ipse moderatus sit totam Religionem; fiebant quidem omnia cum scitu et consilio ipsius in Religione, honoris et gratitudinis debitae ergo, sed immediatus Moderator totius Religionis fuit simplex Monachus. Ast contra modernum Dominum (*f. 867v*) Metropolitam militat quoque duplex propria ipsius et spontanea renuntiatio, omnis prorsus praetensionis et ambitionis dicti officii, una facta in Capitulo Zirovicensi, altera in Novogrodensi,<sup>266</sup> de cuius confirmatione agitur. Frustra autem allegatur ab Ill.mo Metropolita, ad evincendum regimen totius Religionis, spectare ad ipsum praxis Universalis Ecclesiae Orientalis, cum potius contrarium ex hac praxi ostendatur, dum in toto Oriente Monachi reguntur immediate a simplicibus Superioribus Monachis, quos unumquodque Monaste-

<sup>263</sup> Procurator Generalis in Urbe, Polycarpus Filipovyč (1690-1700).

<sup>264</sup> In Capitulo Novogrodovicensi an. 1617, mense Iulio.

<sup>265</sup> Revera Ordo semper habuit Protoarchimandritam: Iosephus Velamin Rutschij (1617-1626), Raphaël Korsak (1626-1637), qui regimen suum exercebat invigilante Metropolita Rutschij. Cyprianus Zochowskyj affirmabat Metropolitam Rutschij ipsum hoc regimen exercuisse, quod non videtur verum; quia alia res rem aliquam scire, et alia re eandem responsabiliter exercere.

<sup>266</sup> Capitulum Zyrovicense an. 1675, et Novogrodecense an. 1686.

rium sibi eligit, et habent solum dependentiam ab Episcopis certis casibus descriptam, similem illi, qualem habuerunt Religiones latinae ante exemptionem.

Ad hoc quod iactet Ill.mus Metropolita magnos a se erogatos sumptus in beneficium Religionis? Libenter illos videret et Religio. At multo facilius damna sibi illata tam a moderno Ill.mo Metropolita, quam ab eius Antecessoribus probabit Religio, quam quod aliquod insigne beneficium praestiterit Ill.mus Metropolita, praesertim quod proprie Religionem concernat. Sed etiamsi et notabilibus aliquibus beneficiis affecisset illam, nil singulare esset, cum gratitudo id erga Matrem suam vindicet, a qua natus et educatus, totiusque boni sui fundamentum habet, et cuius tot bonis etiam in hoc statu fruitur, et maior fere pars reddituum ipsius ex bonis, quae Religioni, Matri suae, eripuit constet. Neque propter ullam aliam rationem tam ardentem ambit Protoarchimandriam, quam ut ipse solus in sua dispositione habens omnia monasteria, quod melius est sibi eligeret, et Religiosis id solum quod deterius est relinqueret.

2°. - *Quod attinet secundum punctum, secundo numero positum, videlicet: promotionem ad Episcopatus et alias Praelaturas ecclesiasticas non debere fieri, praeterquam in personis e gremio Congregationis.*

R. - Haec lex statuta pariter est sub Josepho Rutschio, zelantissimo Promotore tam Unionis S., quam Ordinis Rutheno-Basiliani, ac immutabiliter ad haec usque tempora ab omnibus eius Successoribus observata estque e non tam Religionis et Congregationis nostrae, quam totius Unionis S. et Religionis Catholicae, ut tales providerentur semper Pastores, qui et fidei essent indubitatae, et probitate morum ac doctrina commendati, quales in Ritu Graeco, praeterquam inter Religiosos, vix alibi reperire est. Nec derogatur per hoc quidquam iuribus Regiae Maiestatis Poloniae, cum solum haec lex spectet Metropolitam, ne is possit alium praesentare et recommendare Suae Regiae Maiestati ad Episcopatus et alias dignitates ecclesiasticas Regni, praeterquam personam e gremio Religionis. Imo, est valde conforme (f. 868) hoc legibus Regni, siquidem, ipso Domino Metropolita in suo scripto fatente, sub Vladislao Rege publica constitutione<sup>267</sup> sancitum est ne ad Episcopatus, Archimandrias, et Hegumenatus advitalitios promoveantur praeterquam Basiliani. Cur ergo modernus Ill.mus Metropolita vult derogare huic privilegio Congregationis nostrae, praetendens non minus sibi potestatis esse praesentandi homines saeculares et alienos a Congr. nostra ad Episcopatus, quam Religiosos, patet hinc luculenter, quam parum affectus est erga Matrem suam, cum non modo non vult ampliare privilegia et iura ipsius, verum etiam alias ipsi collata detrahare.

3°. - *Quoad punctum divisionis Monasteriorum inter D. Metropolitam et Religionem, ita ut in nonnullis ipsorum D. Metropolita reservaverit sibi im-*

---

<sup>267</sup> Non nobis constant de quibusnam Comitibus agit.

*mediatum ius praeficiendi Superiores, in aliis vero concesserit Protoarchimandritae Religioso?*

R. - Id cum gravissimo praeiudicio boni regiminis factum, ut unum corpus in duas partes scinderetur, et divideretur, nec unquam bonus ordo consistere potest, nisi haec divisio tollatur, et ad unius Superioris simplicis Monachi regimen et dispositionem omnia Monasteria redigantur, nam variatio haec Superiorum in Religiosis dabit occasionem dissolutionis, dum delinquentes semper possunt se subtrahere poenis pro suis delictis debitibus, confugiunt ex Monasteriis immediatae Iurisdictionis et subiectionis Protoarchimandritae, ad Monasteria subiecta immediate Metropolitae. Unde pariter ex hac eadem ratione non possunt Superiores unquam habere debitam suam observantiam et honorem a suis subditis.

Frustra autem Ill.mus Metropolitae, ut ostendat omnia Monasteria spectare ad suam immediatam iurisdictionem et dispositionem, praesertim quoad institutionem Superiorum, allegat iura foundationum eorundem. Cum haec facta sunt, antequam Religio in hanc formam unius Congregationis redacta esset, quamvis etiam ante Superiores non creabantur a Metropolitae, sed per liberam electionem Religiosorum cuiuslibet Monasterii fiebant, prout etiam nunc per totum Orientem practicatur. Nihilque aliud voluerunt fundatores illi, quam ut Monasteria ab ipsis fundata ordinariae iurisdictioni Metropolitae subessent; praeficere autem Superiores, est extra limites huiusmodi iurisdictionis. Specialiter autem quod attinet duo illa Monasteria; Bitense et Beresvecense nuncupata, quae praetendit singulari modo ad suam immediatam iurisdictionem (f. 868v) et dispositionem praedicto tenore spectare? Respondeo quod etsi quid iuris antea ipsi competere potuerit, nunc nullum amplius competere, cum, uti constat ex Actis Capituli Novogrodensis,<sup>268</sup> utrumque hoc Monasterium subiecerit immediatae iurisdictioni et dispositioni Protoarchimandritae cum aliis compluribus, quae ibidem recensentur. Sed nec etiam ante istiusmodi resignationem unquam se ingerebat ad ista monasteria. Nec ob aliam rationem nunc retractat istam cessionem, quam ut possit ipse occupare sub titulo Archimandriae utrumque hoc Monasterium, utpote quod melius prae aliis dotatum est. Quid autem necesse est, ut occupet Monasterium Bitense et in suam possessionem accipiat, uti instat apud EE.VV. pro indulto, ad hoc, ut possit vindicare idem Monasterium vel potius bona ipsius ab iniustis Praetensoribus eorundem, an non potest hoc praestare absque eiusmodi occupatione, et in suam possessionem devolutione? certe non est haec ratio genuina, sed quod ipse sitiatur bona illius Monasterii, et seipsum solum impinguare vult, et Religionem emacerare.

Devenio ad ultimum punctum, miserandi moderni status Religiosi. Atque utinam Ill.mus Metropolitae commoveretur hac miseria ipsius, et desisteret ab affligenda et opprimenda illa. Verum, ut ille miser et labefectatus defacto

---

<sup>268</sup> Capitulum Generale Novogrodecense an. 1686, praesidente delegato Thoma Viejski, Soc. Jesu, mense Augusto.

est, non esse tamen tam miserum, quam fuit dum Protoarchim. munus Metropolitae gesserunt, nam et numero personarum et qualitate, et regimine longe praestat modernus status priori; ostendat Ill.mus Metropolita vel unicum Monasterium, quod esset erectum sub tempus quo Protoarchimandritae erant Metropolitae; nunc autem per hos paucos annos, quo Religiosi simplices Protoarchimandritae esse caeperunt, prope decem Monasteria novae erectionis Religioni accesserunt, non numerando illa, quae ex schismate conversa sunt, quod clarum indicium, magis nunc florere disciplinam et bonum ordinem in Religione sub simplici Protoarchimandrita Religioso, quam ante, dum homines magis erga illam afficiantur modo, quam ante. Quod autem non attingat debitam adhuc perfectionem, id potius referendum est in divisionem imperii inter Protoarchimandritam Religiosum et inter Ill.mum Metropolitam caeterosque Episcopos, qui non ex legibus et constitutionibus Religionis, sed ex suo beneplacito omnia fieri volunt in Religione, sicque impediunt Protoarchimandritam in suo gubernio.

(f. 869) Ad obiecta, quae Ill.mus Metropolita affert in duos primarios Patres in Religione, quorum unus de facto in munere praeest Protoarchimandritali,<sup>269</sup> alter autem proxime in eodem praecessit,<sup>270</sup> derivando in illos causam mali praesentis status Religionis, operae pretium esset si S. Congregatio committeret Ill.mo Domino Nuntio Poloniae potestatem inquirendi super istis, ut veritas magis patere posset. Ego vero respondeo: Si tam mali et noxii sunt Religioni hi duo Patres, cur tanto studio suo ac conatu evexit illos in hunc gradum, ut renitentibus tempore Capituli compluribus Patribus Electoribus quoad electionem ipsorum, imo fere toto Capitulo contradicente, ipse tamen omnes induxit precibus et persuasionibus suis ad conferendum vota sua in illos. Iustissimam habet Religio occasionem lamentandi contra ipsum potius D. Metropolitam, quod non sinat electionem debito more fieri, illosque eligi, qui omnium iudicio digni sunt praeesse toti Religioni, sed qui suarum solum sunt partium, quosque minus graves sibi fore sentit, ac omnia ex suo genio in Religione disposituros praevidet, illos eligi curat in Protoarchimandritam. Verum hinc patet quod et nunc hos duos Patres non tam ex zelo boni Religionis criminetur, quam quod illos experiatur contrarios suis intentionibus et operibus.

Certe uni illorum maximam facit iniuriam,<sup>271</sup> causando eum in damno et ruina Religionis ac praecipue in desolatione noviciatus, cum optime sit de Religione meritis, utpote qui Pater totius Religionis iure merito compelliari possit, cum per viginti et aliquot annos exercendo munus magistri Novitiorum, tot produxerit Religioni filios, ut inter illos maior fere pars Religionis

---

<sup>269</sup> Symeon Ohurcewicz, Protoarchimandrita (1690-1698).

<sup>270</sup> Josephus Pietkiewicz (1686-1690).

<sup>271</sup> Agitur de Josepho Pietkiewicz, Protoarchimandrita Basilianorum (1686-1690), qui per longum tempus erat Secretarius, Superior Bytenensis et Magister novitiorum.

censeatur, et nunc in eodem officio zelosissime et studiosissime laborat; verius adscriberet sibi hanc desolationem, quod ita variet circa destinationem loci pro Noviciatu, ut iam in hoc, iam in illo Monasterio illum locet. Certe a spatio octo annorum, iam quartam stationem agit, primo enim destinatus ei locus erat in Monasterio Bithenensi, paulo post translatus ad monasterium Berezevecense, deinde Vilnense, ac modo iterum ad Bithenense,<sup>272</sup> ut volentes se adscribere Religioni, ignorant quo se conferre debeant.

Haec omnia Religio subiicit altissimo iudicio S. Congreg., hoc unum adhuc adiiciens: pluris longe referre, ut Religio Basiliana in partibus illis bene provideatur et stabiliatur, quam ut Episcoporum ac praecipue Illustrissimi Metropolitae praetensa, absque sufficienti fundamento, tam ampla potestas (f. 869v) et iurisdictio in Religionem conservetur, siquidem sublata aut labefacta Religione, corruent et Episcopi ac Praelati digni, et omnes Operarii evangelici, cum sola Religio istos Ecclesiae subministret in Ritu Roxolano-Graeco.

## 108.

Zyrovyci, 20.V.1693.

*Idem Consilium de eodem negotio S. Congregationi de Prop. Fide.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 29, fol. 872rv.

Emin. ni ac R. dssimi Domini,  
Domini, D. ni Clementissimi.

Non sumus explicando, quos et quantos ab ipsis primordiis minima Congregatio nostra, a quo in unum corpus coaluit, passa est impetus ab Ill. mis Metropolitanis Russiae; testari possunt tot recursus, quos fecimus ad EE. VV. tanquam ad asylum tutissimum. Omnem autem modum superant, quas modernus D. Metropolita inferit iniuriae Matri suae Religioni, qui cum vix aliquot annis respirium ipsi concessisset, post ingentem illam tempestatem, cuius memoria adhuc vigere debet apud EE. VV., nunc graviolem adhuc minatur, excitando novos motus in Religione dum omnia iura, et pacta conventa cum ea, quorum authenticum manu ipsiusmet, et sigillo roboratum extat apud EE. VV., nobis hoc fine missum, ut firmitatem etiam autoritatis suae et Sedis Apostolicae addere ipsis dignarentur, convellere nititur, non obstante quod ipsemet sponte in ea consenserit, et super conservatione illorum iuraverit. Ac, quod plus est, in vilipendium etiam autoritatis Apostolicae, non attentis tot Brevibus ipsius, quae super hac re emanarunt, ut in

---

<sup>272</sup> Ut patet ex hac informatione Bytenium erat saepe domus novitiatus, in qua ab anno 1674 erat Superior Pietkiewiç.

Protoarchimandritam simplex eligatur Monachus, eligeretur satagit, ut in proxime secuturo Capitulo electio cadat in propriam personam. Jam pertaesi nonnulli nostrum inquietudinum et vicissitudinum istarum in Religione, cum quibus bonus ordo nullomodo consistere potest, ad Schisma (*f.* 872v) revoluti sunt, quaerentes in portu naufragium, cum summo detrimento et probro Religionis nostrae; nobis autem, si EE.VV. non velint nos a tam vario ideoque pernicioso regimine, ac ne dicamus phantastico, sub aliquod firmum et stabile redigere, non restat, nisi ut supplicemus quatenus nobis ad tranquilliores aliquem Ordinem transire liceat, ubi cum maiori iucunditate et securitate, saluti animarum nostrarum providere possimus. Favorabiliora tamen sperare nos docet expertum semper patrocinium EE.VV., cui innixi, humillime nunc et leges et constitutiones nostras, quod summis quidem votis desideramus, saltem expediri curent speciale Breve SS. Domini Nostri, quo inviolabiliter praecipatur observatio nexus illius stabiliti in Capitulo nostro Novogrodecensi inter Religionem et Metropolitam.<sup>273</sup> Et nunc cernui sacras purpuras EE. VV. osculantes, manemus.

In Monast. Ziroviciensi, 20 Maii 1963.

EE.VV. humillimi Servi

SYMEON OHURCEWICZ

Ord. D. Basilii M. Protoarchimandrita (mpr)

SYMEON CYPRIANOWICZ, Proto-Cons. Ord. D.B.M., Sup. Zyrovicien (mpr)

STEPHANUS MARTISZKIEWICZ BUSINSKI, Cons. Ord. D.B.M., Archim. Polocen. (mpr)

JOSEPHUS PIETKIEWICZ, Consultor Ord. D. Basilii M., Sup. Bithenensis (mpr)

JOACHIM KUSZELICZ, Ord. D. Basilii M., Pro-Cons., Sup. Liscovien. (mpr)

JOSAPHAT HUTOROWICZ

Ord. S. Basilii M., Secretarius, Superior Vilmensis (mpr)

## 109.

(Grodno), ... 1693.

*Consultorium generale dat quasdam suggestiones Procuratori in Urbe.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 603rv.

Responsa ad literam Patris Filipovicz Consultorum,  
ex authentico illorum perscripta fide:

Venerabilis ac Admodum R.nde Pater Procurator  
et Pr. et Fr. in Christo Ob.me.

Datowane listy 16 Januar: Z Rzymu R.S.V.E. doszly tam ad VV.PP. Consultores, quam ad V.P. Cyprianowicz, ktorych contenta wyrozumiawszy, et in

---

<sup>273</sup> Capitulum Novogrodecense an. 1686, praeside Thoma Viejski, Soc. Jesu, composuit etiam s.d. «Nexum» inter Metropolitam et Ordinem. Cfr. de hoc «nexus» opus M. M. WOJNAR, OSBM, *De regimine Basilianorum Ruthenorum a Metropolita Josepho Velamin Rutskyj instauratorum*, Romae 1949, pag. 69.



Consultorio Grodnensi 12 Martii discutiendo one, ad omnia puncta, propter maiorem informationem, resolutiones transmittuntur R.P.V.E. cum debita gratiarum actione a toto Consultorio, ze pro solito suo zelo erga Matrem Religionem raczyteś dodać wszelkie starania, ut cum gloria Divina maius oney augeatur Incrementum, y o dalszy wtymze samym dobry affekt R.dam Paternitatem Vestram upraszamy. Ktoremu ut benedicat desuper Dominus we wszystkich pracach one nalezyte od nas current Suffragia. Tenor resolutionis ad proposita Puncta hoc exprimitur ordine.<sup>274</sup>

*Ad Imum: - Quare Ill.mus Metropolitanus vel alter Episcopus non possit esse Protoarchimandrita? R. - Quia Brevia Pontificum sunt in contrarium. Ita Urbani VIII, sub Annulo Piscatoris, Anno 1631, die 20 Aug., deinde Alexandri VII: Primum Anno 1665, die 30 Maii, cuius verba sunt haec expressa: — Ut in novo Capitulo electio Abbatis seu Superioris Generalis praedictorum Monachorum de Persona alicuius Monachi expresse Professi dicti Ordinis fiat; 2dum Breve eiusdem Alexandri 7mi ad eundem Nuntium et modernum Pontificem,<sup>275</sup> cassando supradictam electionem requirit, ut in eodem novo Capitulo electio Abbatis sive Superioris Generalis Monachorum praefatorum fieret de Persona alicuius Monachi expresse Professi dicti Ordinis etc. Innocentius vero XI, Anno 1683, die 30. 8bris asserit in suo Brevis: cum Archiepiscopali dignitate impossibilem Protoarchimandriam. Deinde, ex delegata potestate a Nuntio Apostolico, R.P. Vieyski, Praesidens Capituli Novogrodensis in suis intimatoriis allegat, et publice in Capitulo promulgavit: — Simplicem Monachum eligendum in Protoarchimandritam, alias votum datum in personam Metropolitanam, aut alterius Praelati sit irritum, et invalidum, ut habetur in Congregatione Novogrodensi, Sess. 4a, horis pomeridianis, Puncto 2do.*

*Ad 2dum: - Quod ad Episcopatus promoveri non debent alii nisi ex Personis Congregationis nostrae, et non sit in praeiudicium Sacr. Reg. Mai., ut allegat Em. Card. Barberini. - R. ad hoc: Quia usus et consuetudo perennis invaluit eligendorum, promovendorumque ad Episcopatus ex Religiosis Congregationis nostrae, iuxta praxim et Bullam Unionis. Deinde nota est pietas ac doctrina eorumdem Religiosorum Congregationis nostrae, qui sumptibus pontificiis in Alumnatibus educati, Sanctae Ecclesiae constanter proficui fuerunt, etiam effusione sanguinis id ipsum approbarunt. Id ipsum sonant Diplomata Regum data Metropolitanis, ut promoveantur ad Episcopatus ex nostra Congregatione.*

*(f. 603v) Ad 3tium: - Quod exdivisio Monasteriorum in partem Metropolitanam displicuerit Emin.mo Card. Palavicino. - R. Uti iam non semel exposuimus Sacrae Congregationi, ita pariter et modo explicamus, quod nolentes volentes hanc exdivisionem fecimus, quatenus et Praesidentis in Capitulo No-*

<sup>274</sup> Hoc ordine proposuit Puncta Procurator Filipovyč, et hoc eodem ordine, ut infra, proponuntur a Consultorio Generali.

<sup>275</sup> Antonius Pignatelli, Nuntius Varsaviensis (1660-1667), qui electus fuit die 12.VII.1691 in Pontificem Romanum Innocentium XII; obiit 27.IX.1700.

vogrodnensi R.P. Vieyski mens fuerat, ut qualiter taliter coalescat Pax intra Religionem et Metropolitanum.

*Ad 4tum:* - *Utrum supersedendum sit ad feliciora tempora ratione exemptionis Monasteriorum, Archimandriarum a superintendencia Metropolitanani* - R. - Quodsi in partem Religionis videlicet subsequi efficaciter eventus, hoc punctum promoveatur. Sin secus, beatorum tempori est committendum.

*Ad 5tum:* - *Utrum fundationes Benefactorum sint fundatae pro Hegumenatu an pro Archimandriis.* - R. - Monasteria foundationis Nobilium sunt expressa in Nexu, et Superiores illorum pertinent ad Protoarchimandritam ac sunt temporanei. Reliqua Monasteria in eodem Nexu posita sunt collocationis Regiae et titulo Archimandriae gaudent, quamvis et inter ista interveniant fundationes Nobilium et Regales, ac temporanei deberent esse Superiores ibidem; sed potentia Palatinorum et ambitione concurrentium juniorum reduntur perpetuo officio, quod ipsum non semel explicatum est Sanctae Sedi Apostolicae, quanta ibi incommoda fiant in praeiudicium Religionis et damna locis inferuntur.

*Ad 6tum:* - *Ut literae mittantur ad Em.mos Cardinales pro parte Religionis a S. Regia Maiestate Eminentissimo Card. Radzieowski caeterisque definitum est:* quantum fieri potest procurabimus.

*Ad 7mum:* - *Hucusque nondum constat nec Ill.mo Metropolitanano, ut prudenter supponimus, de inhibitione actu expedita Romae ratione Monasterii Bitheniensis.* - Petimus tamen ut R.da Paternitas Vestra per postam eandem, per copiam munitam sigillo Sacrae Congregationis transmittere ad nos velit, malis oportune et tempestive occurrendo. Quin imo hanc charitatem praestare velit de procuranda simili inhibitione ratione Monasterii Berezvecensis, cum omnibus bonis ad se pertinentibus, siquidem eadem ratio militat et pars Adversa attentare studet, siquidem haec bona in commutatione Torocaniorum data sunt in provisionem Protoarchimandritae.

*Ad 8vum:* - Responsoria ad aliqua illius desideria privata.

## 110.

(*Ex Russia*), 1693.

*Quaedam obiectiones Ordini Basiliano factae de collapsa disciplina. Rationes indicantur sat partiales.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 444.

In negotio Religionis Basilianae<sup>276</sup> (fol. 444)

*Imo:* - A 100 fere annis semper Metropolitanus aliquis Episcopus fuit Prothoarchimandrita et nunquam talia scandala et disordines factae, uti modo

---

<sup>276</sup> Ex contextu patet hanc adnotationem factam fuisse ex coetu membrorum Curiae metropolitanae.

a septem annis, ex quo incepit simplex Monachus praeesse.

Quod sint scandala et disordines testantur literae Episcoporum et memoriale ipsius Procuratoris.

2do: - Quare autem Metropolitanus non animadvertit. Ratio est, quia nolunt concedere, ut Metropolitanus visitet Religionis Monasteria, ut habetur tertium punctum Congreg. Novogrodensis, propter quae puncta ista Congregatio subsistere in confirmatione haud potest.

3tio: - Si Episcopi cum Metropolitanis sunt Professi, et unum corpus efficiunt, quare debent esse incapaces votorum Communitatis Ruthenae; hoc adminimum concedi debet, ut reddantur capaces, si communitas elegerit Episcopum aut aliquem Metropolitanum pro Prothoarchimandrita, uti et S. Basilii, fundator, fuit Archiepiscopus.

4to: - In literis praeteritis Episcopi petierunt gratias Sanctae Sedis, secundum antiquitus concessa decreta.

### III.

Romae, 27.VII.1693.

*De Archimandria Suprasliensi, eiusque iuribus, provisione Archimandritae, electione Metropolitanae in Archimandritam et de institutione eius.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1693, vol. 516, fol. 10rv, 14rv.

Il Monastero Suprasliense, dell'Ordine di S. Basilio Magno di Rito Greco, è stato anticamente fondato dalla nobile famiglia Chodkiewicz Lituana, indipendentemente da tutti gl'altri Monasterij dell'Ordine, e solamente in alcune cose sottoposto alla Giurisdizione del Metropolitanus di Russia del medesimo Rito.

L'Archimandria, o sia Abbazia del detto Monastero è stata sempre, et è di Juspatronato della medesima famiglia.

Quando l'Abbazia per morte dell'Archimandrita è vacante, li Monaci sono tenuti di eleggere e di presentare al Patrono un Monaco del gremio del loro Capitolo, e quando l'Eletto sia grato al detto Patrone, questo lo presenta al Metropolitanus, perche lo instituisca.

Essendo ultimamente vacata la detta (f. 10v) Abbazia, o sia Archimandria, li Monaci elessero un tal Padre Simone Ciprianovicz, e lo presentarono al Patrono, all'hor vivente, e questo lo presentò al Metropolitanus per l'Instituzione. Ma perchè il detto Religioso non era del gremio di quel Capitolo, come prescrivono le leggi della Fondazione, et era Professo d'un altro Monasterio, il Metropolitanus ricusò d'instituirlo.

Li Monaci, conosciuta l'invalidità di tal elezione, l'hanno di novo rievocata, e cassata,<sup>277</sup> e susseguentemente hanno proceduto secondo il loro Rito, e costu-

<sup>277</sup> Cfr. supra, notam 260

me ad un'altra elezione o sia postulazione,<sup>278</sup> in persona del medesimo Metropolitanò, il quale essendo Religioso dell'istesso Ordine, et anco Superiore immediato del Monastero, viene in conseguenza (*f. 14*) à reputarsi del corpo del Capitolo; o pur non lo essendo, con la postulazione suppliscono, sotto la riserva del Beneplacito Apostolico.

Li Tutori del moderno Patrone, che si trova in età pupillare, hanno gradita, et accettata tal elezione o sia postulazione; Ma non potendo il Metropolitanò instituire se stesso, li Monaci, e Tutori predetti supplicano S. Santità di commettere al Vescovo di Pinsco di Rito Greco,<sup>279</sup> o pur di Rito Latino, che sono i viciniòri, la facultà d'instituirlo.

Il Re di Polonia raccomanda efficacemente con sua Regia lettera l'istanza. (*fol. 14v*) 27 Iulii 1693: Ad S. Congregationem Concistorialem.

## 112.

Roma, 2.X.1693.

*Procurator Polycarpus Philipowicz dat Litteras testimoniales ad Ordinem presbyteratus recipiendum a Palladio Rogowskyj.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1694, vol. 517, fol. 132.

Polycarpus Philipowicz, Procurator Generalis Ordinis D. Basillii Magni, Diacono Palladio Rogowski.<sup>280</sup>

Dilecto Fratri in Christo, eiusdem Ordinis Monacho, salutem.

Vitae Tuae probitas, et in litteris sufficientia nobis perspecta facit, ut ad Dei Gloriam, et commune bonum fore existimemus, si cum ad Minores Ordines, et ad Sacros, usque ad Diaconatum inclusive in Ritu Graeco promotus fueris, ad Presbyteratum etiam eodem Ritu promovearis. - Tibi igitur ex legitimo matrimonio nato, et in aetate dicto Ordini definita constituto, nullumque canonicum impedimentum habenti, facultatem ad praedictum Ordinem ab antistite Graeci Ritus, Sedis Apostolicae communionem habente suscipiendum de indulto R.mi nostri Generalis, iuxta concessionem a S. Sede Apostolica eidem factam et nobis in hac parte communicatam conferimus, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Teque Eminentissimo Cardinali Collegii Graecorum de Urbe, ad illum Sacrum Ordinem suscipiendum, praesentamus.

Datum Romae, die secunda Mensis 8-bris, Anno 1693.

POLYCARPUS FILIPOWITZ  
Ordinis D. Basillii Magni, Procurator

<sup>278</sup> Cfr. notam 260, de Archimandria Suprasliensi.

<sup>279</sup> Bialozor Marcianus, Episcopus Pinscensis (1666-1696).

<sup>280</sup> Palladius Rogowskyj, OSBM, Alumnus romanus Collegii Graecorum, ingressus die 15.IX.1693, annorum 28 (natus 8.II.1665), diaconus in Moscovia, absoluta Logica, Physica, Philosophia et 3 annos Theologiae, ordinatus sacerdos, baccalaureus et magister in Philosophia et Theologia, seu doctor in utraque facultate, rediit in patriam, ubi, ut videtur, veneno sublatus est.

## 113.

Romae, 30.X.1693.

*Procurator Prov. Bohemiae Soc. Jesu testificat de Palladio Rogowskyj in ordine ad Presbyteratum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1694, vol. 517, fol. 133.

Infra scriptus testor in fide sacerdotali, et omni, quo possum, meliore modo, quod a testibus duobus fide dignis Missionariis quondam in Moscovia Patribus Societatis Jesu, pro certo et indubitato audiverim, Fratrem Palladium Rogowski, Ordinis S. Basilii, ministrasse Patriarchae Moscoviae in officio Diaconi, donec relictis Schismaticis per eosdem Patres ad unitatem Ecclesiae Catholicae fuisset adductus.

In fidem subscripsi manu mea, et sigillo officii mei signavi.  
Romae, die trigesima Octobris, Anni millesimi sexcentissimi nonagesimi tertii.

FERDINANDUS WALDTHAUSER, Soc. Jesu,  
Rector Collegii Novodomensis,  
et Provinciae Bohemiae Procurator (mpr)

## 114.

Vienna, 12.XII.1693.

*Missionarius Soc. Jesu in Hungaria dat Litteras testimoniales pro Palladio Rogowskyj, ad Ordinem Presbyteratus.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1694, vol. 517, fol. 137.

Ego infrascriptus Soc. Jesu sacerdos et Missionarius, testor sub fide sacerdotali, vel si opus foret, testaturus etiam juramento, quod Reverendus Frater Palladius Rogowski, natione Moscus, Professus Ordinis S. Basilii Magni, a me, pro tunc Moscucae Missionario Caesareo, conversus, et verae fidei unitus, ibidem non aliter quam Diaconus audierit, ut talis ad me adductus, nec pro alio unquam habitus sit. Quem officio Diaconi assistentem vel ut Diaconum ministrantem non viderim, non enim mihi licitum erat ullam illarum ecclesiam subingredi, vidi tamen praedictum Palladium Rogowsky, in... illo processu, qui ibidem Dominica Palmarum habetur, precedenti Patriarcham et universo Clero, veste Diaconali indutum pariter precedentem, quod clarum testimonium est ipsius Diaconatus. In cuius testimonii maiorem fidem ac robur, me manu propria subscripsi et sigillum Missionis meae apprimi feci.

Datum Vienna Austriae, 12 Decembris, Anno 1693.

TOBIAS FICHAWSKY e Soc. Jesu  
Missionarius et Bellici Hospitalis in Hungaria p. Superior

## 115.

Olomouc, 19.XI.1695.

*Regens Collegii Olomucensis testificat de Jacobo Solikowskyj in ordine ad transitum ad alium locum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1696, vol. 523, fol. 121.

MATHAEUS ZEIDLER, e Societate Jesu, Pontificii Caesarei Convictus Olomucii p.t. Regens.

Lecturis Salutem in Domino.

Cum de Superiorum suorum voluntate, Religiosus in Christo Frater Jacobus Solikowsky,<sup>281</sup> Ordinis S. Basilii Magni Professor, ex Convictu nostro ad Collegium de Propaganda Fide Romam mittatur, hisce notum facio, eum quadriennio integro in Pontificia apud nos fundatione vixisse, moribusque ita se nobis probasse, ut et Professioni suae religiose, et convictorum legibus abunde satisfecerit, dignumque se reddiderit, qui ab omnibus, ut servus Christi benigne habeatur. Insuper pro faciliore ad loca singula admissione ac transitu, testo praefatum Religiosum in Christo Fratrem e loco salubri, neque de ulla infectione suspecto venire. In quorum fidem majorem, has ei propria manu subscriptas et officij mei sigillo munitas dedi.

Olomucii, die 19 Mensis Novembris, Anno 1695.

MATHAEUS ZEIDLER, Soc. Jesu,  
Caesarei Collegii Convictorum Regens (mpr)

## 116.

Olomouc, 19.XI.1695.

*Quidam professor Collegii Olomucensis testificat de Jacobo Solikowskyj.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1696, vol. 523, fol. 122.

JOANNES GRUNSKLEE, e Societate Jesu, SS. Theologiae Doctor, eiusdem in Ill.ma, Caesarea, Regia, ac Episcopali Universitate Olomucensi Professor publicus et ordinarius, necnon Facultatis Theologiae Decanus.<sup>282</sup>

---

<sup>281</sup> Jacobus Solikowskyj, Basilianus Alumnus romanus, ingressus Collegium Urbanum de Prop. Fide an. 1696, antea studuit Olomucii in Collegio pontificio, missus ab Episcopo Chelmsensi, egressus e Collegio 20.V.1698 « dopo haver sostenuto pubbliche conclusioni di teologia », et recepto solito viatico; tempore sui ingressus in Coll. habuit annos 24 et 4 Ordines minores. Cfr. D. BLAZEJOWSKYJ, *Ukrainian and Bielorrussian Students in the Pontificio Collegio Urbano de Prop. Fide (1627-1846)*, in « *Analecta OSBM* », vol. XV, pag. 209.

<sup>282</sup> Decanus Collegii Olomucensis dat testimonium bonae conversationis, ut possit Alumnus in quodam alio Collegio recipi, hic in Collegio Urbano de Prop. Fide; cfr. de Alumno Solikowskyj notam praecedentem 281.



LITURGIA S. BASILII MAGNI  
EX ALTARI S. BASILII M. (ROMAE)





## Lecturis Salutem.

Ampla laborum merces, et largum virtutis stipendium est laus et commendatio, quae ob praeclara pietatis et scientiae specimina iure merito debetur Reverendo Religioso ac erudito Fratri Jacobo Solikousky, Ordinis S. Basilii Magni Professo Rutheno, ex Palatinatu Belzensi; is enim in Ill.ma Regia, et Episcopali nostra Universitate doctrinae laude severioris, Aristotelis disciplinas inchoavit, eo etiam profectu, et felicitate easdem continuavit, ut primo Baccalaureatus Philosophiae titulo inter numerosos competitores meruerit insigniri; et absoluta deinde cursus Philosophici trieteride, a Iunio anni 1694 sacratiora Theologiae speculativae arcana frequentavit usque ad 19 Novembris currentis anni 1695, necnon iuris Canonici praelectiones constanti diligentia excepit. Dignum proinde iudicamus, quem favore nostro prosequamur, et ob laudabilem vitae apud nos actae, morumque honestatem ac scientiae laudem, quam sibi assidua Lectionum frequentatione, datoque in exercitationibus scholasticis saepius specimine, comparavit, publico hoc comitemur testimonio, quo suffragante facilius alibi locorum, quo eum venire contigerit, ad continuanda Theologiae speculativae studia admittatur.

In quorum fidem has ei, manu nostra subscriptas et consueto Facultatis Theologicae sigillo munitas, dedimus.

Olomucii, 19 Novembris, Anno Millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto.

JOANN. GRÜNSKLEE (mpr)

## 117.

Romae, 30.I.1696.

*De Alumnatibus Basilianorum in Pontificiis Collegiis, praesertim in Collegio Graeco et Urbano.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1696, vol. 523, fol. 127v.

Essendo vacante in questo Collegio Urbano un luogo, destinato per i Monaci di S. Basilio, Monsignor Vescovo di Chelma dell'istess'Ordine,<sup>283</sup> à requisitione del Padre Procurator Generale di quella Religione, supplica l'EE.VV., che si degnino aggratiarne il Padre Giacomo Solikouski, acciò possa compire li studij della Sacra Theologia.<sup>284</sup>

Sopra il ricevimento de Monaci Ruteni nel Collegio Urbano, si trova nell'Archivio, che il Vescovo di Chelma di Rito Greco Unito fece istanza nella Congregazione Generale de 16 Marzo 1682, venissero accettati in questo Collegio Urbano tre, o almeno due giovani capaci di studiare Teologia, a che teneva in pronto e per sussistenza di tal'istanza mandò copia d'una lettera, scritta dal già Cardinal S. Onofrio di Novembre 1644,<sup>285</sup> e si raccoglie da i Registri, che

<sup>283</sup> Episcopus Chelmensis, Gedeon Wojna-Oranskyj (1693-1709).

<sup>284</sup> Cfr. de hoc Alumno notam 281.

<sup>285</sup> Cfr. *Litterae Episcoporum historiam Ucrainae illustrantes*, vol. II: 1641-1664, pag. 54-55, nr. 31, sub dat. 13.XI.1644.

il Cardinal S. Onofrio ne fece fare relatione in Congregatione de 18 Settembre 1645, e fu risoluto: « De duobus Alumnis Monachis Ruthenis Unitis, ad instantiam Methodii Episcopi Chelmensis Rutheni Uniti, in Collegio de Propaganda Fide impensis Emin.mi Domini Cardinalis Sancti Honufrii sustentandis. Sacra Congregatio censuit, eos habitum Sancti Basilii, et non habitum Alumnorum eiusdem Collegii gestare debere, et ex eis illum, qui est Sacerdos, cum iuxta suum Graecum Ritum celebrare voluerit, id facere posse in ecclesia Sancti Sergii, et Bacchi Martyrum, Ruthenis Unitis assignata ».<sup>286</sup>

E l'altre volte, che il detto Vescovo di Chelma ha fatt'istanza alla Congregazione, che fossero ricevuti due Giovani, nella Congregazione de 29 Aprile 1664 si è risposto: « Obstare Ritum », perchè in Collegio Urbano non si ricevano quelli del Rito Greco; ha la medesima Congregazione alcune volte Decretato che si ricevessero nel Collegio Greco, come fu risoluto nella sudetta Congregazione de 16 Marzo 1682, nella quale fu rescritto: « Ad Dominum Secretarium iuxta mentem quae est, ut omnino recipiantur duo nominati ab Episcopo Chelmensi in Collegio Graecorum Urbis ».

Si trova però esser ammessi colla Patente del Signor Cardinal Barberini di Marzo 1683 nell'Alunnato dell'Abissini, Bragmani, et Etiopi due Giovani Monachi Basiliiani chiamati: Placido Birucheviz, e Giorgio Giarembischi.<sup>287</sup>

Nella Congregazione de 16 Settembre 1686, col supposto, che questa Sacra Congregazione avesse conceduto due luoghi in questo Collegio alli Monachi Ruteni della Diocesi di Chelma, ricorse il Padre de Camillis, Procuratore Generale de Ruteni, a nome del Metropolita, che nel caso, non venissero li Monachi della Diocesi accennata, fossero surrogati in loro luogo li PP. Antonio Zolchoschi e Melezio Doroscossi,<sup>288</sup> e fu rescritto: « Scribatur Nuncio pro informatione, nec non Episcopo Chelmensi ».

Ne si è parlato più di tal materia.

Die 30 Januarii, 1696: Nullum competere locum Ruthenis in Collegio Urbano, et de hoc admoneatur Episcopus Chelmensis.

Sed ex gratia posse admitti Jacobum Solikouschi, etiam supra numerum, ita ut non transeat in exemplum.

C.A. FABRONUS, Secretarius

<sup>286</sup> Ecclesia SS. Sergii et Bacchi cum aedibus adiacentibus assignata fuit Ruthenis pro Collegio erigendo an. 1638, quam assignationem confirmavit Urbanus VIII cum suo Brevi de dat. 8.II.1641, et eius frater Antonius Barberini in suo testamento exdotavit; cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, pag. 517-8, nr. 457.

<sup>287</sup> Placidus-Polycarpus Birukiewicz, Alumnus romanus Coll. Urbani de Prop. Fide, ingressus in Collegium annorum 25, die 20.I.1683, egressus die 23.VI.1685, accepta laurea doctorali in theologia, et solito viatico. - Georgius Jarembinskyj, Alumnus Collegii Urbani de Prop. Fide ex Russia Rubra, die 20.I.1683 in aetate 29 annorum, et absolutis studiis in tenera valetudine egressus e Collegio 3.X.1685, accepto solito viatico; cfr. D. BLAZEJOWSKYJ, *op. cit.*, pag. 210.

<sup>288</sup> Antoninus Zolkiewskyj, Alumnus Collegii Urbani de Prop. Fide, ingressus simul cum Leone-Luca Kiszka die 6.XII.1687, annorum 25, sacerdos; finivit cursum philosophicum extra Collegium, obtenta Laurea in theologia egressus est 26.VI.1690 cum solito viatico. De Meletio Doroszkowskyj non constat; cfr. D. BLAZEJOWSKYJ, *op. cit.*, pag. 210.

## 118.

Roma, 14.X.1696.

*Quietationes debitorum P. Martiniani Wynnyckyj Romae.*APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1696, vol. 525, fol. 276.

Io sottoscritto ho riceuto dal Molto Rev.do Padre Rettore di S. Sergio e Bacco<sup>289</sup> baiocchi ottantacinque, quali sono per la veste che tenevo io in pugno, lasciata da Padre Martiniano Polaco,<sup>290</sup> per tanto vino datoli, et in fede questo dì 13 Ott. 1696.

Io Francesco Coletto, Oste del Agnello.

Io sottoscritto ho riceuto dal Padre Rettore di Santo Sergio e Baccho giuli undeci et baiocchi quatro, quali mi a pagati per uno pegno che io tenevo lasato dal Padre Martignano, Polacho, per tanto vino auto da la mia bottega et in fede questo a dì 13 Ottobre 1696.

Io Antonio Arigone, mano propria.

Io sottoscritto ho riceuto dal Molto Re.ndo Padre Rectore di Santo Sergio e Baccho giuli quatro, quale sono per tanta roba magiatura datta a un suo Padre Martiniano, questo mi haveva lasatto in proprio un breviario e un officio grecho e mi ha pagatto e li ho ristituiti questo dì 13 8bre 1696.

Io Rocho Pisenti (mpropria).

Io Francesco Polvara o ricevuto Giuli doi monetta per aver atto di magnare e vino et altro e li o resso che mi aveva lasiatio una Giubba nedia con un libretto et in fede etc. questo dì 14.8bre 1696.

Io Giuseppe Oste ali Serpenti o rigeuto per chonto di una corvata e tre chorone di ososo baiochi vintuno. 14.8bris 1696.

## 119.

Venetia, 9.VIII.1698.

*Palladius Rogowskyj supplicat S. Congregationi pro libris, in Patriam redeundo.*APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 2, fol. 575.

---

<sup>289</sup> Polycarpus Filipovyč, Procurator in Urbe et Rector Hospitii SS. Sergii et Bacchi, ubi tunc temporis commorabatur Martinianus Wynnyckyj, frater Innocentii, propter aetatem et incomparabilitatem non aptus ad vitam communem in Collegio.

<sup>290</sup> Martinianus-Michaël Wynnyckyj, frater Innocentii Wynnyckyj missus Romam ad studia theologica, aetate iam sat provecta; sese programmati et vitae Collegii Graecorum accomodare non potuit, et remissus fuit in patriam, cum summo dolore Episcopi Innocentii.

Ill.mo e Rev.mo Signor, Padron Coll.mo.

Dovendo io tra poche settimane indrizzarmi verso Moscovia, stante la partenza del nostro Re da Vienna<sup>291</sup> per quelle parti richiamato non so da quali successe turbolenze nel Regno, non voglio lasciare di humiliare a V.S. Ill.ma i miei ossequentissimi rispetti, acciò che veda che anche lontano vivo devotissimo della Chiesa Romana, di cui V.S. Ill.ma è parte non ultima, e però prego di tutto cuore la pietà di V.S. Ill.ma ad compagnarli in si lontani paesi con la sua santissima beneditione; sono anche ad humilmente supplicarla di favorirmi i consaputi libri, li quali V.S. Ill.ma potrà inviarli per ricapito a Monsignor Ill.mo di Filadelfia, o in altro modo che giudicasse migliore, e questi mi serviranno per vigorose armature contro gli avversarij della Chiesa Romana in paesi, ne quali haverò sommo bisogno, e per la penuria di simili libri, et anche per la debolezza de proprij talenti; sicche io haverò eterna la memoria di pregare per la conservazione, et essaltatione di V.S. Ill.ma; e V.S. Ill.ma haverà il merito del frutto che ne ricaverò da quei popoli si bisognosi, o almeno ne potrò ricavare. In fine la supplico d'un benigno compatimento, se mi sono troppo avanzato ad importunarla, e questo lo ascriva alla sua somma benignità con la quale suol favorire, anche chi mai l'ha saputo meritare, e però senza più attediare la sua occupatissima mente, di nuovo humilio i miei devotissimi ossequij a V.S. Ill.ma, con baciarli la Sacra Veste.

Venetia, 9 Agosto 1698.

Di V.S. Ill.ma e Rev.ma  
humil.mo, devot.mo et oblig.mo Servitore  
PALLADIO ROGOWSKI, dell'Ord. di S.B.M.

## 120.

*Zyrovyci, 4.X.1700.*

*Reditus P. Polycarpi Filipowicz et missio novi P. Silvestri Pieszkiewicz.*

APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc., Pol., Rut.*, a. 1700/19, vol. 3, fol. 33rv.

Illustrissime et Reverendissime Domine,  
Domine et Patrone Colendissime.<sup>292</sup>

Cum R.P. Polycarpum Philippowicz, hucusque Procuratorem Ordinis nostri, Roma in Patriam revocandum statuerimus, pro omnibus beneficiis, consiliis, instantiis et promotionibus, quascunque ab Ill.ma Dominatione Sua copiosissime per suam in Urbe residentiam expertus est, humillimas Ill.mae Dominationi Suae refero gratias, id unicum habens in votis, ut Divina Bonitas Ill.mam Dominationem Suam diu incolumem magnisque cumulatam honoribus

<sup>291</sup> Czar Petrus I, qui tunc temporis varias Aulas Europae visitabat; rediit in patriam propter insurrectionem quamdam militiae imperialis.

<sup>292</sup> Carolus Augustinus Fabroni, Secretarius de Prop. Fide (1695-1706).

in augmentum Glorïae suae, bonum Ecclesiae suae servare dignetur. Quia vero unius exhibitio gratiae ulterioris expetendae est incitatio, ideo et ego prima praefato Patri exhibitam animatus et impulsus audeo Ill.mam Dominationem Suam pro R.P. Sylvestro Pieszkiewicz, moderno Procuratore nostro,<sup>293</sup> expostulare, quatenus ipsum in sua protectione fovere, et si quibus quandoque opus **habuerit** consiliis, auxiliis et interpositionibus suis iuvare non recuset. Hanc autem Ill.mae Dominationis Suae benevolentiam et gratiam P. Procuratori nostro in necessitate praestitam perpetua gratitudine et obsequiorum meorum prompti (f. 133v) tudini una cum ipso et cum tota Religione recompensare adnitar, uti nunc quoque eidem me recommendatum et perpetuo obligatum subscribo.

Zyroviciis, die 4 Octobris, a. 1700.

Ill.mae et Rev.mae Dominat. Suae Servus et Exorator  
Pater JOACHIM KUSZELICZ<sup>294</sup>  
O.D.B.M. Protoarchimandrita (mp)

121.

Romae, 4.V.1705.

*Viaticum pro Innocentio Malejevskyj conceditur.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1705, vol. 551, fol. 180, 181v.

Eminentissimi e Rev.mi Signori.

Innocenzo Maleiewski di Subsilvania, Monaco Basiliano Ruteno, Alunno del Collegio Urbano,<sup>295</sup> havendo terminato il suo corso di Teologia, supplica l'EE.VV. à graziarlo di poter sostenere pubblicamente le conclusioni, e ricevere il dottorato, concedendogli anco il vestiario, viatico, e le cose di devozione. Che etc. etc.

L'Oratore coll'esemplarità de' costumi, e coll'applicazione indefessa allo studio, si è reso meritevole delle grazie della S. Congregazione.

(f. 181v) - Innocenzo Maleievski, Monaco Basiliano Ruteno, Alunno di questo Collegio Urbano, havendo terminato il suo corso di Teologia supplica l'EE.VV. della licenza di poter sostenere pubblicamente le conclusioni, e di

<sup>293</sup> Procurator Generalis in Urbe, Sylvester Pieškievič (1700-1709).

<sup>294</sup> P. Joachimus Kušelyč, OSBM, Protoarchimandrita (1698-1703), Alumnus romanus, fil. Stephani et Annae Doroševicz, Vilmensis, natus 25 annorum (an. 1673), ingressus Collegium Graecorum 18.XII.1673, sacerdos, Doctor in Philosophia et Theologia, egressus 14.VI.1677, revocatus a suis Superioribus; post varia munia, anno 1698-1703 Protoarchimandrita, dein Consultor Generalis; obiit ante an. 1709.

<sup>295</sup> Innocentius Malejevskyj, Alumnus pontificius Coll. Urbani de Prop. Fide, ingressus in Collegium 31.I.1701, annorum 20; recepta Laurea in philosophia et theologia et solito viatico, abiit 14.IX.1705, « havendo menato la vita irreprensibile ». Cfr. D. BLAZEJOWSKYJ, *Ukrainian and Bielorrussian Students...*, in « *Analecta OSBM* », vol. XV, pag. 209-210.

ricever il Dottorato come anco di concedergli il solito vestiario, viatico, e le cose di devozione, affinché possa ritornare alla sua Provincia.

Il Signor Rettore del medesimo Collegio dice che l'oratore coll'esemplarità de costumi, et applicazione indefessa allo studio, si è reso meritevole delle grazie dell'EE.VV.

Die 4 Maii, 1705: Annuerunt.

## 122.

Romae, 4.X.1709.

*Archimandrita Grottaferratensis Petrus Menniti proponit quaedam subiecta suae Congregationis, ut possint designari pro quibusdam dignitatibus in Transcarpatia.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1709, vol. 569, fol. 590-591.

Emin.mo e R.mo Signore, Signore e Padrone Col.mo.<sup>296</sup>

Per ubbidire con l'attenzione che devo à i preggiatissimi comandi di V.E., che m'impongono doverla informare de' soggetti di Rito Greco della nostra Religione, che fossero a proposito per esser impiegati dalla S.C. di Propaganda Fide nel Vicariato Apostolico de' Greci di Monkaz nell'Ungaria, le rappresento con la dovuta riverenza, che sarebbe gran fortuna della Religione l'haver quest'onore. Ma perchè oggi nè Monasterij di queste Provincie d'Italia, non si trova ne pur un Monaco greco nazionale, essendo tutti Italiani, e figli di Latini, che celebrano la Messa con gli azzimi, e con li paramenti, e ceremonie alla latina, usando solamente l'idioma greco letterale, senza intender, ne parlar la greca volgare, non sono à proposito, per esercitar la suddetta carica, tanto importante in quel paese, che richiede soggetti (f. 590v) ben istruiti nel Rito Greco Orientale, che usa nella Messa il fermentato. Un solo Monastero si trova nella Terra di Mezzoiuso, vicino a Palermo in Sicilia, di Monaci greci Albanesi, che osservano detto Rito Orientale, de quali la suddetta S.C., se ne servita per mandarli Vicarij Apostolici in Cimarra, col titolo di Arcivescovi di Durazzo, uno chiamato Monsignor Nilo Catalani, defonto in quelle parti nel Ponteficato di Papa Innocenzo XII, di fel.mem. e l'altro D. Filoteo Zassi, oggi vivente; ma perchè detto Monastero non può mantenere se non pochi Monaci, oggi non vi sono soggetti abili per detta carica. Vi sarebbe in Grottaferrata il P.D. Nicodemo Wober, Romano, figlio di Svizzero di anni 33 incirca, che ha studiato nel Collegio Greco le lettere greche, e latine, possedendo anche la lingua svizzera, ma bisogna essere dispensato di poter passare dagli azzimi al fermentato, che Nostro Signore non ha voluto permettere à i PP. Tedeschi della Compagnia (f. 591) di Giesù per le Missioni de' Greci. E finalmente si potrebbe far diligenza nella Congregazione de' Basiliani

<sup>296</sup> Praefectus S.C. de Prop. Fide, Josephus Sacripante (1704-1727).

Ruteni di Polonia, per quei che havessero studiato detta lingua greca, giacchè fanno il Rito Greco Orientale, come faceva il fu Monsignore de Camillis, Predecessore in detto Vicariato Apostolico di Monkaz.<sup>297</sup> Et in Roma vi sarebbero anche à proposito il R.D. Gio. Stai, Sacerdote greco, ritornato dalle missioni, et il Sacerdote Pangalo, scrittore di lingua greca nella Biblioteca Vaticana, che fu già Alunno del Collegio Greco. Questo è quanto mi occorre informar V.E. sopra questo particolare, et attendendo l'onore incomparabile di altri suoi riveritissimi comandi, con tutto l'ossequio di altri suoi riveritissimi comandi, con tutto l'ossequio le fò humilissima riverenza, e le bacio inchinato la S. Porpora.

Roma, 4 Ottobre, 1709.

Di V.E. Rev.ma

umil.mo, divot.mo et oblig.mo Servitore

PIETRO MENNITI

Abbate Generale dell'Ord. di S. Basilio

### 123.

Roma, 27.IX.1709.

*P. Sylvester Pieszkiewicz proponit quaedam subiecta pro Vicariatu Apostolico Mukačoviensi.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1709, vol. 569, fol. 603-605.

Illustrissime et R.ndme Domine, Domine et Patrone mi Colend.me.

Sacra Congregatio Propagatrix Fidei et Religionis Catholicae, sub die 23 currentis mensis, mediante Ill.ma Dominatione Vestra iniunxit mihi, ut propter maius lumen illius, pro vacanti Vicariatu Apostolico Monkaczoviensi in Ungaria, cum distincta notitia qualitatum, subiecta sufficienter apta, eaque magis habilia insinuem. Cuius obtemperando nutibus, cum omni qua par est reverentia et submissione propono, ut sequitur.

P.m: - Patrem Policarpum Filipowicz. Is, Pragae in Bohemia studuit, deinde in Collegio Graeco finitis studiis factus Sacrae Theologiae doctor,<sup>298</sup> ex hoc Collegio redux in Patriam, primo Magister Novitiorum fuit Bitheniis, postea Superior Chomscensis; ex hoc Superioratu Romam (f. 603v) missus, cum omni dexteritate, prudentia, pietate, et exemplaritate undecim annis Procuratorem Generalem Ordinis egit, hinc Sacra Congregatio per modum Missionarii destinaverat illum ad Dominum Episcopum Leopoliensem defunctum; modo invenitur ad latus Ill.mi Domini Episcopi Praemislien., Electi Metropolitae Russiae.

2.um: - Patrem Samuelem Solikowski, Collegii de Propaganda Fide Alum-

<sup>297</sup> Josephus Joannes De Camillis, OSBM, Procurator in Urbe, et dein, ab an. 1689, Episcopus tit. Sebastenus et Vicarius Apost. Mukačoviensis (1689-1706). Cfr. notam 187.

<sup>298</sup> P. Polycarpus Filipovič, Procurator in Urbe (1690-1700); cfr. notam 250, 262.

num,<sup>299</sup> primo professorem Philosophiae Vladimiriæ, ad praesens Vilnae in Lithuania Superiorem, Religiosa exemplaritate conspicuum.

3.m: - P. Melchiorem Losowicz, Alumnum Coll. Olomucensis, qui nunc Praedicatorum agit Chelmae, morum probitate, et doctrina insignem.

Ex quibus, meo iudicio, dictante recta (f. 675) conscientia aestimarem prae aliis magis esse praeferibilem Patrem Policarpum et hic, inter alias dotes et qualitates suas, in lingua etiam Graeca habet aliqualem praxim, potestque Divina Officia optime peragere. Siquidem in hoc praedicto Vicariatu Apostolico in Hungaria Monkaczoviensi plurimi inveniuntur Graeci, permixti Ruthenis. Quem, mecum ipso, uti et praedictos alios supremæ Sacrae Congregationis dum subdo dispositioni, perenni cultu, et observantia maneo.

In Hospitio SS.m Sergii et Bachi, die 27. 7bris, 1709.

Ill.mae et R.ndmae Dominationis Vestrae  
humillimus et obsequiosus Servus

Pater SILVESTER PIESZKIEWICZ

Ord. S. Basilii

Congregationis Ruthenorum Procurator Generalis  
(mpria)

(f. 604) Ill.mo et R.ndmo Domino, Protectori et Benefactori meo Colendissimo, Domino Silvio de Cavaleriis, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario.

## 124.

Roma, 17.III.1710.

P. Sylvester Pieszkiewicz, Procurator in Urbe, de P. Cyrillo Szumlanskyj, ut Candidato ad Sedem Chelmensem, et explicat cur antea eius Coadiutoriae Leopoliensi opponeretur.

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1710, vol. 571, fol. 387-388.

Ill.me ac Rev.me Domine,  
Domine et Patrone Colendissime.

Debita praemissa observantia Ill.mae Dominationi Vestrae, ex debito Officij mei, ad quae teneor, haec pauca insinuo. Scriptum est ad me Varsavia, quod plurimi Senatores Regni Poloniae R.P. Cirillum Szumlanski,<sup>300</sup> ex Ordine nostro Basiliano, Nepotem Domini Episcopi Leopoliensis defuncti, ad

<sup>299</sup> P. Jacobus Solikowskyj, OSBM, Secretarius Ordinis, Alumnum pontificius. Cfr. notam 281.

<sup>300</sup> P. Cyrillus Szumlanskyj, nepos Josephi Szumlanskyj, olim candidatus in Coadiutorem Leopoliensem, quam Coadiutoriam non obtinuit; postea, post brevem administrationem Chelmensem, apostatavit et venit Kioviam et a Metropolita non-unito consecratus fuit Episcopus, et ad Sedem Luceoriensem praetendebat, post incarcerationem Episcopi Dionysii Zabokryckyj. Cfr. de illo plurima documenta in *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, pag. 26-29, nr. 643-7.



Episcopatum Chelmsensem promovent. Quia vero ego, dum promovebatur ille ad Coadiutoriam Leopoliensem, a duobus, vel tribus annis, nomine Metropolitae defuncti,<sup>301</sup> ne haec in personam suam succedat, vigore Commissionis mihi datae, ex rationibus, quas dictus Metropolitae suggererat, scilicet: Quod iste Pater Cirillus noviter accessit ad Unionem Sanctam, et quod non habeat sufficientem doctrinam. Nihil sciendo de qualitatibus Patris Cirilli, sed nude, et simpliciter fundatus in Relatione sive Instructione mihi transmissa, a Metropolitae praeterito, acriter instabam, et impediebam, ne promoveatur. Quibus auditis Sacra Congregatio iussit scribere super hoc ad Ill.mum Dominum Piazza pro tunc Nuncium Poloniae,<sup>302</sup> ut supersedeatur ab hac promotione, intuitu cuius etiam et modernus Ill.mus Dominus Nuncius facit aliquam difficultatem promotioni ipsius.<sup>303</sup> Modo vero, dum aliter sum informatus, et mihi pro certo constet, nullum esse periculum perversionis ex eo, quod sit noviter conversus ad fidem, siquidem de hoc optime scio, et quoad bonitatem, ac disciplinam religiosam, est omni modestia, probitate morum, et exemplaritate conspicuus Religiosus. Ad (fol. 387v) doctrinam vero quod attinet, Theologus speculativus non est, sed tamen aliunde, hoc est: Quod sit peritissimus in Ritu nostro, et Cerimoniis ecclesiasticis, ac in Theologia morali sat eruditus, posset esse sufficiens, et dignitatis Episcopalis capax; habendo scrupulum in conscientia, recurro ad Ill.mam Dominationem Vestram, ut consummatissima sua prudentia, et dexteritate, si aliqua mentio in Sacra Congregatione de praedicto Patre Cirillo fiet, me excusatum faciat, si illi, solummodo anterioris instantiae factae a me nomine Metropolitae defuncti, et non aliquid aliud, pro impedimento, obstaculo, ac obice erunt, nec non etiam Eminentissimis Patribus repraesentare velit, quod hoc non procedebat ex me, neque per hoc praetendo unquam praeiudicare illi. Immo, prout postea adverti, sine scrupulo fateri cogor: Quod defunctus Metropolitae satius ex odio Domini Episcopi Leopoliensis, uti Avunculi Patris Cirilli, faciebat hoc, nullomodo nolendo, ut sit Coadiutor suus Nepos, ex quo de Metropolia Haliciensis litigabant secum. Potest itaque meo iudicio, si ita Eminentissimis Patribus videbitur, exclusa omni sinistra opinione, Pater Cirillus secure ad Episcopatum Chelmsensem promoveri, et quod maximum, quod hac sua Promotione magnam sequelam consanguineorum, et Colligatorum, qui plurimum valent in Regno Poloniae, suntque vix non omnes ad praesens in Schismate, potest post se trahere ad Unionem Sanctam, sperando firmissime, quod haec illius promotio, non cum detrimento, sed potius cum maiori Religionis Catholicae augmento erit, praecipue vero, quando in hac dioecesi Chelmensi, tam Clerus, quam Populus ab antiquo Unitus (fol. 388) est bene radicans in fide, ex qua ratione, dato etiam casu, quod ille Unitus non fuisset verus,

---

<sup>301</sup> Leo Slubicz - Zalenskyj, Metropolitae Kioviensis (1695-1708). Obiit die 21.VII.1708.

<sup>302</sup> Julius Piazza, Nuntius Varsaviensis (1706-1707).

<sup>303</sup> Nicolaus Spinola, Nuntius Varsaviensis (1707-1712).

sed tantum quoad appartentiam, ullum unquam potest adesse periculum Immo, modernus Dominus electus Metropolita Russiae,<sup>304</sup> qui est informatissimus de vita, et moribus Patris Cirilli, si animadverteret quid contrarii in illo, utique huic Promotioni nequaquam faveret, sed eam fortissime ubique et omnibus impediret modis. Alias si non promovebitur, timendum, ne Consanguinei, et Collegati Patris Cirilli, vindicando honorem illius, habentes hoc pro summo contemptu, ex malitia se convertant ad Moscovitas, cum quibus, sive quorum praepotentia, maximos rumores, turbationes, ac oppressiones facient Unitis. Quae omnia, pro solita sinceritate, ac devotione mea referendo, altissimae Sacrae Congregationis dum subdo considerationi, hoc inviolabili appromitto fide quod, quoad vixero, sum, et ero.

Ill.mae D.nis Vestrae, D.ni, ac Patroni mei Col.mi  
humillimus et obsequentissimus Servus

SYLVESTER PIESZKIEVICZ

Ord. S. Basilii M. Procurator Generalis

Ex Hospitio SS. Sergii et Bachi, die 12 Martii 1710.

125.

*Ex Russia, an. 1711-1740.*

Iam ab anno 1711 notari debet novus fons documentorum Basilianorum nempe volumen quintum *Litterarum Episcoporum Historiam Ucrainae Illustrantium: 1711-1740*, qui inter alia documenta habet etiam plurimas Litteras Basilianorum eparchiarum Leopoliensis, Peremysliensis, Chelmensis, Volodimiriensis, Polocensis, Mukačoviensis etc., quae omnes eparchiae administrabantur a monachis Basilianis, prout de iure et usu huius temporis. Etsi negotia principaliora tractabantur a Metropolitanis Kioviensibus et etiam negotia Ordinis Basiliani, tamen et Episcopi Basiliani de necessitatibus sui Ordinis scribebant, eiusque negotia et difficultates tum in eorum eparchiis tum Romae pertractabant, etsi saepe etiam lites administrativas gerebant. Proinde ad plenioram intelligentiam negotiorum Basilianorum etiam hae Litterae consulendae sunt.<sup>305</sup>

126.

*(Ex Russia), 3.V.1711.*

*Quidam Presbyter Basilianus defert de Josepho Hodermarskyj ad Metropolitam Kioviensem, de variis abusibus characteris moralis et oeconomici.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1711, vol. 578, fol. 476rv.

<sup>304</sup> Georgius Wynnyckyj, Metropolita Kioviensis, tunc adhuc Nominatus solummodo, ob duplex regimen politicum Regni.

<sup>305</sup> WELYKYJ A. G., OSBM, *Litterae Episcoporum historiam Ucrainae illustrantes*, vol. V: 1711-1740, Romae 1979.

Copia literarum ad Ill.mum Metropolitam Russiae, in causa D. Joannis Josephi Hodermarski, a certo quodam Presbytero Religioso. Die 3 Maii 1711.

Minime ausus sum hucusque Ill.mum ac Excellentissimum Dominum meum Clementissimum (sciens aliunde publicis de conservatione Hierarchiae ac continuis occupatum esse curis) tanquam ignotus exigua molestare litera mea. Cum vero nunc transeundo per inclytam Archidioecesim Praemisliensem, mirabilia et quidem inaudita, a certis et fide dignis tum Spiritualibus tum Saecularibus utriusque Ritus personis, de transactionibus R.P. Joannis Josephi Hodermarschi, ficti Episcopi Monkaczinensis,<sup>306</sup> perceperim, idcirco easdem Ill.mo ac Excell.mo Domino, Domino Archipraesuli nostro gratiosissimo<sup>307</sup> referre non moror. 1°, quod Dominus Hodermarski incedit in vestitu et ornatu Episcopali; 2°, Personas consecrat in Subdiaconos et Diaconos, et ut a quibusdam audivi etiam in Presbyteros; 3°, in ecclesiis Romanis in pane azymo in districtu Graeco celebrat; 4°, a Presbyteris per districtum Monkacivensem, Homonensem, Strobkovicensem per octodecim florenos Hungaricales extorquet; 5°, Presbyteros bene habiles, adhibito brachio saeculari, captivat, in compedes proiicit, ab iisdem tributa ad placitum extorquet; 6to cum conscriptis praedonibus hinc inde per montana vagatur, homines ex substantia tum mobili, tum immobili exuit; 7mo, personas in censuris ecclesiasticis existentes ex aliis Dioecibus, etiam ex Praemisliensi recipit iisdemque beneficia confert; 8vo, Presbyteris uxores secundas ducere benedicit; 9no, cum scandalo maximo tum haeticorum tum Catholicorum vitam gerit; 10mo, Hoc etiam defero, quod certa persona Hungara donavit titulo eleemosinae tribus Monasteriis Dioecesis Praemisliensis, Dobromilensi, Lauroviensi, et Smolnicensi Sanctimonialium tria vasa vini, quae Dominus Hodermarski interceptit, et sibi appropriavit. Id etiam non sit molestum Ill.mo D. legere, quanta debita contraxit D. Hodermarski. 1°, R.P. Gabrieli Heveniensi, Soc. Jesu, Rectori Tyrnaviensi, tenetur 3000 m. Cuidam nobili in Silesia, nomine Ituk, mille taleros. Fratri eiusdem centum taleros. Praelatis hinc inde, tum in Polonia, tum in Moravia, Austria quantum non scio. Praeter hoc quod accepit ab augustissima Aula scilicet primo centum ducatos, secundo 500 Imperiales, sponderit se laturum, vel vivum, vel mortuum Rakocium Viennam. De oppignoratione certi thesauri ecclesiae Munkacinensis apud R.dnum Dominum Decanum Zorensem, non procul Plesna, alias Polonice Pszczyzna, iam per Admodum R.D. Baczynski relationem feci. Dignetur itaque Ill.ma Dominatio Vestra haec omnia altissimo iudicio suo perpendere, iisque opportunum remedium prospicere. Haec dum tum pro conservatione Episcopatus Munkacinen., tum pro exoneratione meae conscientiae sincere defero, demum Ill.mi Domini Archipastoris Laciniam sacri pallii devotissime exosculor.

---

<sup>306</sup> Joannes Hodermarskyj, OSBM, candidatus imperialis in Episcopum Mukačoviensem, cui candidaturae contrariabatur Sedes Apostolica, ob causas morales.

<sup>307</sup> Metropolitae Kioviensi, Georgio Wynnyckyj (1708-1713)

127.

*Leopoli, 18.XI.1711.*

*Basiliani referunt de Capitulo Unioviensi et transmittunt Acta ad S. Congregationem, cum petitione approbationis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1712, vol. 581, fol. 186rv.

Emin.mi ac Revd.mi Domini,  
Domini Patroni Col.mi et Benefactores Amplissimi.

Humilis Congregatio Ordinis Divi Basilii Magni ad Clementiam Emin.rum Vestrarum Rnd.marum provolvitur, simulque Constitutiones, quae humillime ab eadem praesentantur, ut inviolabilem sibi in perpetuum observantiam acquirant, Sanctissimi Domini Nostri Clementis XI, Universalis Ecclesiae Pastoris et Eminen. Vestrarum Rev.marum approbationem, confirmationem, et Benedictionem una nobiscum implorant. Pro restauranda monastica disciplina in parte labefactata, ob temporum iniuriam, et varias nostrorum totiusque Regni calamitates, convenimus omnes Superiores istius Dioecesis Leopoliensis in Spiritu S. congregati coram Ill.mo et Rev.mo Domino Barlaamo Szeptycky, Episcopo Leopoliensi, Haliciensi, et Kamenecen. Podoliae,<sup>308</sup> Pastore nostro, visisque nonnullis erroribus in Monasteriis, ut tandem pristina S. Patris nostri Basilii Magni Regula ab omnibus uniformiter observetur, quae ad sanctissimam hanc vivendi formam concernunt, unanimi voto, desiderio, et consensu in hac Congregatione Nostra stabilivimus. Et quia ob proventuum penuriam et tenuitatem Monasteriorum, (cum ut plurimum labore manuum nostrarum victum sibi transigere debeamus) nullatenus potuimus ad praesens Monasteria aliqua designare pro Novitiatu constituendo. Ideo consulendo hac etiam in parte (*f. 186v*), eo modo quo potuimus, ut in his Constitutionibus apparere licebit Emin. Vestris Rdn.mis ulteriorem spem, imo totum fundamentum posuimus in paterna Clementia SS.mi Domini Nostri Pontificis et Emin.rum Vestrarum Rnd.marum, a qua totus Orbis gratias derivat, et dum humiliter supplicamus non solum pro confirmatione et approbatione praedictarum Constitutionum, quam pro hac gratia provoluti ad pedes Sanctissimi Pastoris implorantes Apostolicam Benedictionem, manemus deosculando humillime fimbriam Sacrae Purpurae.

Eminentiarum Vestrarum Rnd.marum humillimi, devinct. et oblig.mi Servi

DIONISIUS, Igumenus Monast. Leopoliensis ad S. Georg. et Generalis Consultor Electus, Ord. Sancti Basilii Magni.

PARTENIUS, Igumenus Monasterii Podhorecensis et Generalis Consultor Electus, Ordinis S. Basilii Magni.

Leopoli, 18. 9bris 1711.

---

<sup>308</sup> Barlaam Szeptyckyj, Episcopus Leopoliensis (1710-1715), primum Archimandrita Unioviensis per longa decennia; anno 1681, in Martio, fidem catholicam simul cum Episcopo Leopoliensi Szumlanskyj Varsaviae in Comitibus Regni professus est.

## 128.

Romae, 25.I.1712.

*Regulae Basilianorum Uniovienses considerantur in Congregatione de Prop. Fide.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1712, vol. 580, fol. 181, 182v.

Gli Originali nella Ponenza dell'Emin.mo Barberini, li 14 Marzo di quest'Anno.

(f. 182v) Monsignor Nunzio in Polonia trasmette all'EE.VV. un memoriale della Congregazione de Monaci Ruteni Uniti di S. Basilio Magno nella Diocesi di Leopoli, con supplicare dell'approvazione, e conferma di Nostro Signore delle Regole, e Costituzioni fatte dalla medesima S. Congregazione avanti Monsignor Sceptycki, Vescovo dell'istesso Rito, e Diocesi, à fine di rimettere l'osservanza Monastica tra quei Religiosi, delle quali regole manda un originale autentico, e Monsignor Nunzio soggiunge che il detto Vescovo promove con gran zelo questo affare per il fine medesimo di restituire l'osservanza in quei monasterij.<sup>309</sup>

Die 25 Januarii, 1712: Detur Ponens in forma solita, pro examine actuum Capitolarium.

S. DE CAVALERIJS  
Secretarius<sup>310</sup>

## 129.

Poczajiw, 29.VI.1712.

*Hegumenus Poczajoviensis cum Communitate subditur Episcopo Leopoliensi.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1712, vol. 583, fol. 51rv.

Ill.mo et Rev.mo in Christo Patri, Episcopo Leopoliens., Halicien. et Camenecen. necnon Abbati Uniovien., Domino D. suo Clem.mo.<sup>311</sup>

Ex Poczaj., die 29 veteris stili iunii, 1712.

Ill.me ac Rev.me D.ne et Pastor, Protector et Benefactor Colendissime.

Nullum alium in periclitata pro meta collimandi ad terminum non elegimus securitatis scopum, solum in praeterita Congregatione, in loco signato tanquam directionis virgam, ad quam in periculoso tempore confugere debemus, et non ad aliquem alium, tantum ad directionem Ill.mae Dominationis

<sup>309</sup> Anno 1711 locum habuit s.d. Capitulum Unioviense, ad Sedem Apostolicam pro approbatione transmissum; cfr. in *Epistolae Episcoporum historiam Ucrainae illustrantes*, vol. V: 1711-1740, in initio voluminis.

<sup>310</sup> Secretarius de Prop. Fide, Sylvius de Cavalieri (1707-1717).

<sup>311</sup> Barlaam Szeptyckyj, Episcopus Leopoliensis (1710-1715).

Vestrae, Patroni et Pastoris nostri, sub alas paternae misericordiae (in quo infallibile semper latet respirium) recenter nunc supplicandum, colla nostra submittentes, Pastoralem appetimus protectionem. Etenim die 28 Maii veteris styli in anno currenti 1712, Ill.mus Episcopus Chelmen. Belzen. Administrator Episcopatus Luceorien. et Ostrozen.<sup>312</sup> circuitivevit versus Montem Sanctum Poczaiovien. visitando, et non valens pertingere ad locum loci itineris tractum, igitur ex Sobornii Dubnen. Visitatione literali alias epistola (quam nos excopiatam Rev.mae Dominationi Vestrae Pastori et Patrono transmittimus) nos obdestinat, et ignoramus, ad quam conferentiam pro die (f. 51v) prima Junii veteris styli Luceoriam, pro brevi tempore (prout patet in illius literis) omnino invitatur et ad Ordines aptos conducere mandat. Cui nos praeveniando, et vel maxime suae Rev.mae Dominationis appetitui, nullum alium Pastorem volumus, et obedientiam nullam ulli Pastori praestare non intendimus, duntaxat huic, sub unius scutum Congregationis directionis omnem submissionem, cunctam obedientiam supposuimus, et obligavimus, atque nunc obligamus, ac obligare in futurum desideramus. Nunc vero filialiter, ut hic Rev.mae Dominationis zelus literali stylo Ill.mae Dominationis Vestrae, Pastoris nostri Col.mi sit repudiatus, exposcimus. Cuius Pastoralis benedictioni nos inclinantes, hoc concludimus, quod simus.

Ill.mae ac Rev.mae Dominationis Vestrae, Protectoris et Pastoris obediens Filius et sempiterni Exorator

IEROMON. ARSENI KUCZAROWSKI, Ihumenus M. POCZAIOWSKI cum omnibus Fratribus (mpr)

## 130.

*Ex Russia, 1714-1762.*

Ab hoc anno iungenda nobis videntur alia documenta Basiliana, nempe Litterae trium Metropolitanarum Kioviensium, qui erant Basiliani, majora negotia Ecclesiae Unitae tractabant ex eorum officio metropolitico, nempe agitur de volumine quarto *Epistolarum Metropolitanarum Kioviensium Catholicorum: Leonis Kiszka, Athanasii Szeptyckyj, Floriani Hrebnyckyj: 1714-1762*, anno 1959 edito et paginis 1-412 constante. Iustum est, ut de his documentis hic sermo instituat eaque hic consulantur, quia formam vitae Basilianam profitebantur, Capitulis generalibus praesidebant, negotia Ordinis pertractabant, ut deicit Capita Ecclesiae Unitae, cuius Ordo Basilianus potiore constituebat partem cuiusque efflorescentia erat signum florescentiae Ecclesiae Ruthenae Unitae.<sup>313</sup>

<sup>312</sup> Josephus Levyckyj, Episcopus Chelmensis (1711-1730).

<sup>313</sup> WELYKYJ A. G., OSBM, *Epistolae Metropolitanarum Kioviensium catholicorum: Leonis Kiszka, Athanasii Szeptyckyj, Floriani Hrebnyckyj (1714-1762)*, Romae 1959.

## 131.

Luck, 23.VII.1712.

*Hegumenus Poczajoviensis et Communitas monastica Sedi Apostolicae Fidem suam Catholicam profitentur, Stauropegion amplexant et Episcopo Leopoliensi subduntur etc.*

APF, *Scr. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1712, vol. 583, fol. 496-497.

Eminentissimi ac R.ndmi Domini,  
Domini, Patroni Colendissimi et Benefactores Munificentissimi.

Haec est quinta dies, quam fecit Dominus, dum nos et Religiosam universitatem nostram, a tot annis per devia errantes, illustratione Spiritus Sancti, tandem in recta reduxit et plena verumque monstravit Fidei Catholicae in petra Petri Oville, ad quod venientes supremum ac universalem Patrem submississimo poplite adoramus, et nostrum verum agnoscentes profitemur Pastorem, filialem nostram demittendo observantiam, currimus in odorem suavitatis, et supremae benedictionis ac protectionis eius, non dubitantes, quod sicut Pater benignissimus filios prodigos, sicut aquila pullos suos sub umbram alarum suscipiet.

Dedimus iam rei documenta in manibus Illustrissimi et R.ndmi Domini Szeptycki, Episcopi Ritus nostri Leopoliensis<sup>314</sup> et cum scitu Excellentissimi et Religiosissimi in Christo Patris Domini Trombetti,<sup>315</sup> Denuntiavimus haec nostra solemnia vota, et irrevocabiles intentiones Illustrissimo, Excellentissimo ac R.dmo Domino Nuntio, Patrono nostro Colendissimo; Eminentissimis quoque ac R.ndmis Dominationibus Vestris, Patronis nostris Colendissimis humillime supplicandum operae pretium duximus, quatenus haec eadem vota, et cuncta desideria nostra suo patrocinio, et efficaci gratia coronare non dedignentur.

Monasterium nostrum Poczajowiense a Magnifico Domino piae memoriae Theodoro Domaszewski, Nobili et Officiali, ab annis circiter centenis in nomine SS.mae Trinitatis fundatum, miraculis B.mae Virginis Mariae clarum, per eundem Fundatorem Ecclesiae Constantinopolitanae et Regulae Stauropigianae (f. 496v) dictae coniunctum fuerat, ac demum per varios bellorum aestus propinquius ad Archi-Episcopum Moschoviticum translatum. Cui nos cum Religiosa Universitate unanimi voto, et uno ore renuntiavimus, praesentibusque in solemnibus formis renuntiamus, et tanquam perniciosum actum detestamur; atque in praemissis ad Eminentissimas ac Rd.mas Dominationes Vestras, Patronos Colendissimos, recurrimus supplices, quatenus in virtute iurium et privilegiorum Stauropigion, prout antea ab ipso Constantinopolitano, ita ad praesens ab ipso Summo Pontifice totius Universi Patre et Domino pendeamus protectioneque ac Iurisdictione eius contra omnes insultus, mole-

<sup>314</sup> Barlaam Szeptyckij, Episcopus Leopoliensis, Haliciensis, Camenecensis (1710-1715).

<sup>315</sup> P. Stephanus Trombetti, Theatinus, Rector Pontificii Collegii Armenorum et Ruthenorum Leopoliensis (1706-1723).

stias, conatusque in contrarium valentes gaudeamus. Nihilominus, ex quo apud nos vel maximum, ut recenti Congregationi omnium Monasteriorum Regulae S. Basilii Magni in terris Leopoliensi, Haliciensi, et Kamenecensi in Podolia existentium, anno praeterito expeditae, et sub directionem, protectionem, patrocinium ac tutelam supra nominati Illustrissimi et Rnd.mi Domini Szeptycki, Episcopi Leopoliensis, de unanimi omnium Congregatorum assensu datae ac commissae incorporemur, Superintendentiamque eius mediatam habeamus, quam obnixissime exoramus. Nam haec Congregatio antiquo a nobis culta maxime congrua et consona visa est, et vel maximum dedit nobis motivum, rapiuntque omnium Nostrorum animos ad gremium S. Ecclesiae, ut ea occasione membra eiusdem Congregationis efficiamur.

(f. 497) Nemo certe melius operare pro Fide, et inter nos Unionem Sanctam stabilire ac ampliare potest, quam haec Congregatio et pretiosa Unio Ritus nostri, Illustrissimus Episcopus Leopoliensis, Director, Protector praemissae Congregationis.

Geminatis itaque vicibus capita nostra et captivas subiicimus mentes, Sanctissimum in Terris Vicarium exorantes Numen, ut praemissis votis et desideriis nostris adsit propitium, benedicere eadem, regere, custodire, et nos ipsos susceptos protegere, eademque desideria nostra, proposita, de plenitudine sanctitatis et gratiae suae non aliter coronare dignetur. Interim DEUM Optimum Maximum omni votiva oratione incessantibus precibus exorantes, manemus.

Luceoriae, die 23 Iulii 1712.

Eminentissimarum ac Rnd.marum Dominationum Vestrarum, Dominorum Patronorum Colendissimorum ac Benefactorum Munificentissimorum humillimi Servi et indigni Exoratores

Pater ARSENIUS KUCZAROWSKI

Praepositus Monasterii Poczajowiensis (mpr)

P. MACARIUS WIELKOPOLSKI, Vicarius eiusdem monasterii (manu propria)

P. JUSTINIANUS KOZAKIEWICZ, Minister eiusdem Monasterii (mpr)

(fol. 297v) P. PAISSIUS POKYDANOWICZ, Zakrystianus eiusdem Monasterii (mpr)

P. EUSTACIUS KUCEWICZ, Confessarius eiusdem Monasterii (mpr)

GEDEON LENWIRSKI, Dyaconus et Consultor eiusdem Monasterii (mpr)

PACHOMIUS WYZGERT ZABLOCZKIY, Procurator eiusdem Monasterii (mpr)

132.

*Bereslja, 17.I.1714.*

*Protoarchimandrita Basilius Procevicz instat pro admissione Alumnorum in Collegium Propag. Fidei, et supplicat pro incorporatione monasteriorum eparchiae Leopoliensis Congregationi SS.mae Trinitatis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1714, vol. 591, fol. 531.



Eminentissimi Romanae Ecclesiae Cardinales,  
Domini et Benefactores Colendissimi.

Quondam in Urbe Alumnus Collegii de Propaganda Fide, nunc in Religione Protoarchimandrita Ordinis,<sup>316</sup> humillima pagina veneror Purpuratorum coetum plantasque amplector Eminentissimarum Dominationum Suarum, humile caput cum membris Unitis ad pedes prosternens. Praebete supplici, Eminentissimi Domini, benignam aurem et quod peto cum tota Congregatione Basiliana SS.mae Trinitatis benignissime exaudite. Hoc vero est non aliud, nisi ut pristinos favores, indultos Congregationi nostrae in suscipiendis Religiosis nostris ad Collegium de Propaganda Fide, pro studiis et in subministrando viatico pro reditu, denuo gratiosissime renovetis calamitatisque Monasteriorum nostrorum inter tot discrimina patriae existentium nec valentium exsolvere contributiones gravissimas, clementissime per hoc succuratis.

Secundum est, quod Congregatio nostra Basiliana Lituana SS.mae Trinitatis humillime expetit apud Eminentissimas Dominationes Vestras, ut speciali Decreto Sacra Congregatio de Propaganda Fide dignetur confirmare Seminarium Premysliense, quod piae memoriae Ill.mus Metropolitanus<sup>317</sup> regendum et gubernandum commisit, ad nos pertinere et spectare.

Tertio supplicat Congregatio nostra ad Eminentissimas Dominationes Vestras, ut Monasteria Dioecesis Leopoliensis, inhaerendo Decretis S. Sedis Apostolicae et S. Congregationis de Propaganda Fide, Autoritate Apostolica Congregationi nostrae incorporarentur et ad eiusdem unum Protoarchimandritam totius Russiae spectent atque Capitulum, in quo Leopolienses Basiliani alium sibi Protoarchimandritam elegerunt, Dominum Episcopum Leopoliensem Ritus nostri cassetur et annihiletur.<sup>318</sup> Hoc omnium filiorum Eminentissimis Vestris obsequentissimorum electus in Congregatione nostra Pater humillime imploro et maneo.

Eminentissimarum, Celsissimarum Dominationum Vestrarum  
humillimus Servus et Exorator obligatissimus

BASILIVS PROCEVICZ

Ord. D.B.M. Protoarchimandrita, S.B. (m. propria)

Datt. Bresta, die 17 Januar. 1714.

<sup>316</sup> P. Basilius Procevyč, OSBM, Protoarchimandrita (1713-1717). Alumnus pontificius Coll. de Prop. Fide, ingressus in Collegium in aetate 20 annorum die 23.XI.1693, absolutis studiis philosophiae et theologiae et obtenta Laurea et viatico exiit die 8.V.1699; cfr. D. BLAZEJOWSKYJ, *Ukrainan and Bielorrussian Students...*, in « *Analecta OSBM* », vol. XV, pag. 208-209.

<sup>317</sup> Georgius Wynnyckyj, Metropolita Kioviensis (1708-1713).

<sup>318</sup> In Capitulo locali Unioviensi an. 1711, in Augusto, electus fuit Superior monachorum eparchiae Leopoliensis Episcopus Barlaam Szeptyckyj, quae electio hic cassanda proponitur in favorem Superioris Generalis Russiae.

## 133.

Zyrovyci, 4.II.1714.

*Protoarchimandrita cum Consilio generali instant apud Congr. de Prop. Fide pro conservatione ordinis et iurium.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1714, vol. 596, fol. 231rv.

Eminentissimi ac Celsissimi Principes Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinales,  
Domini et Patroni Amplissimi.

Ea, quae in Congregatione nostra Generali Vilenſi<sup>319</sup> a nonnullis iunioribus Religiosis, novam in Ordine anhelantibus reformationem, acta sunt, in eversionem antiquae et continuae praxis, Decreto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, stante Regimine Metropolitanò Domino Cypriano Zochowski, roboratae, fusiori detulerunt stylo Ill.mi et R.ndissimi Domini Unitae Russiae Antistites. Nos vero, quorum curae et sollicitudini Ordinis nostri est deman data provincia, cum profundo expetimus cultu, quatenus Eminentissimae Celsitudines Vestrae, sublatis novitatibus, Ordinem (f. 231v) Basilianum penes antiqua iura et privilegia, gratiosissime Vaticanis roborata oraculis, conservare velint, et manum tenere dignentur. Supplicem deinceps hisce claudimus libellum, quod penes osculum fimbriarum uniuscuiusque Purpurae maneamus.

In Monasterio Zyrovicensi, sub tempus Consultorij nostri, die 4ta Februarii, Anno Domini 1714.

Eminentissimarum Celsitudinum Vestrarum humillimi perpetuique Servi

BASILIVS PROCEWICZ

O.D.B.M. Protoarchimandrita

JOANNES OLESZEWSKI, Ord. D.B.M. Consultor, Sup. Bithenensis

ANTONIUS ZAWADZKI, O.D.B.M. Consultor, Superior Zyrovicien.

DEMETRIUS ZANKIEWICZ, O.D. Basilii Magni, Secretarius

LAURENTIUS KOPARSKI, O.D.B.M., Consultor, Superior Polocen.

POLYCARPUS MIHUNIEWICZ, Ord. D.B.M., Pro-Consultor (mpr)

## 134.

Berezvecz, 20.VIII.1714.

*Protoarchimandrita instat pro admissione in Collegio Urbano duorum Alumnorum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1715, vol. 597, fol. 68.

---

<sup>319</sup> Capitulum Generale Vilenſe, 25-31 Julii, 1713, sub praesidentia Metropolitanæ Wynnyckyj, in quo Capitulo praesertim quaestio agebatur de advitalitate Consultorum; erat propositio terminum ad quadriennium limitare, ut Officium Protoarchimandritae; propositio acceptata est, et Superior electus P. Basilius Procevyč, cfr. notam 316.

Eminentissimi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales,  
Domini et Benefactores Colendissimi, Observantissimi.

Praemissa debita Eminentissimis Dominationibus Vestris veneratione et solita cultus observantia, humillime cum paupera mea Religione supplico ad Eminentias Vestras, ut Fratres duo Ordinis nostri (pro quorum expeditione in Urbem tota Provincia nostra, summe afflicta militum oneribus, aliquid contribuit, reliquum mutuo acceptum) admittantur ad Collegium de Propaganda Fide, idonei formandi Operarii ad vineam Christi.<sup>320</sup> De gratia Eminentissimarum Dominationum Vestrarum firmam spem habeo, quod zelantes pro domo Domini Eminentiae Vestrae precibus Provinciae nostrae, promoventis Unionem Sactam, dignabuntur benignam suppeditare aurem et intentionibus eius in negotio his specificato benevole favere. De caetero supplex ad plantas Eminentiarum Vestrarum Congregationi nostrae singulare Patrocinium et Fratribus e medio nostri in Urbem missis specialem favorem submissee implo-ro et maneo.

Eminentissimarum Celsitudinum, Dominationum Vestrarum  
observantissimus Cliens et quotidianus Exorator

BASILIVS PROCEWICZ

O.D.B.M. Protoarchimandrita, S.B. (mpria)

Datt. Berezvecii, die 20 Augusti 1714.

135.

*Berezvecz, 20.VIII.1714.*

*Idem Secretario de Prop. Fide eiusdem argumenti admissionis Alumnorum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1715, vol. 597, fol. 69.

Illustrissime et R.dssime Domine,  
Domine et Benefactor Clementissime.

Scripsit ad me Admodum R.dus Pater Procurator noster Generalis in Urbe,<sup>321</sup> quod Ill.ma et R.dssima Dominatio sua, ex speciali favore erga Ordinem nostrum, maximis calamitatibus afflictum, declaravit pro duobus Fratribus nostris, futuris Alumnis, gratiam et locum in Collegio de Propaganda Fide. Declarationem Ill.mae et R.dssimae Dominationis suae gratiosissimo suscepti animo, et modo deferens humillima mea obsequia ad effectum deducendam hanc declarationem maxime implo-ro. Fratres duos, ponens spem firmissimam in gratia Ill.mae et R.dssimae Dominationis suae, mitto ad Collegium de

<sup>320</sup> Revera anno 1714, die 28 Decembris ingressi sunt in Collegium de Prop. Fide Basilius Polatylo et Ignatius Kulczynskyj, qui postea in Ordine Officia Protoarchimandritae et Procuratoris in Urbe egerunt. Cfr. de his infra.

<sup>321</sup> Procurator in Urbe Benedictus Trulevyč (1712-1726).

Propaganda Fide pro studio Philosophico.<sup>322</sup> Quos speciali patrocínio et protectione Ill.mae et R.dssimae Dominationis suae cum integro Ordine Congregationis nostrae Lituanae recommendans maneo.

Ill.mae et R.dssimae Dominationis Suae  
obsequentissimus Servus et Exorator  
BASILIUS PROCEWICZ

O.D.B.M. Protoarchimandrita, S.B. (mpr)

Datt. Beresvecii, die 20 Augusti 1714.

## 136.

*Berezvecz, 30.X.1714.*

*Litterae obediales Protoarchimandritae pro P. Stanislao Pogorzelski translationis ex Monasterio Czerlonensi in Darov.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Pol. e Ruteni*, vol. 4, fol. 201.

BASILIUS PROCEWICZ, Ordinis Divi Basili Magni Proto-Archimandrita, S. Theologiae Doctor, Superior Berezvecensis.

Venerabili Admodum Reverendo in Christo Patri Stanislao Pogorzelski, Ordinis Divi BASILIJ Magni Presbytero,<sup>323</sup> salutem in Domino.

Volumus in Domino, idque in virtute Sanctae Obedientiae districte praecipimus, quatenus Reverentia Vestra, devolutis ad manus suas hisce Literis nostris obedialebus, illico e Monasterio Czerlonensi transferat se ad Monasterium Daroviense, ibi ea quae concernunt munus exemplaris Superioris, spe futurae in Coelis mercedis, cum omni perficiat sedulitate.

Dabantur Berezvecij, die 30 Mensis Octobris, Anno 1714.

MATTHAEUS KOZACZENKO,<sup>324</sup> O.D.B.M.

Secretarius R.mi Protoarchimandritae (mpr)

Idem qui supra. Basilius Procewicz,  
O.S.B.M. Protoarchimandrita, S.B. (mpr)

## 137.

*Vilna, 21.II.1717.*

*De impossibilitate solutionis debitorum Procopii Hodermarskyj.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Generali*, a. 1717, vol. 608, fol. 452.

<sup>322</sup> Agitur de Alumnis Polatylo et Kulczynskyj; cfr. supra, nota 320.

<sup>323</sup> P. Stanislaus Pogorzelskyj postea Romae inventus est secundo decennio, ubi et P. Wietrzynskyj tunc erat in Processu Apostolico depositionis. Cfr. notas infra positas.

<sup>324</sup> Matheus Kozaczenko, tunc Secretarius Ordinis, Alumnus pontificius Coll. Graecorum ingressus est Collegium die 14.XI.1698, ubi et ordinatus fuit usque ad praesbyteratum, et Laurea in Philosophia et Theologia insignitus, discessit die 10.VI.1704; dein Secretarius Generalis tempore Basili Procevyč et Antonii Zavadskyj (1713-1717; 1719-1723; 1724-1726).

Eminentissimi, Excellentissimi ac Rn.dmi Domini,  
Domini, Patroni Colendissimi Observand.mi.

Quoniam post S. Sedem Apostolicam, immediatam agnoscimus potestatem S. Congregationis de Propaganda Fide, ad eandem recursum facimus in negotio Ordinis nostri, quod iam praemissa omni veneratione expono. Profusus noster nomine et cognomine Procopius Hodermarski<sup>325</sup> fuit in convictu Olomucensi, non tanquam Alumnus, sed tanquam Convictor ex provisione scilicet Fratris sui Josephi Hodermarski.<sup>326</sup> Postquam autem non suffecit dicta provisio praefato Procopio instabat Frater Provisor eiusmodi Procopii, quatenus Rn.dus Pater Regens convictus Olomucensis contrahat debitum centum Imperialium pro sustentatione dicti Procopii. Contraxit itaque R. Regens debitum, idque inscia Religione nostra, nunc autem eiusmodi contracti debiti apud nostram Religionem requirit serio exsolutionem, etiam sub comminatione non admittendi amplius Fratres nostros ad Alumnatum. Quae praetensio sitne aequa necne, altissimum Eminentiarum Vestrarum iudicium discernere velit, cum toto Ordine meo Eminentissimis Suis supplico. Et cum omni veneratione maneo.

Vilnae, die 21 Febr. 1717.

Eminentissimarum, Excellentissimarum ac Reverendissimarum Dominationum Vestrarum

obsequentissimus Cliens et Exorator  
BASILIVS PROCEWICZ  
Ord. S.B.M. Proto Archimandrita,  
S.B. (mpr)

138.

*Novogrodek, 16.VII.1717.*

*Litterae obedienciales translationis ex Monasterio Vilnensi ad Rozanense.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, fol. 202.

...Michaël Wietrzynski Ordinis S.B.M. Protoarchimandrita, nec non Superior...

Admodum Rn.do in Christo Prof. O.D.B. Magni Praesbitero.<sup>327</sup>

Volumus in Domino, idque in virtute Sanctae Obedientiae stricte praecipimus, quatenus Paternitas Sua, devolutis ad manus suas hisce nostris obe-

<sup>325</sup> Procopius Hodermarskyj, frater Josephi, Nominati Mukačoviensis; hic, Convictor Olomucensis, debita contraxit et Rector ea solvenda ab Ordine Basiliano Rutheno requisivit, minando neminem alium in Collegium recipiendi. Inde hic Protoarchimandrita Procevyč recusat solutionem.

<sup>326</sup> Josephus Hodermarskyj, post obitum Josephi de Camillis obtinuit nominationem imperialem in Episcopum Mukačoviensem, cui Sedes Apostolica sese opposuit ob rationes politicas et morales, et ille nunquam Sedem hanc obtinuit.

<sup>327</sup> P. Maximianus Wietrzynski dat Litteras obedienciales cuidam monacho in Superiorem Rozanensem.

dentialibus, transferat se e Monasterio Vilmensi ad Rozanense Monasterium, ibique quod concernit exemplarem Superiorem, spe futurae gloriae in coelis, diligentissime exequatur.

Dabantur Novogrodeci, die 16 Iulij, 1717.

HERMANUS KAZYNSKI

Secretarius Reverend.mi Protoarchimandritae D.B.M. (prm)

Michaël Wietrzynski, O.D.B.M.

Protoarchimandrita (mpropria)<sup>328</sup>

### 139.

*Novogrodek, ... 1719.*

*Ex Capitulo Novogrodecensi de quarto voto de non ambiendo.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 5, fol. 314.

#### De Quarti Voti antiquitate.

Ex Capitulo Generali Novogrodeci celebrato Anno 1719, sub praesidentia Ill.mi Leonis Kiszka,<sup>329</sup> Sess. 6<sup>a</sup>, habetur:

Praemissis vero praemittendis omnes in Capitulo praesentes, lecto Decreto Ill.mi Domini, et reassumpta Constitutione ex Congregatione Novogrodovicensi,<sup>330</sup> emisimus tam R.mi Archimandritae quam VV. Admodum R.di Patres quartum votum de non ambiendis honoribus. Sequitur tenor reassumptae Constitutionis: — Praeveniendo cunctis inconvenientibus, quae emergere solita sunt ex ambitu honorum in personis nostris Religiosis, renovando Constitutionem de non ambiendis honoribus in Congregatione Novogrodovicensi factam, statutum est, ut non solum professuri post annum probationis vitam Religiosam, verum etiam actu Professi, et quidem hic praesentes, crastina die; illi vero, qui remanserunt in Monasteriis circa actum Visitationis coram Proto-Archimandrita votum quartum de non ambiendis honoribus facerent, et jurarent in eam Rotham: Ego N.N., Ordinis S. Basilii Magni Professor, juro Domino Deo Omnipotenti in Trinitate uni super hoc, quod nulla Officia tam Claustralia, quam Ecclesiastica, et singulariter insigniores Praelaturas quaeram, aut illas curabo aperte, et publice, vel occulte per me ipsum, sive per quemquam alium. Sic me Deus adjuvet, et Passio Christi Sacrosancta, etc. etc...

<sup>328</sup> P. Michaël M. Wietrzynski, Protoarchimandrita Ordinis, anno 1719 depositus in Capitulo Novogrodecensi, in Septembri; postea Romam venit et suam redintegrationem expostulavit (1720-1723), dein iterum depositus ob delicta (1724), apostatavit ab Ordine, in Helvetiam se contulit, superintendens protestanticus devenit, sed anno 1729 est conversus et poenitentiam agebat; ad Nuntium Varsaviensem remissus, ut cum Ordine Basiliano pacificaretur. Ulterior sors eius nobis ignota manet.

<sup>329</sup> Cfr. infra Capitulum Novogrodecense 1719 mense Septembri, quod P. Wietrzynski deposuit et P. Antonium Zavadskyj instituit. Cfr. infra docum. 140.

<sup>330</sup> Agitur de Capit. Generali Novogrodovicensi an. 1617, mense Iulio.

## 140.

(Ex Russia, ... 1719)

*Summarium Actorum Cap. Chelmensis et Novogrodecensis in Causa P. Wietrzynskij et F. Wolk.*

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Part.*, vol. 64, fol. 117-118.

Summatim extractum, ex Capitulis Generalibus Ordinis S. Basilii Magni Nationis Ruthenae: Chelmen. 6 Iunii 1719; Novogroden. 22 Septemb. 1719, factis in Causa R.P.D. Maximiani Wietrzinski, et Firmiani Wolk.<sup>331</sup>

## Chelmensis.

Postquam resciverunt Venerabiles Consultores malum gubernium R.P.D. Maximiani Wietrzynski, Proto-Archimandritae Ordinis, facto consilio, miserunt unum e gremio suo Consultorem ad Ill.mum et Revd.mum Dominum Metropolitanum totius Russiae (in cuius manibus quilibet Proto-Archimandrita ad quadriennium valiturus statim post electionem suam iuramentum facit fideliter gubernare Religionem) significando ipsi maximum disordinem Religionis in Capite, et simul rogando ut intimaret Capitulum. His auditis iussit edere circulares literas ad omnes Conventus, Abbates, et Superiores, ut congregarentur pro die 6 Iunii 1719 Chelmam.<sup>332</sup> In quo cum fuerint congregati omnes, fuit exposita causa R.P.D. Maximiani, et per scrutinium apparuit non solum lubrica vita ipsius, nullum regimen, nulla correspondentia cum Consultoribus, verum etiam magna damna in pecuniis, rebus, et fundis, per biennium illata Religioni. Ipse autem vocatus contumaciter noluit comparere, timens poenam pro culpa. Decevit Capitulum suspendere ipsum ad tempus ob Officio, et Vicarium Generalem substituit Ordini. Ipsi autem intimavit, ut resideret in uno determinato assignato ipsi loco; et ne se immisceret ad ullum gubernium, sub poena excommunicationis, donec in futuro Capitulo die 22 Sept. Novogrodeci celebrando redderet rationem fueruntque assignati Inquisitores Religiosi. Ille autem vilipenso hoc decreto, per hoc intervallum temporis violenter invadebat armata manu cum satellitibus varia Monasteria, et Conventus, et fecit conventiculum Minscen. etc.

*Capitulum Generale Novogroden. die 22 Sept. 1719.*<sup>333</sup>

Cum pervenit tempus Capituli Novogrodensis congregati fuerunt omnes Praelati, Abbates, Superiores, et Legati, solus Maximianus non comparuit,

<sup>331</sup> Est famosus casus depositionis, redintegrationis, apostasiae, conversionis etc. P. Maximiliani Wietrzynski, qui in Capitulo Novogrodecensi 1719 depositus fuit simul cum suo Consultore Generali Firmiano Wolk-Karačevskyj.

<sup>332</sup> Capitulum Generale Chelmense, sub praesidentia Metropolitanae Kiszka; cfr. M. M. WOJNAR, *De Capitulis...*, pag. 22, ad deponendum Protoarchimandritam.

<sup>333</sup> IBIDEM, pag. 22, mense Septembri 19-23.

miserunt pro ipso e gremio sui tres Religiosos, et aliquot servos saeculares. Ipse autem armata manu restitit, Religiosos, et Saeculares globulis, e sclopetis emissis, et evaginato gladio propria manu periculosissime vulneravit.

In hoc Capitulo in primis deductum est contra ipsum quod vestes Novitiorum ex loco Tyrocinii Bitenen. accepit pro vestiendis servis suis; ex hoc disordine processit quod aliqui novitii fuerunt admissi ad professionem, qui non erant admittendi et in eodem Monasterio loco Officii recitandi aut audiendae, vel dicendae Missae, cum scandalo novitiorum, et aliorum, venationes faciebat. Nullas visitationes Monasteriorum ex obligatione officii sui exercuit. Nihil cogitavit de gubernio Religionis. Ad nullas literas magni momenti Consultorum, Superiorum circa necessitates Religionis respondit.

Cum Generosa Domina Anna Slizniova, mox post electionem sui in Proto Archimandritam, vita infami tamquam cum propria uxore vixit, ita ut inquisitor Vilnen. voluit ipsum captivare, et ad carceres ducere, sed aufugit cum eadem ad Monasterium Berezvecense et ibi cum scandalo Religiosorum, et aliorum tenebat ipsam, et vocata fuit publice Generosa Anna Slizniova Coniux eius cum derisione. Inde abscessit cum eadem ad locum istius Dominae Motile dictum, et a Monasterio iussit conducere omnis sortis victualia, ita ut Religiosi ipsi passi sunt magnum detrimentum in victu, et vix tres sustentationem habere potuerunt. In eodem loco fuit deprehensus a R.P. Hermano Vazinski in eodem lecto cum illa decumbens. Vilnae, deridentes vitam illius infamem, libellos ediderunt cum ignominia Religionis; a Venerab. R.P. D. Michaelae Zubovicz, Parocho Zaslavien., pariter cum eadem in eodem lecto fuit inventus. Filia, et filius eiusdem Dominae idem dixerunt.

In Residentia, ubi cum eadem Generosa cohabitavit, una die ad ianuam tres globulos de canabi appensos advertit, veneficos reputavit, et in tribus oliis novis, infusa aqua (*f. 117v*) benedicta ex tribus ecclesiis accepta, lignis ex populo nigra adhibitis praestigiose in area publica tribus diebus coxit, praesagiens superventuram magam. Cum vero faemina quaedam de oppido Glembokie dicto pro emendis veniret frumentis, ipsam veneficam inclamavit, et comburi procuravit per Iudicem Glembocen.

De Monasterio Berezvecen. frumenta, pecora, equos, ipsos etiam asses ad villam Motile Generosae Annae evehi curavit. Villam Vierbilov Monasterii Berezvecen. maximis contributionibus, evectione frumenti, et arborum ex sylvis ita angariavit, ut triginta subditi aufugerint. Alios subditos cum ingenti Monasterii damno ad villam Motile Generosae Annae locavit. In Monasterio Trocen. domum, pecora, retia, lebetem, et alia suppellectilia vendidit. Praedium Vacense ad incitas redegit.

Jura primitiva Monasteriorum Berezvecen., Cobrinen., Pustinen., Onufrien., Trocen. et Cereien. de suis locis levata, et accepit secum, cum magno periculo ne pereant.

Scriptum obligatorium a Civibus Regio-Montis pro tribus millibus aureorum accepit et Cathedaticum Minscen. pariter. Vitebsci debita contraxit, quae a Religione requiruntur.



Derelicta post mortem Archiepiscopi Smolescen. Grotuz,<sup>334</sup> et clenodia Monasterii Zirowiciensis ad triginta millia florenorum sexcentos quadraginta unum ascendentes dilapidavit. A variis Superioribus Monasteriorum, et aliis Religiosis post fata, et a vivis, ut (in registro autentico specifantur) in variis rebus et in pecunia numerata ad triginta unum millium centum novemdecim florenos variis temporibus infra biennium accepit, sine ulla spe restitutionis.

Famulum suum Generosum Talmund, delatorem vitae suae infamis pretio centum Imperialium, per sicarium Lesnievski occidi curavit. Verum Generosus Talmund, praecautus ab aliis, ob securitatem vitae suae alio se contulit.

*Decretum Capituli Novogroden. pro eodem.*

Idcirco nos capitulariter congregati infra de nostris nominibus, et cognominibus specificati, solum Deum prae mente, et oculis habentes, R.P.D. Maximianum Wietrzinski, Ordinis S. Basilii Magni Proto Archimandritam, iuxta dispositionem Juris Canonici Glossa in Cap. Lator 2, q. 7, in Glossa 1, quam sequitur Hostien. allegando cap. si quis in summa, titulo: de adulter., paragr. quae poena sit imponenda, et Abbas in cap. et si Clerici, paragr. de adulteriis, in Col. 5: Veluti contumacem, invocato Domini nostri Jesu Christi nomine, excommunicamus, ac pro excommunicato per ecclesias publicari mandamus. Eundem vero veluti adulterum publicum, damnificatorem, et summarum tantarum dilapidatorem, de caeterisque criminibus inquisitione convictum, Officio Proto-Archimandritali destituimus, captivari debere, etiam adhibito brachio saeculari, decernimus, captivatum ad carceres, aliasque poenas iuxta obloquentiam Canonum a Venerabili Consultorio in praesidentia Ill.mi, Excel.mi ac Rev.mi Domini Metropolitanus Archi-Episcopi totius Russiae commendamus mediante praesenti decreto.

Et quia R.P.D. Firmianus Wolk,<sup>335</sup> Consultor Ordinis, Superior Bitenensis, non tantum conventiculo Minscen. adstitit, verum incitavit R.P.D. Maximianum, ne in Capitulo Generali Novogroden compareret, depositum Bitenii Monasterii Borunen., ubi ille erat Superior, tradidit in manus Rev. Maximiani contra omne ius. Derelicto novitiatu Bitenensi vagabundus cum eodem Maximiano faeminam ad peccatum carnale sollicitavit, aliam nocte ad suum introduxit cubiculum. Vitebsci ebrius in publica platea in lutum prostratus ab adstante populo irrisus. Monasterium Bitenen. in summa mille florenorum, et Vitebscen. itidem in mille florenorum damnificavit.

Idcirco Venerab. admodum Firmianum Wolk, Ordinis Consultorem, Superiorem vero Bitenen., Consultoriatu Ordinis, et Superioratu Bitenensi destituimus, excommunicationem contra eum iam publicatam, per universa Mo-

<sup>334</sup> Agitur de Michaële Grotuz Tarnawski, Archiepiscopo Smolenscensi (1713-1718).

<sup>335</sup> Firmianus Wolk-Karačevskij, Consultor Generalis; hic Romae redintegratus (1723), rediit et postea, poenitentia acta, fuit Consultor Generalis tempore Antonii Zavadskij.

nasteria publicari (*f. 118*) praecipimus, ac R.dissimo Proto-Archimandritae, ut etiam adhibito brachio saeculari eundem captivari curet, captivatum eo, quo supra, modo puniat mandamus, vi et rigore praesentis decreti; actum Novogrodeci, ut supra.

Idcirco praeter sigillum Ill.mi et Rev.mi Metropolitanì totius Russiae sunt subscripti tres Episcopi, sex Abbates, quattuor Consultores Ordinis, triginta Superiores Monasteriorum, sex Vicarii et Legati. Secretarius Ordinis.<sup>336</sup>

(Locus Sigilli)

### 141.

*Romae, 10.III.1720.*

*Licentia celebrandi Missam pro PP. Wietrzynskij et Wolk cum reincidentia.*

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Part.*, vol. 64, fol. 120rv.

S. Basilio, 10 Marzo 1720.

Il Vicario Generale di S. Basilio umilissimamente bacia le mani all'Ecc.mo ed Ill.mo Monsignor Secretario di Propaganda,<sup>337</sup> ad esecuzione de' suoi riveritissimi ordini colla facoltà, che s'è degnata appoggiarle di Nostro Signore ieri sera, 9 del corrente mese, ed anno, ha privatamente, e senza veruna solennità, secondo la norma del Rituale Romano assoluto i PP. Massimiano Wietrzinski, e Firmiano Wolk, Monaci ruteni, della Congregazione Basiliano-Lituana, esistenti in questo Collegio per comandamento di codesta Sagra Congregazione di Propaganda, colla reincidenza dopo sei mesi nelle censure, a cui furono (*f. 120v*) sottoposti da Monsignor Metropolita della Russia, e Consulta dell'Ordine, come dell'irregolarità contratta, avendole partecipato la dispensa benignissimamente concedutale da N. Signore sopra la medesima. Di tuttociò puntualmente eseguito detto Vicario Generale fa certa, ed indubitata fede all'Ecc.mo ed Ill.mo Monsignor Secretario, sottoscritta di sua propria mano; e si resta alla sua obbedienza.

Umil.mo, devot.mo Servitore oblig.mo

EPIFANIO di Napoli,

Abbate Vic. Generale dell'Ordine di S. Basilio,

fò fede come sopra

### 142.

*Romae, 9.VI.1720.*

*Negantur Litterae testimoniales Procuratoris in Urbe.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1720, vol. 624, fol. 226.

<sup>336</sup> Est quidam generalis elenchus participantium in Capitulo Novogrodecensi 1719.

<sup>337</sup> Secretarius de Prop. Fide, Aloysius Carafa (1717-1724).

Nos infrascripti Sacerdotes testamur, et id ipsum sub fide, honore et conscientia confirmamus, quod R.dus P. Therapontes Bykowski, Ord. S. Basilii Magni, petierit ab Admodum Rev.do P. Benedicto Trulewicz,<sup>338</sup> eiusdem Ordinis Procuratore Generali in Urbe, dari sibi Testimoniales, quatenus predictus Pater Therapontes Bykowski sit ex Ordine S. Basilii M. monachorum in Russia; cui respondit praefatus admodum R.P. Procurator Generalis, se non posse id praestare, bis, ter, quaterque dicendo: nescio te, non te cognosco, et in quorum fidem manu nostra subscribimus.

Datt. 9 Iunii 1720.

P. ISIDORUS LYSZCZYNSKI, Ord. S.B.M. (mpr)  
SAMUEL SMOLENSKI, P.R. (mpr)

## 143.

*Grottaferrata, 22.VI.1720.*

*Confirmatio absolutionis P. Teraponti Bykovskyj a censuris.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, fol. 98.

Ill.mo ed Ecc.mo Signore e Padrone Col.mo.

Per l'adempimento della Commissione inviatami di assolvere il P.D. Teraponte Bikovski, Monaco Basiliano Ruteno della SS.ma Trinità di Vilna, accerto V. Ecc.za esser da me stato il medesimo assolto à quacumque censura cum reincidentia ad sex menses, notificatali anche la dispensa dall'irregolarità concedutali da Nostro Signore colla suddetta condizione di reincidenza. E rassegnandole la mia ossequiosa ubbidienza, con profondissimo inchino mi confermo.

Grottaferrata, 22 Giugno 1720.

Di V.S. Ill.ma ed Ecc.ma  
umil.mo, divot.mo, oblig.mo Servo

EPIFANIO di Napoli  
Abb. Vic. Generale di S. Basilio

## 144.

*Luceoria, 8.VII.1720.*

*Josephus Hryniewiecki, OSBM, excusat se de quadam impossibilitate coram P. Stephano Trombetti.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. et Ruteni*, vol. 4, fol. 491.

---

<sup>338</sup> Procurator in Urbe, P. Benedictus Trulevyč (1712-1726).

Copia di Lettera dell'Uffiziale di Luceoria, scritta al P. Stefano Trombetti.<sup>339</sup>

Rev.mo Padre, Padron Col.mo.

Esequirei molto volentieri gli ordini di V. Paternità Reverendissima se Monsig. mio Principale non fosse partito per la Silesia, attesa la morte del Signor Conte Gabriele Wyhowski, suo fratello.<sup>340</sup> E però terrò conto della lettera di Monsig. Nunzio sin all'arrivo del suddetto Monsignore, o pure la manderò per la posta à lui medesimo. Resto intanto con profonda riverenza.

Alla Chiesa Catedrale di Luceoria, alli 8 Luglio 1720.

Di V. Paternità Rev.ma Fratello ed umile Servitore

GIUSEPPE HRYNIEWIECKI

O.S.B.M., V.C.L.R.

145.

*Zamostia, 3.IX.1720.*

*Quaedam declaratio P. A. Zawadzki de fundatione Peremysliensi olim Georgii Wynnyckyj in favorem Seminarii clericorum, quae inscribitur in favorem Seminarii Leopoliensis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1720-22, vol. 64, fol. 456-457.

Anno Domini Millesimo septingentesimo vigesimo.

Die vero Martis, tertia mensis Septembris. - Zamoscii.

Coram me infrascripto Vice-Cancellario, ad Actaque praesentia Sacrae Nuntiaturae Apostolicae Regni Poloniae personaliter constitutus Rev.mus in Christo Pater Antonius Zawadzki, Ordinis Divi Basilii Magni Proto-Archimandrita Provinciae Russiae,<sup>341</sup> sanus mente et corpore, non compulsus, non coactus, neque aliquo alio devio errore circumventus, sed palam, libere, ac per expressum recognovit, et per praesentes recognoscit: Quod licet Ill.mus ac Rev.mus Dominus olim Georgius Winnicki, Archiepiscopus Metropolitanus Kiovien., Halicien., et totius Russiae, Episcopus Praemislien., Samborien., et Sanocen., Archimandrita Kiovo-Peczaren. et Dubnen.<sup>342</sup> pro erigendo in Civitate Praemisliensi Seminario fovendisque in eo alumnis, obsequio Ecclesiae Ritus Graeco-Uniti applicandis, summam quadraginta millium florenorum Poloniacalium super Bonis suis haereditariis, Czaple nuncupatis, cum attinentiis eorundem, videlicet Humieniec, Janow, et Wolica, in Palatinatu Russiae, Terra

<sup>339</sup> Stephanus Trombetti, Theatinus, Rector Pontificii Collegii Armenorum et Ruthenorum (1706-1723).

<sup>340</sup> Agitur hic de Josepho Wyhowskyj, Episcopo Luceoriensi (1716-1730), cuius frater quidam obiit in Silesia, apud Regem Poloniae Augustum II.

<sup>341</sup> P. Antonius Zavadskyj, Protoarchimandrita post depositionem P. Wietrzynski, ann. 1719-1723, 1724-1726. Hic multa perpeti debuit ob casum sui praedecessoris.

<sup>342</sup> Metropolita Kioviensis, Georgius Wynnyckyj (1708-1713) nec non Episcopus Peremysliensis (1700-1713). Hic iam ut Episcopus Peremysliensis erectionem Seminarii intendebat, imprimis Peremysliae, et deinde etiam Leopoli.

vero Praemisliensi sitis assecuratam assignaverit, et officiose coram Actis authenticis Castri Praemisliensis Feria tertia post Festum Sancti Martini Pontificis proxima, anno Domini Millesimo septingentesimo duodecimo, in rem Sacri Ordinis Divi Basilii Magni inscripserit, ac ut huiusmodi erectio iuxta suam mentem in dicta Inscriptioe expressam fieret, obligaverit. Cum tamen ob exiguitatem huiusmodi Summae, conditionibus et obligationibus, per dictum Ill.mum Dominum Fondatorem propositis, correspondere, et satisfacere non valentis, erectio praefati Seminarii facta non fuerit, et fieri nullatenus possit, proinde idem, qui supra, recognoscens, suo, et Rev.mi Consultorii Ordinis sui, in id consentientis nomine, providendo, ne si Summa praefata, seu annui census ab ipsa provenientes, non habita ulla dispositione, diutius sterilescent, pia Fundatoris intentio defraudetur, ac ipsius anima, per bonorum operum protractam exequutionem, debitis forsitan privetur suffragiis, omnibus melioribus, quibus de Jure, forma, via, ac stylo potuit ac debuit, potestque ac debet modis, inhaerendo Decretis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide non semel in hac materia emanatis, incorporationem memoratae foundationis Seminario Leopoliensi Ritus Graeci Uniti permittentibus, omni iuri suo, quod, et quale ipsi, et toti Ordini Divi Basilii Magni ad dictam Foundationem acceptandam, et exequutioni demandandam, (f. 456v) vigore praedictae Inscriptiois competebat, totaliter abdicavit, ac renunciavit, eidemque, nihil sibi, et dicto Ordini Juris ad ipsam reservando, cessit, et suffragante praevio consensu tam Ill.mi ac Rev.mi Domini Leonis Kiszka, Archiepiscopi Metropolitanus Kiiovien. Halicien.,<sup>343</sup> et totius Russiae, Episcopi Vladimiriensis et Brestensis, Archimandritae Kiiovo-Peczaren. et Supraslien. quam Ill.mi et Rev.mi Domini Hieronymi Ustrzycki, Episcopi Praemisliensis, Samboriensis et Sanocensis,<sup>344</sup> dictam Foundationem iuxta vim, tenorem et obloquentiam Inscriptiois supra memoratae, coram Actis Castrensibus Praemisliensis recognitae, et cum obligationibus in eadem appositis, Seminario Leopoliensi Ritus Graeci Uniti necnon Admodum Rev.do Patri Stephano Trombetti, Clericorum Regularium Theatinorum, nuncupato, eiusdem Seminarii Praefecto,<sup>345</sup> eiusque Successoribus per Sacram Congregationem de Propaganda Fide in futurum deputandis incorporari permittit. Ad effectum sex alumnos ex Dioecesi Praemisliensi assumendos, et per ipsummet Ill.mum ac Rev.mum Dominum Episcopum Praemisliensem, Ritus Graeci Uniti, nunc et pro tempore existentem, Admodum R.ndmo Patri Praefecto presentandos, ibidem alendi, fovendi et educandi. Obligans eundem Admodum Rev.dum Patrem Praefectum praedicti Seminarii Leopoliensis, nunc, et pro tempore existentem, ut census a memorata Summa quadraginta millium Florenorum decursos, et maturatos,

<sup>343</sup> Archiepiscopus-Metropolitanus Kioviensis (1714-1728).

<sup>344</sup> Hieronymus Ustrzyckij, Episcopus Peremysliensis (1715-1746), successor in Episcopatu Peremysliensi et in omnibus programmatibus, etiam Seminarii fundandi.

<sup>345</sup> Stephanus Trombetti, Rector Seminarii Leopoliensis ucrainorum (1706-1723); cfr. D. BLAZEJOWSKYJ, *Ukrainian and Armenian Pontifical Seminaries of Lviv (1665-1784)*, Romae 1975, ubi de hac erectione plures dantur notitiae.

ac ab anno Millesimo septingentesimo decimo tertio, ad hanc usque diem retentos, et non solutos a Successoribus sanguinis suprascripti Ill.mi ac Rev.mi Domini Fundatoris, coram quo de Jure, omni meliori modo vindicet, eosque in rem saepe dicti Seminarij convertat; hac sua abdicatione, renunciatione, cessione, permissione, et obligatione ad praemissa mediante, quam praesentibus Rn.dis Michaële Rosinski, Presbytero, et Theodoro Rudnicki, Diacono Ritus Graeci Uniti, Alumnis Pontificiis, Testibus ad id specialiter vocatis et adhibitis, manu propria his in actis subscripsit, ut sequitur:

ANTONIUS ZAWADZKI, Ordinis Basilii Magni, Congregationis SS.mae Trinitatis Protoarchimandrita (mpr).

DEMETRIUS ZANKIEWICZ, Ordinis Divi Basilii Magni Consultor, Superior Novogroden. (mpr).

BASILIIUS PROCEVICZ,<sup>346</sup> Ordinis Divi Basilii Magni Consultor, Superior Chelmensis (mpr).

ANTONINUS TOMILLOWICZ,<sup>347</sup> Ord. D. Basilii Magni Secretarius, Superior Bytenensis (mpr).

Resignationem praesentem cum omnibus et singulis Punctis, Clausulis et Paragraphis in ea contentis, autoritate mea Archiepiscopali Metropolitana roboro, ratifico, et confirmo.

Datum Zamoscii, sub tempus Synodi Provincialis, die 7 mensis Septembris, anno 1720.

LEO KISZKA, Archi-Episcopus Metropolitanus totius Russiae, Episcopus Wladimiriensis (mpr).

(fol. 457) Eandem Resignationem in omnibus Punctis accepto.

HIERONYMUS USTRZYCKI, Episc. Prem., S., Sanoc. (mpr).

Suprascriptam Cessionem, et respective Incorporationem, nomine Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, accepto.

STEPHANUS TROMBETTI, Cler. Regularis, Collegii Pontificii Leopoliensis. Rutheni Praefectus.

STEPHANUS SKWARCZYNSKI, Vice-Cancellarius.

Ex Prothocollo Actorum Nunciaturae Apostolicae extractum, et sigillo Illustrissimi ac Reverendissimi Domini, Domini Hieronymi Grimaldi, Archiepiscopi Edesseni, et Nuncii Apostolici in Regno Poloniae,<sup>348</sup> etc. communitum.

STEPHANUS SKWARCZYNSKI, Publicus S. Autoritate Apostolica Notarius, et Actorum Nunciaturae Apostolicae supradictae Vice-Cancellarius (m. propria).

<sup>346</sup> P. Basilius Procevyč, primum Protoarchimandrita (1713-1717), dein Consultor Generalis (1717-1726); obiit die 5.V.1726; cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, pag. 276-7; cfr. nota 316.

<sup>347</sup> P. Antoninus Tomillowič, tunc Secretarius advitalis et Superior Bytenensis, inde ab anno 1719 Consultor Ordinis advitalis, ab anno 1730 Protoarchimandrita, et expleto suo officio Archiepiscopus Smolenscensis; obiit die 23.IV.1745; cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, pag. 282.

<sup>348</sup> Nuntius Varsaviensis, Hieronymus Grimaldi (1712-1720).

## 146.

Roma, ...XI.1720.

*Quaedam intimatio pro P. Isidoro Lyszczynski redeundi ex Urbe in patriam tempore brevissimo.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia e Ruteni*, vol. 4, fol. 7.

Joseph tit. S. Mariae Transpontinae Presbyter Cardinalis Sacripantes, S. Congregationis de Propaganda Fide Praefectus.

P. Isidoro Lyszczynski, Monacho Ordinis Sancti Basilii Magni, Nationis Ruthenae, Alumno Pontificio Collegii Graecorum in Urbe.<sup>349</sup>

Praecipimus tibi, ac stricte mandamus, etiam in virtute sanctae obedienditiae, ut infra terminum octo dierum, a die Datae praesentium computando, ab hac Alma Urbe discedas, et recto tramite te conferas ad primum Monasterium Lithuaniae, ibique te reddas dispositioni Superiorum tui Ordinis; iam enim ad hoc iter explendum a P. Procuratore Generali eiusdem Ordinis<sup>350</sup> sufficiens Viaticum te accepisse nobis compertum est. Volumus insuper, ut in eodem itinere Socium habeas sive regularem, sive saecularem, quem tibi statuere, et assignare praefato P. Procuratori Generali videbitur, cuius arbitrio terminum tuo ab Urbe discessui superius praefixum, rationabilibus ex causis prorogare reliquimus. Quod si vero nostris hisce praeceptorii litteris plenam omnimodamque obedientiam adhibere renueris, te Sacrae huius Congregationis indignationem, poenasque ab arbitrio nostro statuendas subituro scias. Datum ex Aedibus dictae Sacrae Congregationis die... Novembris 1720.

## 147.

Roma, 5.XII.1720.

*Copia litterarum P. Procuratoris generalis ad Minutantem de Prop. Fide de impossibilitate expediendi P.S. Pogorzelski in patriam.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, fol. 225rv.

Copia di Lettera, o sia Viglietto scritto dal Padre Procurator Generale dell'Ordine di S. Basilio Magno della Nazione Rutena,<sup>351</sup> in data dè 5 Dicembre 1720, al minutante della Propaganda.

Praesentum Lator P. Stanislaus Pogorzelski, Ordinis nostri actu Presbyter, hodierna die venit ad me cum prona submissione, exponendo rationem, quare prius non venerat; ideo quia timuit me ne ipsum punirem, et hunc timorem

---

<sup>349</sup> Isidorus Liščynskyj, Alumnus pontificius Collegii Graecorum, ingr. 23.XII.1714, annorum 22, 1718 obtinuit Ordinem Presbyteratus, egressus e Collegio in Septembri 1719, fil. Casimiri et Sophiae Trzcinska; ex his litteris videtur quasi expulsus Roma.

<sup>350</sup> Benedictus Trulevyč, Procurator in Urbe (1712-1726).

<sup>351</sup> Idem Procurator.

habuit sibi impressum a P. Maximiano et aliis.<sup>352</sup> Dixitque, quod dederat Memoriale ad Sacram Congregationem contra Religionem ex motivo, quia ipsum induxerat ad faciendum id et dictavit ipsi idem P. Maximianus. Ipse autem non venit propter aliud Romam, nisi propter suam particularem causam, quam modo enarravit mihi, et est privata, concernens Personam suam in nonnullis afflictionibus: quod ipsi non fuit concessum manendi in quadam Villa extra Clastrum, et Disciplinam Regularem, quod prius permisserat per biennium ipsi R.P. Maximianus, quando erat Provincialis, modo autem cogent ipsam Superiores manere in Religione etc. (f. 225v). Sed quidquid sit de istis nugis ipsorum, modo instanter rogo Suam R. Dominationem dignetur ipsi expedire licentiam gratia sua celebrandi Missam, ut posset se substantiare donec transeat hyems, quia modo difficilis est reditus ad Patriam propter frigus; limitata licentia potest dari, ne propter miseriam inducatur homo in maiorem desperationem, rogo, et maneo.

148.

(Roma, 1720).

*Gaudium P. Wietrzynski de progressu suae Causae et de damnis in Urbe.*

APF, *Scritt. rif. n. Congr. Part.*, vol. 64, fol. 111-112.

Illustr.me et Rev.de Domine, Domine Mi Colendissime.<sup>353</sup>

Gaudium magnum annunciavit mihi ipsemet ex adverso P. Procurator et Rector SS. Sergii et Bachi, ex quo audivi hanc Sacram Congregationem de Propaganda Fide, a qua cum magno animi moerore per illum iniuste divertabar esse tandem me iudicaturam in causa, propter quam veni per tantum iter, difficultates, et expensas. Sane, Illustrissime et Rev.dme Domine, fateor laetitiam meam esse magnam, dum certus sum ab hoc sacro Tribunali esse puniendam meam reitatem, si quae fuerit, et pro qua libenter omnem poenam subiturus sum, et praemiandam meam innocentiam, ad cuius favorem tantum pro tunc dicere valeo, quod quando benigne et in voce et in scriptis audiar (ut enixe supplico) videbit haec Sacra Congregatio, omnes meas (f. 111v) culpas refundi ad manifestas calumnias, et Deo adiuvante, et firma veritate facti zelum Religionis me ostendere ad extirpandos omnes abusus introductos, ad resarcienda damna Monasteriorum, ad reparanda iura Congregationis, et fovendam regularem observantiam.

Tantum assero, tantum promitto ad formam meorum Jurium, quae patebunt per documenta, et scripta, quae attuli mecum; adeoque ad ea defendenda humillime rogo Illustrissimam et Rm.am Dominationem Vestram, ut a ministris Emin.mi Domini Vicarii exacte requirantur, et inde fideliter asser-

<sup>352</sup> Maximianus Wietrzynski, Prottoarchimandrita depositus (in Septembri 1719, in Cap. Novogrodecensi).

<sup>353</sup> Forsan agitur de Secretario de Prop. Fide, Aloysio Carafa (1717-1724).



vare faciat, ne deveniant ad manus praedicti Patris Procuratoris Partis adversae, qui me expoliari curat omni iure.

Idem adiunxit impositum mihi mandatum Illustrissimae, Reverendissimae Dominationis Vestrae, quo expressit, ut consentirem pro venditione equorum, quibus veni Romam; vere equi non sunt mei, sed Illustrissimae Dominationis Vestrae, nihil habens, quia (f. 112) per tantam viam consumpsi omnia; reverenter supplico, quatenus a me vendi possint pro sustentatione necessaria; nec non pro capienda providentia ad dimittendos abhinc servientes. Interim insto adhuc Illustrissimae et Revd.issimae Dominationi Vestrae, ut pro sua charitate permittat mihi reddi omnia, quae attuli ad meum usum pro vestibus, et aliis necessariis praecipueque Breviarum ad persolvendas horas Canonicas, quas iam per octo dies persolvere non potui ob deficientiam eiusdem.

Quae omnia benignissime spero obtineri ab humanitate et clementia Ill.mae et R.dissimae Dominationis Vestrae, ad cujus pedes cum profundissima veneratione provolutus, gratiam et benedictionem exoptulo.

Ill.mae et R.endissimae Dominationis Vestrae  
humillimus et obsequentissimus Servus  
MAXIMIANUS WIETRZYNSKI, O.D.B.M.

149.

(Romae, 1720).

*P.M. Wietrzynskyj iustificat se de obiectis sibi a P. Procuratore delictis in Urbe.*

APF, *Scrutt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, fol. 6.

Obiicit mihi Pater Rector,<sup>354</sup> quod sim inobediens, eo quod habens manifestatam voluntatem Superiorum, non obtemperavi illi. R. - Vel nullam fuisse inobedientiam vel si fuit aliqua, illam posuit Pater Rector. Nam mens Superiorum fuit, ut ego rediissem simul cum aliis Patribus, qui profecti sunt 6a Maii. Sed P. Rector mihi impedivit, detinendo me contra voluntatem et meam et Superiorum.

Obiicit 2°: quod noctaverim extra hospitium. R. - Ita voluisse Patrem Rectorem, qui intrans pro Exercitiis Spiritualibus, prohibuit feminae, quae antea et mihi et sibi cibos parabat, ne amplius id praestasset. Quare ego coactus fui, honestatis gratia, satiari in Hospitio S. Stanislai, cum aliis quatuor Religiosis nostris comedere, quam per popinas et austerias cibos coctos quaerere; hac de causa bis aut ter contigit, quod rediens ex deambulatione

---

<sup>354</sup> Procurator et Rector Hospitii SS. Sergii et Bacchi in Urbe, P. Benedictus Trulevyč (1712-1726).

tarde, tarde comederim caenam, et tanquam in loco honesto apud suos Religiosos pernoctaverim.

Obiicit 3<sup>o</sup>: quod semper ebrius fui; quod in continuis comessionibus et potationibus pecuniam pro itinere datam deperdidi, et quod nomine Rectoris carnem, panem, vinum in maxima quantitate acceperim, absque ulla solutione. R. - Dabo mille testimonia, quod ebrium nunquam me viderint, et quod nunquam solitus sum facere similem actionem. De comessionibus falsum est et suppositum illarum, cum de pecunia pro itinere data ipse P. Rector solvit debita a me contracta; residuum est ad meam requisitionem. Solum mihi restituat eleemosinas pro Missis de justitia, et pecuniam quam illi dedi ad conservandum. De carne, pane, etc. est pura falsitas aut mendacium, cum nec nunquam vidi nec unquam locutus sum cum talibus creditoribus, aut si aliter est peto, ostendat illos, quos certe non demonstrabit nec per totam aeternitatem.

## 150.

(Roma, 23.IX.1720i.

*Elenchus quorundam Documentorum P. Wietrzynskyj Cracoviae relictorum.*

APF, *Scritti rif. n. Congressi: Mosc., Polonia e Ruteni*, vol. 4, fol. 215.

Nota scripturarum a P. Maximiano Wietrzynski relictarum in Cracovia apud Novitiatum, et Domum S. Matthiae Jesuitarum.

Ultima dispositio Ill.mi Domini Michaëlis Grotuz,<sup>355</sup> Archiepiscopi Smolenscensis.

Plures quietationes a varjis personis factae, favore dicti P. Maximiani, iuxta dispositionem praefati Archiepiscopi.

Assecuratio P. Joannis Olesziewski, Proconsultoris Ordinis Sancti Basilij Magni,<sup>356</sup> data in Personam P. Maximiani, ratione Imaginis ex Monasterio Zerovicensi, pro 300 Missis ad Monasterium Trocense applicatis.

Epistola P. Gervasij Stankiewicz, Superioris Borunensis, ratione 45 aureorum una cum registro eiusdem P. Gervasij, subscriptione rerum, et argentorum P. Maximiani in Monasterio Borunensi collocatis.

Privilegium regium in Personam P. Maximiani expeditum super Abbatia Trocensi.

Cessio a P. Josepho Saporowicz, facta favore P. Maximiani d. Abbatiae Trocensis, a moderno Metropolitano subscripta.

Contractus omnes a praedecessoribus Abbatibus dictae Abbatiae Trocensis facti super locatione eiusdem Abbatiae.

Quietatio a P. Nicodemo Kaszicz, Superiore Abbatiae Ducalis, facta favore P. Maximiani pro 20 aureis.

<sup>355</sup> Michaël Grotuz Tarnawski, Archiep. Smolenscensis (1713-1718).

<sup>356</sup> P. Joannes Oleševskyj, forsan Proconsultor tempore Antonii Zawadskyj, Protoarchimandritae (1719-1723); cfr. inferiora documenta.

Inscriptio facta in Personam P. Maximiani Wietrzynski a Mag. DD. Andrea, et Anna Consortibus Slizniouce super quinque millibus tinfonum ad Abbatiam Trocensem spectant. et dicta inscriptio continetur in fasciculo inscripto: — Munimenta Hizniioviana.

## 151.

Roma, 27.IV.1721.

*Debita quaedam contracta a PP. Wietrzynskyj et Wolk apud P. Sebastianum Mulinowicz, cum obligatione restitutionis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Generali*, a. 1734, vol. 680, fol. 138.

Nos in subscriptione manus nostrae propriae specificati Maximianus Wietrzynski, Firmianus Wolk, Ordinis Divi Basilii Magni Nationis Ruthenae, primus Generalis, secundus Definitor, notum indubitatumque facimus. Quod nos ex mandato et determinatione Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, a die undecima mensis Aprilis, Anni Millesimi septingentesimi vigesimi, ad Annum praesentem Millesimum septingentesimum vigesimum primum, diem vero vigesimam septimam mensis Aprilis in aedibus ad ecclesiam Sancti Stanislai, Episcopi Cracoviensis, Nationis Polonae pertinentibus, existentes in Urbe accepimus et manibus nostris enumeravimus apud Perillustrem, Reverendissimum Dominum Sebastianum Mulinowicz, Archidiaconum Zavichostensem in ecclesia Cathedrali Cracoviensi, ecclesiae Nationalis Polonorum in Urbe Rectorem, pro summis et indispensabilibus necessitatibus nostris varijs temporibus in moneta argentea Romana scuta nonaginta novem. Quam praedictam summam praememorato Perillustri Domino Rectori exolvere quam citissime cum omni gratitudine et obligatione tenemur. Nos ipsos Religionemque nostram Basilianam Nationis Ruthenae obligando non solum ad exsolutionem (pro cuius defensione Jurium ad Urbem accessimus et hucusque moramur) specificatorum nonaginta novem scutorum, sed etiam ad omnem recompensationem pro habitatione nostra annuali ad aedes Sancti Stanislai, ad quam restitutionem (*f. 138v*) et recompensationem pro nunc nos omnino incapaces sentientes, hoc nostrum scriptum obligatorium praefato Perillustri Rever.mo Domino Sebastiano Mulinowicz, Archidiacono Zawichostensi, Rectori ecclesiae Nationalis Polonorum dedimus, quod ut maius robur habeat, manibus propriis subscribimus regestrumque expensarum inferius specificamus ad demonstrationem indispensabilis necessitatis nostrae.

Datum in Urbe, die 27 mensis Aprilis, ad aedes Sancti Stanislai, Nationalis ecclesiae Palonorum, Anno Domini Millesimo septingentesimo vigesimo primo.

MAXIMIANUS MICHAEL WIETRZYNSKI, Ordinis Divi Basilii Magni Generalis et Provincialis, Trocensis et Cobrinensis Abbas (mpr).

FIRMIANUS WOLK, Ordinis Divi Basilii Magni, Definitor nec non Superior Bitheniensis (mpr).

## 152.

Novogrodek, 24.I.1722.

*Protoarchimandrita cum Consilio generali supplicat SS.mo pro executione Synodi Zamostiana.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1720-22, vol. 64, fol. 576-77.

Beatissime Pater, Domine Clementissime.

Post oscula sacerrimis Beatitudinis Vestrae plantis infixam.

Integro saeculo desideratissimum atque salutare in tota Russia Unita Opus, in anno 1720, diebus Augusti feliciter inchoatum,<sup>357</sup> sanctissime consumatum, Synodus Provincialis Zamościana, dum pro sua confirmatione Vicarii Christi in terris, Vestrae Beatitudinis, Domini Nostri Clementissimi, Divinum expectat Oraculum, et eiusdem S. Synodi desideria, pro sua iustificatione Sanctae Sedis Apostolicae suspiciunt effata, — Nos, minimi Vestrae Beatitudinis et Sanctae Sedis Apostolicae in Russia Unita filii, Monachi Basiliani Congregationis Sanctissimae Trinitatis, sub Sanctissimo Domino S.M. Domino Urbano Papa VIII erectae, et ab eodem confirmatae Professi, ad ima plantarum Vestrae Beatitudinis, nostro ac Fratrum nostrorum nomine procidui supplicamus, (f. 576v) quatenus sive in Decretis sive in Desideriis Sanctae Synodi, Vestrae Beatitudinis Oraculo subjectis, dicta Congregatio Monachorum, quae post instauratam S. Unionem in Russia primogenita est, et succrescentem tunc inter spinas, et urticas Schismatis Unionem Sanctam crevisse et crescere, non sudoribus tantum, sed et sanguine rigando, fecit, et indies facit, circa sua, sibi a sanctissimis Vestrae Beatitudinis Praedecessoribus gratiose collata Privilegia et gratias integre conservetur, et in iis, quae supplices Sacrae Congregationi Eminentissimorum Cardinalium exponimus, Declarationes, Confirmationes ac Amplificationes gratiarum Sanctae Sedis Apostolicae in desideratis hactenus obtineat, de fonte gratiarum, Oecumenici Patris benignitate.

(f.577) Quem, ut Dominus Deus, quam diutissime incolumem Ecclesiae Sanctae, et nobis conservet, assidui eius Maiestatem exoramus.

Novogrodeci, die 24 Januarii, Anno 1722.

Vestrae Beatitudinis, Domini Nostri Clementissimi Scabellum infimum  
ANTONIUS ZAWADZKI, Ord. D. Basilii Magni, Proto-Archim. (mp)

JOANNES OLESZEWSKI, Ord. D.B. Magni Cons., Super. Torokan. (mp)

BASILIVS PROCEWICZ, Ord. D. Basilii M. Cons., Super Chelm. (mpr)

DEMETRIUS ZANKIEWICZ, Ord. D. Basilii M. Cons., Super. Novogr. (mp)

JACOBUS SOLIKOWSKI, Ord. D. Bas. M. Pro-Cons., Abbas Cobrinen. (mpr)

ANTONINUS TOMILLOWICZ, Ord. D. Basilii M. Secretarius, Superior Byten.

---

<sup>357</sup> Synodus Zamostiana 1720, diebus Augusti-Septembris. Cfr. *Synodus Provincialis Ruthenorum habita in Civitate Zamosciae*, ed. I, 1724; ed. II; in *Collectio Lacensis*, t. II.

153.

Novogrodek, 24.I.1722.

*Idem Praefecto Congr. de Prop. Fide de executione Decretorum et Desideriorum Synodi Zamostianae.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1720-22, vol. 64, fol. 438-439.

Eminentissime, Celsissime ac Reverendissime Domine,  
 Sanctae Romanae Ecclesiae Princeps Cardinalis,  
 D.ne, D.ne et Protector Clementissime.

Celebra nuper felicissimis auspiciis, integro saeculo desiderata in Russia Unita, Synodus Provincialis, dum adhuc Divina circa sui confirmationem S. Congregationis, et Sanctae Sedis Apostolicae expectat oracula,<sup>358</sup> etiam nos minimi Sanctae Romanae Ecclesiae filii, Monachi Basiliani Congregationis Sanctissimae Trinitatis, quae olim benedictione, gratia et privilegio fel. rec. Urbani VIII, Pontificis Maximi, erecta est, ad protectricem Suae Eminentissimae Celsitudinis supplices recurrimus Maiestatem, quatenus dicta Congr. Basiliana, utpote primogenita post instauratam Unionem in Russia, et eiusdem Sanctae Unionis, assistente Spiritus Sancti Gratia, ardua Propugnatrix (f. 438v) et Schismatis laboriosa eradicatrix, suis primaevis plene gaudeat Privilegiis et Gratiis Sanctae Sedis Apostolicae, neque ex occasione quorundam Sanctae Synodi Provincialis tum Decretis, tum Desideriis insertorum Punctorum patiatur aliquod detrimentum, sed penes antiqua sua Privilegia conservata, etiam novis declarationibus, confirmationibus roboretur, et in iis, quae hucusque desiderantur, ad perfectum ordinem dictae Congregationis, mediante Suae Eminentissimae Celsitudinis protectione ampliatur Sanctae Sedis Apostolicae Gratia. Quae quidem specificè expressa R.P. eiusdem Congregationis et Ordinis Procurator Romanus sibi habet demandata et Suae Eminentissimae Celsitudini praesentanda. Pro quibus nostro et omnium ejusdem Congregationis Basilianae Professorum nomine (f. 439) Suae Eminentissimae Celsitudini supplices Oratores in dulci Plantarum eius basio manemus.

Novogrodeci, die 24 Januar., Anno 1722.

Eminentissimae Celsitudinis Suae, Domini nostri Clementissimi Servi infimi

ANTONIUS ZAWADZKI

Ord. Divi Basilii Magni Protoarchiman. (mp)

JOANNES OLESZEWSKI, Ord. D. Bas. Magni Cons., Super. Tor.

BASILIVS PROCEWICZ, Ord. D.B.M. Cons., Sup. Chelmen. (mp)

DEMETRIUS ZANKIEWICZ, Ord. B.M. Cons., Sup. Novogd. (mp)

JACOBUS SOLIKOWSKI, Ord. D.B.M. Pro-Consul., Abbas Cobrin. (mp)

ANTONINUS TOMILLOWICZ

Ord. D.B.M. Secretarius, Sup. Bythen. (mp)

---

<sup>358</sup> Confirmata anno 1724, a Papa Benedicto XIII, die 19 Iulii 1724; et hoc anno edita.

## 154.

Romae, 20.IV.1722.

*P. Firmianus Wolk-Karaczewski de statu suae salutis nec non de defectu amictus Basiliani etc.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, fol. 311rv.

Reverendissime Pater.<sup>359</sup>

Antequam decidatur causa in persona Principalis mei, secundum altissimum Iudicium Sanctae Sedis Apostolicae, facio recursum ad Reverendissimam Paternitatem Suam, quatenus instet pro me ad Celsissimum Principem, Sacrae Congregationis de Propagandae Fide secretarium, ut vel iuxta Iuris aequitatem me expediat ad Religionem, vel evincat mihi sua Autoritate salvum conductum, collocando in tali Monasterio, in quo non minus verbum Dei praedicare, sed etiam ad pristinam normam et formam dilapidatum per Orbem spiritum in cumulum virtutum colligere possim.

Quod attinet aliud motivum petitionis meae, prae oculis habetur debilitas valetudinis; non enim latet Reverendissimam Paternitatem Suam, quomodo primo et secundo anno in Hospitali S. Spiritus gravissime decumbentem fere a privatione vitae miraculose Deus valetudini restituit; utraque vice infirmitas in Junio vexavit, ob intensos calores, inasuetae naturae meae in frigidissimo Climate educatae; ne tertium continuando annum deterius quid patiar, diurnam residentiam commutando in mortem, conscientiose et religiose medium conservandae (*f. 311v*) vitae quaero, quoniam praeter vitam et sanguinem nil habeo, et hunc in obsequium S. Religionis victimare desidero, cum haec sit clementia et compassio Sacrae Congregationis de Propaganda Fide succurrere miseris et misereri afflictis. Ideo non me supponerem a conspectu eius recedere tristem. Siquidem nec in Processu est quidquam tale, quod me in Criminalibus premat, in conscientiaque arguat, nec in partibus ullum impedimentum, quod a sinu et nido Sanctae Religionis Matris meum regressum retardet. Denique porrigo ad considerandum defectum amictus Basiliani, vix speciem alicuius Religiosi repraesentantis, caeteraque incommoda, quae seminatricem afficiunt, et omnem diem cum morte dividere faciunt. Unicum restat, ut has paenurias R.ndissima Paternitas coram Celsissimo Principe efficaciter exponat, nec non ad effectum deducendum charitative cooperetur. Ego autem ex parte mea constantissime spondeo aeviterne esse obligatum, uti subscribo, quod sim

Datt. Residentia S. Stanislai de Urbe, die 20 Aprilis, 1722.

R.ndissimae Paternitatis Vestrae Confrater addictissimus et Servus humillimus

FIRMIANUS WOLK KARACZEWSKI  
Ordinis S. Basilii Magni (mpr)

<sup>359</sup> Forsan agitur de P. Benedicto Trulevyč, Procuratore in Urbe (1712-1726).

155.

Roma, 22.IV.1722.

*Eaedem res commendantur a Procuratore generali Secretario Congregationis de Prop. Fide.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, fol. 310.

D. Benedetto Trulewicz, Procurator Generale della Russia,<sup>360</sup> rassegna a Monsignor Ill.mo Caraffa i suoi più riverenti rispetti, e le trasmette l'ingionta lettera, scrittagli del P. Firmiano Wolk, il quale conoscendo le miserie dello stato, in cui si trova, ha deliberato di ritornare alla Religione, come pecora errante, con disposizione e prontezza di soggiacere a quella penitenza, che gli verrà da Superiori ingionta. Se pare che questa petizione possa aver luogo ed effetto prima della decisione della Causa, il P. Procuratore suddetto ne lascia il giudizio a Monsignor Ill.mo Segretario, che saprà, secondo l'alta sua mente, risolvere senza pregiudizio della giustizia, pregandolo intanto a riguardarlo con quel titolo di servitù, che gli riprotesta.

156.

Roma, 12.V.1722.

*Procurator generalis in Urbe intervenit in favorem cuiusdam sacerdotis excommunicati, ut possit absolvi.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, fol. 317rv.

SS. Sergio e Bacco, 12 Maggio 1722.

Il Procurator Generale dell'una, e dell'altra Russia, col solito dovuto ossequio riverisce Monsig. Ill.mo Segretario de Propaganda Fide,<sup>361</sup> e le avvanza una sua più riverente supplica pel Sacerdote Ciciborien, affinchè si degni d'impetrargli dalla Sacra Congregazione la licenza di poter celebrare la Messa qui in Roma, e per strada nel ritorno che vuol fare in Polonia. Il prefato Procuratore Generale vien mosso ad esercitar questa parte commendatizia dalla pura commiseratione, che ha verso il detto povero Sacerdote, che quale avendo recusato di soggiacere alla salutare penitenza dal suo Ordinario impostagli, gli è convenuto di patirne una più sensibile, e penosa col venire a Roma, e patire qui ogni sorte di miserie, colla consolazione però di essere stato assoluto dalla Scommunica, incorsa per aver percorso (*f. 317v*) suo Padre, parimenti Sacerdote, nell'atto che volea riprendersi il figlio, che seco conduceva. Che poi abbia celebrato per viaggio, può supporsi aver ciò fatto per mera ignoranza, non stimandosi scomunicato dopo tal percossa ed in ciò è stato anche assoluto dalla Sac. Penitenzieria. Sicchè non costando al

<sup>360</sup> Benedictus Trulevyč, Procurator in Urbe (1712-1726).

<sup>361</sup> Aloysius Carafa, Secretarius de Prop. Fide (1717-1724).

suddetto Procurator Generale aver egli altri impedimenti che lo irretischino dal poter celebrare, come ricava da un piccolo Processetto intimatogli da Monsignor Arcivescovo<sup>362</sup> sopra il narrato, la carità lo spinge, a supplicare Monsignor Segretario dell'accennata grazia, ripromettendosela dalla magnanima clemenza e pietà di un cuor sì generoso e nobile, con protesta di professargliene distinta obbligazione, confermandosi intanto ven. ed umilissimo Servitore, etc.

157.

*Roma, ... 1722.*

*Testimonium P. Basilii Polatylo de peracto examine caerimoniarum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, fol. 319.

Ego infra scriptus fidem facio quatenus ex mandato R.mi Patris Procuratoris Ordinis nostri probavi Ceremonias Ecclesiasticas Rn.di Joannis Bankowsbi, Presbyteri actualis, qui optime et determinate inventus est exactus in Ceremoniis Ecclesiasticis, maxime iussis quae ad Sanctam Missam pertinent. In cuius rei testimonium manu mea propria me subscribo.

Pater BASILIUS POLITILO<sup>363</sup>

Ord. Divi Basilii M. Alumnus

in Collegio Urbano de Propaganda Fide (mpr)

158.

*Roma, 8.VI.1722.*

*P. Stanislaus Pogorzelskyj petit litteras pro missionariatu ad exequendos labores pastorales in patria.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Generali*, a. 1722, vol. 635, fol. 265.

Eminentissimi Domini.

Stanislaus Pogorzelski, Ordinis Divi Basilii Magni, Nationis Ruthenae Catholicus, et ex Catholicis Parentibus natus, Missionarius. Quandoquidem iam hic Romae secundum Schismaticum ad Sanctam Romanam Ecclesiam Catholicam convertit, post datas sibi a suo Generali pro missionariatu ad

<sup>362</sup> Forsan agitur de Archiepiscopo-Metropolita Kioviensi.

<sup>363</sup> P. Basilius Polatylo, OSBM, Alumnus pontificius Collegii de Prop. Fide, ingressus die 28.XII.1714, annorum 22, die 1.IV.1720 fuit ordinatus sacerdos, laureatus in philosophia et theologia et viatico recepto discessit die 4 Maji 1723; rediit in patriam et post 13 annos in Ordine, electus est an. 1736 in Capitulo Bytenensi Protoarchimandrita quadriennalis. Fuit praesens cum toto Consultorio Generali in Cap. Leopoliensi alterius Provinciae, sed unionem totius Ordinis non vidit, quia obiit 6.V.1743, ante Capitulum Dubnense. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Protoarchimandrita*, pag. 282-3.



schismata obedientiales, quae pro maiori fide nunc Eminentis Suis praesentantur, et in Patria sua Polesia, in Districtu Mozirensi, tres ecclesias Parochiales disunitas, in Dioecesi Pinscensi, in Unione Sancta cum Ecclesia Romana existenti, adiunxit, pertinebat hunc supplicem libellum porrigere, quam devotissime impetrando, cum eleemosyna et sancta obedientia, in scripto, pro hoc munere, ob maiorem auctoritatem, ut ulteriorem hac in parte messem et felicem progressum, a Sancta Sede Apostolica provideri. Quam gratiam Deus etc. etc...

Ego infrascriptus receperim a D. Secretario Sacrae Congregationis de Propaganda Fide... literas, eos... de quibus... libello facta est mentio.

8 Iulij, anno 1722.

STANISLAUS POGORZELSKI, O.D.B. Magni (mpr)

159.

Roma, 1722.

*Accusationes contra P. Stanislaum Pogorzelski, tum de eius vita in patria tum dein Romae, et ut redeat in Religionem et patriam.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Generali*, a. 1722, vol. 636, fol. 31.

Ex Religione Basiliano-Ruthena significatum est Procuratori Generali de licentiosa vita P. Stanislai Pogorzelski, et inter alia quod jam a viginti circiter annis Apostata a Religione factus, sine obedientia, liber baro vagatur per Orbem, dicens se jam sufficienter mansisse in Religione; duobus incirca abhinc annis venerat Romam ad inveniendum R.P.D. Maximianum Wietrzynski etc. Procurator Generalis<sup>364</sup> etc. videns illum P. Stanislaum nimis lacerum et non habentem penitus vestes, misericordia ductus, sub conditione, quatenus rediret ad Religionem, vestivit ipsum, dederat illi jam duabus vicibus Literas reccomendatorias ad Religionem et Superiores, ut ipsum benigne susciperent, et ne punirent severe, et ad petitionem etiam illius Literas obedientiales, quia promiserat se emendaturum, omnia adimplere et redire ad Religionem, deinde de mense in mensem, de die in diem prolongans, usque in hanc diem, necdum adimplevit suam promissionem, nec dignus est amplius compassione. Deinde male se gerit etiam hic in Urbe; jam amplius non potest audire et suffere Procurator Generalis acclamations et delationes a varijs, etiam in gravioribus, contra istum P. Stanislaum; jam ipsi fuerat adempta et Missa, et tantummodo postea concessa extra Urbem licentia; sic quotidie currit extra Urbem celebrare et pertinaciter manet. Si non severo praecepto constringendus esset, etiam sub poena carcerationis a Sacra Congregatione vel ab Ill.mo, Excell.mo R.P.D. Secretario, ut rediret ad Religionem.

---

<sup>364</sup> Benedictus Trulevyč (1712-1726).

## 160.

Varsavia, 8.VII.1722.

*Praesumpta morte Episcopi Pincensis Godebskyj, proponitur P. Polycarpus Filipowicz.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Generali*, a. 1722, vol. 636, fol. 115.

Hesterna die hic est sparsus rumor quod R.P.D. Godebski,<sup>365</sup> Episcopus Pincensis, mortuus sit, etc.

R.P.D. Polycarpus Filipowicz, quem haec Sacra Congregatio de Propaganda Fide promoverat prius ad Episcopatum Munchacovien.,<sup>366</sup> deinde recommendaverat per literas R.P.D. Metropolitanano Russiae pro Archiepiscopatu Polocen.,<sup>367</sup> neutrum illi benemerito viro successerat, si saltem hunc Episcopatum posset obtinere, verificato obitu R.P.D. Godebski.

## 161.

Vitebsk, 7.X.1722.

*P. Augustinus Lubieniecki et eius praetensiones ad Abbatiam advitalem Minscensem et superioratum Vitebscensem; expositio status rei, litis et processus ex parte Ordinis, inhibitiones et detrusiones, nec non actiones in Nuntiatura Apostolica.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Generali*, a. 1722, vol. 637, fol. 500-501v.

Eminentissimi, Excell.mi ac Celsissimi Principes,  
Cardinales Sacrae Romanae Ecclesiae,

Congregationis de Propaganda Fide Domini, Domini mei Colendissimi.

Ille ego, nunc minimus servulus, qui quondam *in Alma Urbe Sacri Collegii Urbani* ac Sacratissimae Congregationis suarum Eminentiarum de Propaganda Fide infimus extiteram Alumnus,<sup>368</sup> cursum Theologicum largissimis sumptibus ac munificentissima suffultus gratia ibidem plausibiliter consumavi, acceptaque Apostolica Benedictione a SS.mo pie functo Pontifice Max. Clemente XI. Redux Roma ad suam Provinciam, primo scholas Zyrovicijs

<sup>365</sup> Theophilus Godebskyj, Episcopus Pincensis (1720-1730), dein Volodimiriensis (1730-1756).

<sup>366</sup> Polycarpus Filipovyč, Ep. tit. Bodonensis, Nominatus (1710).

<sup>367</sup> Propositus ad Sedem Polocensem post annum 1710.

<sup>368</sup> P. Augustinus Lubienieckyj, Archimandrita Minscensis (1726-1750), Praetendens ad Sedem Pincensem, qui multas debuit pati lites cum Ordine, ut obtineret et Archimandriam Minscensem et Superioratum Vitebscensem; Alumnus pontificius Coll. de Prop. Fide, ingressus die 4.I.1706, ut sacerdos 25 annorum; post studia theologiae, ob malam valetudinem, egressus e Collegio 13.VI.1709, cum solito viatico; cfr. D. BLAZEJOWSKYJ, *Ukrainian and Bielorrussian Students...*, in « *Analecta OSBM* », vol. XV, pag. 210.

docui, post Bytheni Magistrum Noviciorum cum concionatura, ac Zyrovicijs item per quinque circiter aut sex annos Praedicatorem et Vicarium Monasterij constanter egi, demum requisitus a piae memoriae Perill. Magnifico Domino Adamo de Brusilow... Kisiel Succamerario Palatinatus Vitebscensis, avunculo meo ex linea materna, Fundatore unico Monasterii nostri Vitebscensis, in Superioratum promotus eram, ibique munus Officialis Generalis huius Dioecesis, inter Schismaticos praedicando et laborando per sex videlicet annos obii, ubi cura et sollicitudine mea post incendium Moscoviticum totius Urbis et nostri monasterij cum ecclesia, tam ecclesia sumpto unius Civis, quam nostrum Monasterium a Fundatore sumptuosissime extracta e fundamentis erant, et ad Foundationem Conventus nostri, plus quam centum millia florenorum Polonicalium a Domino Fundatore, Avunculo meo, intuitu Personae meae, sibi sanguine junctae, accesserunt, hac conditione, ut ego huius monasterij perpetuus ad vitae meae tempora Praepositus et Superior essem, non obstante etiam ad altiores honoris gradus promotione mei in S. Religione, servando suum perpetuum Vicarium, ut id clarissime liquet tum ex scripto Fundatoris huius monasterij, manu propria Fundatoris subscripto et recognito hic Vitebsci coram iudicio Magdeburgico, quam ex testamento ultimae voluntatis eiusdem licet nuncupatorio, quia tantum inchoato et non determinato. Ex quibus bonis iam a quatuor annis hoc monasterium, mox post fata Fundatoris, fructificare caepit et nunc fructificat, quem fructum nunquam ante me habuit, et ex hac ratione facta est et auctio Religiosorum in hoc Monasterio nunc degentium, faventibus Superis.

His itaque stantibus rebus, mei affines et consanguinei nobiles Cives Poloni, vacante aliquot vicibus sede Episcopatus Pincensis nostri Ritus, stymulati etiam a quibusdam ex nostris Patribus Consultoribus, me promovebant per suas Literas instantiales ad hunc Episcopatum Pincensem procuraruntque etiam, me inscio, Praesentam seu Privilegium Sacrae Regiae Majestatis in Personam meam, sciendo mentem dignae memoriae sanctissimi Viri Apostolici, Domini Porphirij Kulczycki, Episcopi Pincensis, quod ille ex consilio cuiusdam Patris Consultoris me sibi, stante vita sua, in Coadiutorem huius Episcopatus adscire voluisset, existens in summa debilitate et continua infirmitate, cum Iure successionis in eius sedem, post fata sua, ne Bona illius Dioecesis Cathedralia post eius decessum depopularentur et cuncta suppellectilia ecclesiastica (ut communiter apud nos in similibus casibus fieri solet) depraedarent. Interea exportato jam in personam meam Privilegio pro Episcopatu Pincensi, aemulus mihi e diametro oppositus ab amicis suis et consanguineis ad eundem Episcopatum concurrens promovebatur Rd.mus Pater Theophilus Godebski,<sup>369</sup> iunior et aetate et vocatione ad Religionem me; cum igitur inter nos duos verteretur lis de hac Praelatura, praevalentibus votis Patrum Consultorum, in Consultorio eorum Rutensi celebrato, in praesentia Ill.mi D. Metropolitanus nostri, mox post Capitulum nostrum Novogro-

---

<sup>369</sup> Theophilus Godebskyj, Episcopus Pincensis (1720-1730).

dense a. 1719, electus est in Episcopum Pinscensem praefatus R.D. Godebski, et ego in Abbatem Minscensem,<sup>370</sup> etiam me inscio; et hoc negotium occultum quasi integro anno mansit usque ad Synodum nostram Provinciale Zamoscensem, ubi cum adhuc controversio inter nos verteretur de ascensu in hunc Episcopatum Pinscensem, et ego impedire voluissem R.D. Godebski ponendo aliquem obicem coram D. Nuncio Apost., Domino Hieronymo Grimaldi, Paeside nostrae Synodi<sup>371</sup> ne consecraretur in Episcopum, nostri Rev.mi ac Religiosissimi Patres Consultores cum suo Capite, Rd.ssimo Provinciali praesenti, R.P. Antonio Zawadzki,<sup>372</sup> combinando res et me contentando, ut supersederem a concurrentia ad hunc Episcopatum et ne impedirem Consecrationem R. Domini Godebski, contulerunt mihi Abbatiam Minscensem dederantque licet verbalem consensum suum nomine totius Religionis in praesentia omnium Ill.morum Dominorum Episcoporum nostrorum et ipsius Ill.mi Domini Metropolitanus totius Russiae, ut ego possem tam in Abbatem Minscensem benedici, quam penes suum advitalem superioratum Vitebscensem, secundum mentem Fundatoris et eius foundationem, a Religione in praefato Capitulo Novogrodensi lectam et acceptam manuteneri. Quem Consensum ibidem Zamoscij Ill.mus Dominus Metropolitanus speciali (*f. 500v*) suo scripto confirmavit, coroboravit et sigillo munivit; moxque post Synodum absolutam, Vladimiriæ a. 1720, die 20 Septembris, publice, solemniter et pontificaliter, lecto per prius Privilegio Sacrae Regiae Majestatis, in Abbatem Minscensem, post factam professionem fidei et juratam tam Sedi Apostolicae et Summo Pontifici obedientiam, postque Processum formatum et serium examen absolutum, benedixit, et me, licet in hoc tenuissimum Beneficium, investivit et installavit per Ill.ssimum Dominum Archiepiscopum Polocensem,<sup>373</sup> in hanc Archimandriam introduxit, habentem speciale Instrumentum Rd.ssimi Provincialis praesentis ad Patres et Fratres huius monasterij, ut mihi tanquam suo Abbati et immediato Superiori benedicto solitam praestarent reverentiam et in omnibus mandatis obedientiam.

Jam igitur ego benedictus Abbas Minscensis, quietissime occupata hac iuridice Abbatia, simul eram in quietissima possessione mei advitalis superioratus Vitebscensis et Minsco Vitebscum perrexi. Ibi que quasi medio anno permansi, et Hospitem apud me habui ipsum Rd.ssimum Provinciale, quatuor aut plus septimanis visitantem hoc monasterium, secundum morem Ordinis eumque humanissime suscepi et civilissime tractavi zelo, tempore quo mansit apud me nihilque absolute mihi dixit de hoc advitalio; et absoluta

---

<sup>370</sup> Post litem cum Ordine Archimandriam hanc tantummodo anno 1726 obtinuit, quam usque ad mortem (1750) tenuit.

<sup>371</sup> Hieronymus Grimaldi, Nuntius Varsaviensis (1712-1720).

<sup>372</sup> Antonius Zavadzkyj, Protoarchimandrita post depositionem Maximiliani Wietrzynski in Cap. Novogrodecensi in Septembri 1719, et dein duobus vicibus Protoarchimandrita (1719-1723 et 1724-26). Cfr. notam 341.

<sup>373</sup> Archiepiscopus Polocensis Florianus Hrebnyckyj (1720-1762).

Religiosa Visitatione pacifice e monasterio nostro Vitebscensi ad aliud se transtulit; ego quoque Minscum me contuli pro Festivitate Spiritus cuius tituli est ibi ecclesia mea regressurus... brevi Vitebscum tam pro solemnitate B. Martyris Josaphat, quam post hoc Festum pro Commissione expedienda, designata a Sacra Nunciatura Apostolica Regni Poloniae et M.D.L., in Causa maximi momenti, videlicet rapti violenter cadaveris pie functi Fundatoris nostri e Capella Monasterij et tumultuosissime translati ad ecclesiam Patrum Societatis Jesu Collegij Vitebscensis, tam cum iisdem Patribus, quam cum alijs Nobilibus hujus violentiae authoribus et complicibus facti, rationeque aliarum violentiarum, iniuriarum mihi et monasterio illatarum, tum etiam successionis et munimentorum ac documentorum monasterio servientium, a Patribus Societatis, post fata Domini Fundatoris in Collegio detentorum ac aliorum suppellectilium; eoque ipso fere tempore quo haec commissio per Commissarios jam paratos et conductos expediri debuit et executioni demandari, R. dissimus Pater Antonius Zawadzki, Provincialis modernus Ordinis, in conducto procedens cum adversa parte, cum qua ego litem habui et Jure agebam in S. Nunciatura, consistereque voluit, vindicando honorem Religionis et illatas injurias tam personis Sacris et Religiosis, quam loco sacro per factam violentiam Immunitati ecclesiasticae; ex quodam livore, odio ac invidia, respectu forsitan quodam ductus, subdole et clandestine, in absentia mea ausus et violenter me non vocatum, non citatum ne jure victum de meo advitali superioratu me detrudere ac deturbare, omneque regimen et omnem dispositionem mihi recipere, uti et de facto a. 1721 detruxit et deturbavit die 3tia 7bris omneque mihi regimen et omnem dispositionem injustissime recepit, et omnes res meas proprias et alienas in depositis existentes, in Cameris, Cistis et Scriniis clausis et obsigillatis; specialissime magnifici Domini Michaëlis Kisiel, Nepotis Fundatoris et Fratris mej et Domini Narvid Raczkevicz, Consanguinei nostri, Oeconomi Villae Wierzkovie dictae occupavit et interceptit, praefatumque Dominum Raczkiewicz, ablati illius omnibus rebus, volendo eum inviolate et summa afficere contumelia, liberum Nobilem Polonum et Fundatoris consanguineum ad summam induxit desperationem, quo furibundus ex hac occasione factus, explosis in pectus suum duobus sclopetis, seipsum interficere voluit et de facto dato sibi duplici per integrum corpus lethali vulnere, in eodem loco miser occubisset, nisi Divina Providentia eum a temporali et aeterna morte praeservasset, qui licet erogatis magnis expensis in medicos et kirurgos adhuc supervivit in summa interea infirmitate, quia eius vulnera sanari non possunt. Et hoc totum fecit cum summo universi scandalo, per subjecta sua ad hoc subordinata, ut pro superioratu per Patrem Sosont Theodorovicz, Juvenem ad hoc Officium incapacissimum et alios Religiosos pro alijs muniis et officijs ad hoc monasterium missos, qui huius totius inauditae actionis et scandalosi facti combustionisque funditus monasterij Vitebscensis nostri maximis sumptibus, ad 10 Millia pertingentibus, Fundatoris, per meam sollicitudinem erecti. Ipsa die Lachavakorum, (!) anno praesenti, insolentia et incuria sui extiterunt authores et ut loco huic ita

et mihi et praefatis consanguineis meis maximam infamiam et injuriam invindicabilem, cum summo cordolio nostro fecerunt. In qua causa ego miser cum praefatis exutus et (*f. 501*) spoliatus omnibus bonis tam immobilibus quam mobilibus destitutusque violentissime et injuriosissime meo advitali superioratu monasterij Vitebscensis, a R.dissimo praenominato Patre Provinciali et ejus Consultoribus, feci primitus recursum ad nostrum Ill.mum et Re.dissimum Dominum Metropolitanum totius Russiae, tanquam ad primum caput Religionis nostrae et Remedia Juris exportavi praefatosque tanquam ad primam Instantiam, ad judicium Metropolitanum adcitavi; in quo comparentes personaliter et confitentes per se omnes hanc destitutionem mej factam esse declinando forum metropolitanum, remissionem hujus Causae cum toto suo effectu ad Tribunal Apostolicum Sacrae Nunciaturae Apostolicae Regni Poloniae et M.D. Lituaniae expetierunt eademque media et Decretum obtinuerunt. Elusus igitur ego in prima Instantia et primo Foro ad Metropolitanum feci refugium tanquam ad Asyllum clementiae ad Sacram Nunciaturam eosdemque contra adversarios, violatores et invasores, rursus ad Tribunal Apostolicum adcitavi et remonstrando omnia mea documenta pro tuitione Juris mej detrusumque me injuriosissime de pacifica Possessione Superioratus, non vocatum nec citatum aut jure convictum omnibusque rebus per violentiam exutum et spoliatum deduxi. Post secutas igitur rerum controversias et excommunicationem, documentorum meorum primo possessionem, post spoliationem violentam et iniuriosissimam demonstrantium, tam parti adversae, videlicet ipsi R.dissimo Patri Antonio Zawadzki, Provinciali, cum suo Secretario Venerabili Admodum R. Patre Antonino Tomillovicz, Superiore Bithezensi, O.D.B.M., personaliter in Termino Varsaviae comparentibus, quam ipsi R.dissimo Domino Auditori Generali et Judici Sacrae Apostolicae Nunciaturae, Domino Ludovico Favini, qui habito Termino pro servato, post aliquot dies et sedulam revisionem monumentorum, ac supra ijs maturissimam reflexionem apperiendo tandem terminum a. 1722, die 10 Iulij, Varsaviae, tale his formalibus tulit Decretum, maximam meam videndo injuriam: Praevia receptione remissionis causae declaravit Rd.sissimum Patrem Augustinum Lubieniecki, Superiorem Monasterij Vitebscensis et Archim. Minscensem, O.D.B.M., reintegrandum fore ratione spolij in Monasterio Vitebscensi per R.dissimum Patrem Protoarchimandritam commissi, ad actuale Possessionem praedicti Monasterij Vitebscensis, Jurium et pertinentiarum quarumcunque... cum omnibus damnis et expensis pro parte succumbenti causatis, aliisque in dicto monasterio Vitebscensi violenter ablati videlicet restituendis, amoto quolibet detentore, ad quem effectum quodcunque mandatum de reintegrando necessarium et opportunum decrevit et relaxavit. Quapropter et mandatum executivum e Cancellaria Celsissimae Nunciaturae Apostolicae in hac Causa Ill.mus et Celsissimus Nuntius Apostolicus, Dominus, Dominus Vincentius Santinus, Archi-Episcopus Trapezuntinus extradere jussit, uti et extraditum ac relaxatum est, Varsaviae Anno eodem currenti, die 19 Iulij, suz poenis vocis activae et passivae Privationis, et beneficiorum ac officiorum amissione inhabilitateque

ad alia imposterum obtinenda, tum etiam sub censuris ecclesiasticis excommunicationis, suspensionis et interdicti, injungendo Rev.dissimo Patri Antonio Zawadzki, Protoarchimandritae cum suis sociis, ut me indilate reintegrent, reimponant et manuteneant ius superioratus Vitebsc. gratis mihi per violentiam ablato; utque res meas omnes proprias et alienas restituant, damna et expensas refundant, nulloque modo, per se aut per alias quasvis personas, in quieta possessione advitali superioratus Vitebscensis impediunt, aut quid simile agant. Verum enim vero ab hoc Decreto, justissimo licet, injustissime praenominati adversarij ad Urbem appellarunt, extenuando me et gravissime vexando et forsitan ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide suarum Celsissimarum Eminentiarum recursum fecerunt, aliter dando Informationem de me et de hac Causa, quam Iure est et fuit, varia obstacula opponendo, ne ego in possessione praefatorum Monasteriorum subsistere possem, ex solo livore et quadam invidia, immemores tam maximi beneficij, ab Avunculo meo, Domino Adamo Kisiel, Religioni praestiti, auctoris, inquam, foundationis ad... millia florenorum monasterio Vitebscensi applicatorum respectu personae meae, ut advitalitio Jure gauderem hoc superioratu; Quam etiam dati sui consensus in facie totius Synodi Zamosciensis, ut tam in Abbatem Minscensem possem benedici, quam penes suum advitalem superioratum Vitebscensem conservari, secundum mentem Fundatoris; pro hoc ego remissionem fecerim Episcopatus Pinscensis R. Domino Godebski, incompatibilitatem quasi horum duorum beneficiorum mihi dando, quia nunquam duo monasteria, duo Beneficia appellari possunt ex natura sua, nec ulla incompatibilitas demonstrari posset. Quoniam non ego primus et ultimus similia possideo, sed et Antecessor meus, pie functus Ill.mus D.nus Gedeon Szumlanski, tria aut quatuor similia monasteria habuit, Abbas existens Minscensis, et modo nonnulli (*f. 501v*) reperiuntur ex nostris Praelati, qui et plura et meliora simul possident beneficia, sine ullo impedimento aut vexa simili, quam ego patior. Et tamen illos non obstat incompatibilitas; solum unus ego talis reperiatur, qui hac gratia gaudere non valeo ex malitia praefatorum R. dissimorum Patrum Consultorum, qui pro advitalitate sui Consultorialis Officij sollicitate decertant, ut semper in hoc officio maneant et meliora monasteria possideant ipsi primi semper Superiores, licet nullus ex eorum Consanguineis nullam fecit Foundationem, aut quodquam praestiterit beneficium Religioni; et me gratis impediunt in possessione advitalis superioratus Vitebsci, Foundationis avunculi mej. Post tam diuturnam quietissimam possessionem, in quam me, post Benedictionem in Abbatem Minscensem, ipsi intromiserunt, et pro tali agnoverunt in literis suis ad me scriptis, titulum dando mihi tam Abbatis Minscensis, quam Superioris Vitebscensis, ob quo innumera habeo documenta, quorum aliqua in Iudicio Apostolico produxeram, aliqua mihi intercepta sunt ab iisdem adversarijs, tempore violenti spolijs, qua etiam in eodem Iudicio iisdem produxerant ex parte adversa; alia deflagrata sunt tempore incendij monasterij, quod insolentissime combusserunt praenominati adversarij et invasores, cum summo damno et ignominia Religionis et magna iniuria mea et aliorum consanguineorum,

quorum apud me in hoc Monasterio deposita erant. Ita ut modo, post reinductionem meam, quasi solam abominationem desolationis in hoc invenerim monasterio conflagrato, cum summo cordolio meo, qui modo nec damna unde resarcire nec debita contracta exolvere possum, post dispositionem subditorum, depraedationem villarum et praediorum, et venditionem frumentorum, equorum et aliarum rerum, post destitutionem mei a R.dissimo Provinciali, qui per hanc causam ex hoc monasterio notabilem extorsit summam, et ejus subjectorum, qui funditus depopulati sunt haec bona et Religiosos hic degentes in summam induxerunt egestatem, ut nec victum sufficientem, nec amictum necessarium habere possint. Et ego hanc Causam meam, licet iustissimam, modum non habeo promovendi in Urbe, coram Iudicio et Sacro Tribunali Suarum Ill.marum et Celsissimarum Eminentiarum, jam exhaustus et extenuatus existens, in continuo pavore et timore, ne rursus hunc mihi adversarij violenter recipiant superioratum, neve me iterum, ut minantur, spolient et destituant hac advitali possessione, quam nunquam usurpassem, nisi mihi illam primitus ipsi sponte et voluntarie promississent. Ne igitur plus aggravet ab iisdem Patribus nostris et injuste delatus succumbam in Sacro Tribunali Suarum Eminentiarum Congregationis de Prop. Fide, tanquam eiusdem Sacrae Congregationis, licet indignus, filius, servus et cliens ac quondam Alumnus, provolutus ad pedes Suarum Eminentiarum, quam demississime praesentis hoc meo supplici libello consuetam in similibus expostulo Suarum Eminentiarum Clementissimarum et Paternam gratiam, ne confundar in facie inimicorum meorum, verum secundum Decretum Sacrae Nunciaturae, quo omnia mea perspicacissime penetravit documenta, et mentem Fundatoris ac datum consensum per ipsos praefatos Patres Consultores, quiete tam in Abbatia mea misera, quam advitali Superioratu monasterij Vitebscensis quod prorsus restaurare appromitto, conservari et manuteneri possum humillime peto; ut quum omnia damna et expensas causatas per partem adversam recipere valeam, supplex peto. Si vero suis Celsissimis Eminentijs placuerit, pro pleniore Informatione accipienda, hanc causam nostram cum toto suo effectu, rursus ad nostrum Ill.mum Metropolitanum remittere dignentur, aut ad totum brevi imminens generale Capitulum nostrum,<sup>374</sup> in quo etiam plures Episcopi nostri adesse debebunt, ut hanc causam inter nos dejudicent finaliter, sine ulla ulteriori protellatione aut appellatione, quoniam ego, propter Bonum Pacis, ut finem hujus causae et turbinis quantocius fiat Decreto nostri Ill.mi Metropolitanus, cum alijs Praelatis ac Episcopis ferendo, me contentari appromitto et assecuro. In quo negotio finalem eamque clementissimam et paternam, quam expertus non semel sum, Resolutionem et Apostolicam Benedictionem quantocius dum expecto, in perfectissimo cultu et debita Sanctae Sedi Apostolicae et suis Celsissimis Eminentijs adoratione maneo indelebili in corde scripto caractere per semper.

---

<sup>374</sup> Forsan agitur de quodam expectato Capitulo post redintegrationem P. Maximiani Wietrzynski, quod revera locum non habuit.



Suarum Celsissimarum et Excellentissimarum Eminentiarum, Principum Cardinalium S.R. Ecclesiae, Congr. de Prop. Fide infimus Cliens et ad Aras perpetuus Exorator

AUGUSTINUS LUBIENIECKI  
Abbas et Offic. Minsc.,  
Superior Vitebsc. Ord. S. Basilii M.,  
SS.mi D.ni Nostri Alumnus de Prop. Fide

162.

Vitebsk, 30.IV.1722.

*Expositio litis et processus P. Augustini Lubieniecki de Archimandria Minscensi et superioratu Vitebscensi, favore consanguineorum obtentae, scribit Protoarchimandrita Procuratori Romano.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Generali*, a. 1722, vol. 637, fol. 503-504.

Copiae Litterarum transmissarum ad Rn.dum Patrem Procuratorem Generalem Religionis Basilianae Ruthenae,<sup>375</sup> a Reverendissimo Provinciali eiusdem.

Post Titulum.

Datam a R.ntia Sua expeditionem die 29 Augusti recepi cum copijs Testimonij ab Ill.ssimo<sup>376</sup> dati, quod Rnd.mus Consensum dederit ad Archimandriam Minscensem et simul cum advitalitate Superioratus Vitebscensis. Sed adverto, quia talis Consensus non tantum esset contra Jura Religionis, sed contra Canones Sacros, et contra Statum Religiosum ac votum Paupertatis. 2do: Contra Canones, quia pluralitatem incompatibilium, non dispensabilem, nisi a sola Sede Sancta Apostolica, quod ego in faciem Ill.ssimo Zamosciae opposui, negando dictum Consensum per ipsum Ill.ssimum a me volentem, pro quo mihi respondit: igitur non dabis alium Superiorem Vitebscum, et solvetur quaestio. Deinde advitale Ius pro Vitebscensi Superioratu nunquam probabat R.dus Pater Lubieniecki coram Religione neque originale unquam ostendit; et Religio habet documenta Fundatoris de mente contraria eiusdem, et in Congregatione Novogrodensi,<sup>377</sup> quando legebantur copiae horum documentorum, statim reclamabat Capitulum, propter duo puncta. 1mo, quod ibi Fundator absolvit Rn.dum Patrem Lubieniecki a calculo faciendo de proventibus Monasterij; 2do, quod advitalitatem superioratus disponit, non obstante assensu ad dignitates, etc., ut habeat Dominium huius Monasterij. Propter haec igitur puncta, reclamaverunt statim Patres, et has Litteras fundatoriales in

<sup>375</sup> P. Benedictus Trulevyč, Procurator in Urbe (1712-1726).

<sup>376</sup> Forsan agitur de Metropolita (Illustrissimus), qui agit de quodam consensu Protoarchimandritae (Reverendissimus).

<sup>377</sup> Agitur de Capitulo Novogrodecensi diebus 12-23 Septembris 1719; cfr. M.M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis...*, pag. 22.

Capitulum non connotarunt, neque ad Acta Capituli inscripserunt, uti rasam chartam, et informem etc. Status igitur Causae Lubieniecianae est, de ambo-  
 bus Monasterijs, quam ambitione per potentiam Magnatum instantium, am-  
 bo Monasteria possidere vult etc.; horum autem omnium documenta authen-  
 tica apud Rn.dum Patrem Lubieniecki sunt deposita, et ille debet compelli ad  
 producendum tam haec, quae juri Religioni inserviunt, quam et illa, quae  
 eius praetensioni servire debent, tam ratione Minsci, quam et ratione Vite-  
 bsci. De nullitate Consensus praetensi (*f. 503v*) (qui, quod non est datus  
 Deus scit et mea conscientia, et tantum paenitet me honoris Illus.simi),  
 sufficient Protestatio mea Zamosciae, in Acta Sacrae Nuntiaturae inscripta,  
 die 19. 7bris 1720. Altera, a Consultorio, per Secretarium facta die 15. Xbris  
 eodem Anno, in Consultorio Vilnensi; ipsi probare incumbit praetensum Ius  
 contra Ius Religionis, a tot annis possessum tam Vitebsci, quam et Minsci.  
 Ego autem gravaminosissime a Rn.do Patre Auditore iudicatus, qui agnovit  
 spoliolum factum, ad quod probandum debebat probare Possessionem, quam  
 habuit ad nutum Protoarchimandritae amovibilem, saltem post quadrigen-  
 nium, vigore assignationis obedientialis, sed non vigore Litterarum fundatoria-  
 lium, quae neque praesentatae originaliter, nec acceptatae quoad puncta in-  
 formia, statui et canonibus contraria, et Religioni summe injuriosa. Haec  
 omnia in statu Causae sunt lucide expressa etc. Remedia, quae Paternitas  
 Vestra asserit, nondum pervenerunt ad me, propterea debui permittere  
 Rn.do Patri Lubieniecki reditum Vitebscum; qui tamen, non servata forma,  
 sine Commissario, ipse cum superba assistentia sua, qua semper stipatur,  
 violenter Rn.dum Patrem Superiorem turbavit, Regestra omnia recepit, et  
 ipsum Superiorem de Monasterio expulit, pedester expedit. Quapropter,  
 miser, morbo statim infectus est, neque adhuc signa meliorationis apparent.  
 Ad ultimum modo, sub die 23. 7mbris scribendo minatur (inquantum rigore  
 appellationis vellemus causam promovere, et non magis, in futuro Capitulo,  
 mitigaremus) formalibus: et Monasterium negligere, nec ullam restorationem  
 eiusdem facere, et loco eodem (id est Vitebsco) omnimode abuti, ut recipiat  
 suum (quod nunquam habuit), licet per hoc annihilaret Monasterium; ad ulti-  
 mum et Litteras fundatoriales delere etc. Sciendum autem, quod in Capitulo  
 quid vult obtinebit. Ipse Deus praesidens favebit etc. Religio autem agit et  
 aget non tantum de Vitebesco, quod est minus et combinabile, praecisa Causa  
 Minscensi, quia Minscensis Causa pertinet Illustrissimum Metropolitanum,  
 qui et titulum suppressum per Constitutiones Religionis firmatas a Sancta  
 Congregatione et per Privilegia Regum, etiam hodie Regnantis, excitavit, et  
 novum titulum Archimandriae Sancti Spiritus, ubi nunquam fuit, erexit; et  
 plura minatur Ordini per erectionem Archimandriarum, et per hanc erectio-  
 nem titularum, extrahens et Monasteria et personas ex Jurisdictione Genera-  
 lis, ut iam tot vicibus fecit. Ego peto Vestram Paternitatem et obtestor, ut ubi  
 consilium agnosceret de remedio providendo contra intenta ab Ill.mo, quia  
 hic ego non possum capere Consilium, quia de nostra Religione (*f. 504*) nihil  
 expresse in Iure Communi, et Privilegijs speciale apparet, vigore cuius Illu-

strissimus absolvit a voto obedientiae juratae suae pro tempore Generali, et sibi iurare fecit Monachos obedientiam, hos, quos ipse non tantum sine consensu, sed etiam contra dissensum Ordinis, et asserit non requiri Consensum, etc.

Scriptum Beresteciae, die 10. 8bris, anno 1722.

ANTONIUS ZAWADZKI, Ord. D.B.M. Archiman.

\* \* \*

Copiae Litterarum transmissarum a Rev.do Patre Augustino Lubieniecki ad eundem.

Post Titulum, etc.

Reverendissimus Pater Proto-Archimandrita cum suis Consilijs immediate recipere pro tunc violenter hunc superioratum a me iusserat et recepit, et omnia accepit, et expulsionem fecit non vocato, non citato, non convicto etc. et voluntarie hunc locum ruinavit, incapacia subiecta ad directionem huius Monasterij mittendo, et modo perdit, et ad finem perdet, quando me Romam etiam citat, non contentus Decreto tam Illustrissimi Domini Metropolitanus, quam Sanctae Nuntiaturae, quae, quia rem iam optime penetraverat et reinductionem mihi dare iusserat, possessionemque advitalem adiudicaverat, contra quam et modo moliuntur, et me turbare conantur, cum magno detrimento huius loci; tunc ego derelinquendo finire Monasterium, habendo hanc notitiam omnem movebo lapidem ad tuitionem sui et danda repressalia invasoribus, et interim, uti potero, utar hoc loco pro lite cum illis, quando pacifice nollent mihi consentire, etc. Reducit mihi in memoriam R.ndissima Pater. V. Canones, et ex his obicit incompatibilitatem duorum Beneficiorum etc., sed ego scio Canones prius, quam R.P.V. et illos quantum possum observo; verum nullus me convincet, neque hoc demonstrabit, ut ista sint duo Beneficia incompatibilia; deinde dato non concessio ut sint, an apud nos fuit, et est novum hoc, duo beneficia pinguiora his possidere, etc.

Scriptum Vitebsci, die 30. 7bris, Anno 1722.

AUGUSTINUS LUBIENIECKI

163.

*Varsavia, 19.IX.1720/1722.*

*Protestatio contra P. Augustinum Lubieniecki de superioratu advitalitio Vitebscensi et de Archimandria Minscensi.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Generali*, a. 1722, vol. 637, fol. 505rv, 508.

Copia Protestationis contra et in R. Patrem Lubieniecki.

Anno Domini 1720, die Jovis, 19 mensis Septembris. Coram me Notario et Vicecancellario infra scripto personaliter constitutus Rn.dus in Christo Pater

Antonius Zawadzki, Ord. D. Basilij Magni Protoarchimandrita, Superior Beresvecensis, petijt quoddam documentum authenticum, manu sua mihi quoad characterem bene nota subscriptum, protestationem in se continens, ad Acta Notariatus mei suscipi, eisdemque inseri, et ingrossari; quod prout de Iure obtinuit, cujus quidem documentum tenor est.

Anno Domini 1720, die 13 mensis Septembris, ad Acta S. Apostolicae Nuntiaturae ego Antonius Zawadzki, Ord. S. Basilij Magni Protoarchimandrita, nomine meo et Consultorij, omni meliori modo, forma, et stylo protestor contra V.P. Augustinum Lubieniecki, Ordinis nostri Professum, et Superiorem Vitebscensem, pro eo quod dictus R. Pater imprimis in Anno 1719, sine scitu, nedum cum consensu suorum Superiorum ambitiose privilegium ad Episcopatum Pincensem sibi a S.R.M. exportare curaverit atque convasatis plurimis instantijs Magnatum, ijsque gravissimis instantijs, quibus et consensum a Religione et ab Ill.mo Domino Metropolita promotionem sui extorquebat, eo pacto, ut nisi Episcopatu Pincensi potiatur, saltem Mincense Monasterium titulo Archimandriae obtineat. Cujus quidem Monasterij titulus Archimandriae iam dudum Constitutionibus Ordinis, confirmatis a S. Sede Apostolica, tum Privilegijs Serenissimorum Regum Poloniae extinctus; denique ita extorto a me, Protoarchimandrita, per inevitabiles instantias Principum et Magnatum, insuper repetitis et multiplicatis eorundem Principum et Magnatum instantijs ductus, R.P. Lubieniecki cogit et angarisat Religionem ad hoc ut penes Monasterium Mincense titulo Archimandriae sibi praetensum etiam Monasterium Vitebscense advitaliter teneat ac administret, idque sine ulla obligatione reddendi calculi cuiquam de perceptis et percipiendis fructibus, ex bonis Monasterij Vitebscensis, atque ut duo beneficia pingua, regularia, curata, a se invicem miliaribus 45 distantia, residentiam personalem Praelati requirentia, apprehendat, et manuteneat. Quapropter ergo Protoarchimandrita Ordinis, cum non suppetat modus coërcendi effusam dicti R.P. Augustini Lubieniecki ambitionem, et avaritiam, iterum iterumque protestor atque pro oportunis remedijs insto ac supplico.

Anno Domini, ut supra. — Antonius Zawadzki, Protoarchimandrita Ord. D. Basilij Magni, Superior Beresvecensis.

Acta haec sunt Zamoscij, post conclusam hujusmodi Synodum Provincialem Ritus Graeci-uniti, Anno, die, et mense quibus supra, indictione Romana XIII, Pontificatus SS.mi Domini Nostri Clementis Divina providentia Papae ejus nominis XI, Anno XX.

Stephanus Skwarczynski, Publicus S. Apostolica Autoritate Notarius et Nuntiaturae Apostolicae in Regno Poloniae Vice-Cancellarius. Ex actis Notariatus mei extractum, et signo meo solito, quo in conficiendis instrumentis utor, communitum.

STEPHANUS SKWARCZYNSKI  
Notar. et Vice-Cancellarius (mpr)

## 164.

Vilnae, 15.XII.1720/1722.

*Secunda protestatio de eadem re et negotio P. Lubieniecki.*APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Generali*, a. 1722, vol. 637, fol. 505v-508.

Copiae secundae Protestationis contra eundem.

Actum Vilnae in Cancellaria Consistoriali Anno Domini 1720, die 15 Mensis Decembris. Coram Actis Concistorij Episcopatus Vilnensis et Admodum R. Domino Bartholomeo Buscole, eorundem Actorum tunc Notario, comparens personaliter V.P. Heraclius Lemieszewski, Ord. D. Basilij Magni Procurator Causarum Conventus Vilnensis, obtulit in scriptis solennissimam Protestationem, ab Admodum R. Patre Antonio Tomillowicz, Ordinis etiam D. Basilij Magni Secretario, Superiore Conventus Bythenensis, in, et contra Admodum R.P. Augustinum Lubieniecki, ejusdem Ordinis, Superiorem Conventus Vitebscensis, in forma Iuris effectam, et ejudem protestantis propria manu subscriptam, integram, illaesam, omnique suspitione carentem, quam petijt nomine protestantis Actis praesentibus ingrossari, et protestanti per expromptum ex-tradi. Et quidem ingrossata sonat tenorem sequentem:

Ego infra scriptus Ord. D. Basilij M. Secretarius, nomine Consultorij et totius Ordinis Basiliani omni meliori modo, forma, stylo, et praxi, quibus de Iure firmius, melius, ac validius esse potest ac debet, solennissime manifesto protestorque contra Admodum R. Patrem Augustinum Lubieniecki, Ordinis nostri, Superiorem Conventus Vitepscensis, idque probo: qua dictus V.P., ambitionis affectu ductus, contra institutiones Religionis, Regulam S. Basilij M., contra Canones et Decreta S. Sedis Apostolicae, non solum contra votum sanctae obedientiae, verum etiam contra votum speciale, nuper in anno 1719, die 22 mensis Septembris solemniter in praesentia totius Capituli emissum de non ambigendo honore,<sup>378</sup> temere, insolenter, ac scandalose procedens, contemptis supradictis omnibus, ausus sit et praesumpserit exportare pro sua Persona Privilegia S.R.M. duo ex Cancellaria M.D. Lith., pro Episcopatu Pinscensi (stante jam dudum canonica electione ad eundem Episcopatum, juxta Iura Ordinis nostri, Rn.di Patris Theophili Godebski) et aliud Privilegium pro Archimandria Minscensi (cujus titulus iam dudum privilegiis Sere-nissimorum Regum in forma illius loci, constitutionibus Ordinis, a S. Sede Apostolica confirmatis, sublatus fuit) conquisitisque Magnatum pro sua promotione potentissimis instantijs, tum Illr.m ac Revd.mum Dominum Me-tropolitanum totius Russiae, tunc circa gravissimum interesse Sanctae Unio-nis desudantem difficultare, tum Religionem ad sui promotionem similibus

---

<sup>378</sup> In Capitulo 1719 Patres hoc votum iterum edixerunt, datis circumstantiis temporis et occasione depositionis P. Marximiani Wietrzynski.

instantijs imperiosis Magnatum angariare, insuper canonicam electionem de Persona Rd.mi Patris Theophili Godebski sub tempus Capituli generalis in Anno 1719, die 24 Septembris factam, secundo, tertioque potentioribus, potentissimis instantijs, ne ad effectum promotionis suae Electus veniret, procurare, eoque ipso tum Ill.mo ac Rd.mo Domino Metropolitano, Praesidi Capituli dicti, tum Religioni summa incommoda, Electo magnos sumptus et vexas, quos etiam summa trium millium Imperialium, ac alia sex mil. Florenorum Polonorum, a sua pia memoriae Domina Genitrice Elisabetha de Piasecijs Godebska, Vexiliferissa Pincensi, Religioni nostrae ad Fundationem Chorobroviensem legata, dictus (*f. 508*) R.mus Godebski electus redimere coactus, cum spe minima dictae utriusque Summae fundationi Chorobrovicz refusionis, causare. Decreto V. Consultorij Ordinis in Anno praesenti, die 30 Maij, ad Instantiam Instigatoris Capitularis, ex delatione ac pro parte Electi, ut in spatio duorum mensium ab executione ejusdem Decreti dictum pro Episcopatu Pincensi Privilegium, ambitiose ac injuriose expostulatum, ad manus Religionis sub paena excommunicationis ac alijs contra ambitiosos tum in Iure communi, tum in Constitutionibus Ordinis expressis, deponeret, Electumque ab ascensu Canonico minime impediret, contumaciter non parere, imo idem emendicatis Magnatum instantijs, seu verius imperijs, ad recessum ab electione facta de persona Rd.mi Godebski in Episcopatum Pincensem, aut saltem ad conferendam sibi Archimandriam Mincensem simul cum Superioratu Vitebscensi advitaliter, ac absolute et sine obligatione reddendi cuiquam de proventibus dicti Monasterij calculationem cogere. Cum itaque efficax remedium ac modus coercendi eiusmodi effusam ambitionem, occurrentique tantis praejudicijs, incommodis, ac damnis Religionis, non suppetat Domi, efficaciora, ubi de Iure, quaesiturus remedia nomine totius Religionis solemniter protestor, ad probandum R.P. Augustinum Lubieniecki, contra votum solemne sanctae obedientiae et speciale votum de non ambigendo honore notorie deliquisse, poenasque contra ambitiosos Regulares, tum de Jure Communi, tum specialibus Ordinis expressas incurrisse, dignitatem Abbatialem extorsisse ac nulliter et Superioratum advitalem Vitebscensem contra Jura et Statuta Religionis praetendisse. Clausulas derogatorias Juribus et Statutis Religionis in Litteras fundatiales Vitebscenses inseruisse. Denique sumptus pro redimenda vexa per Red.ssimum ad praesens Dominum Lubieniecki, per Ill.mum Dominum Godebski, Episcopum Pincensem, erogatos Ordini, aut ipsi taliter vexato in solidum refundere et Archimandriae Mincensi cedere teneri. Hanc meam solemnem, nomine totius Ordinis Protestationem ad Acta Concistorialia Episcopatus Vilmensis ingrossari, atque per excerptum extradi humiliter insto. Hanc quoque Protestationem subscriptam hoc tenore: Pater Antonius Tomillowicz, Ord. D. Basilij M., Secretarius ejusdem Ordinis, Superior Conventus Bythenensis manu propria. — Quod est susceptum, connotatum, et Actis sub Notariatu Admodum Rn.di Domini Bartholomei Buchole Potocki Zaslaviensis, tunc Notarij Concistorialis Vilmensis ingrossatum. Nunc vero ad postulata Protestantis per me infra scriptum Anno Domini 1721, die

15 Decembris ex Actis Consistorij Episcopatus Vilmensis extractum, et Sigillo munitum Excell. ac Rnd. Domini, Domini loci Ordinarij Vilmensis, etc.

(Locus Sigilli)

HIERONYMUS DOMINICUS SZYMKOWICZ  
Actorum Consistorialium Episcopatus Vilmensis  
Notarius Publicus.

165.

Roma, 8.III.1723.

*Quaedam denuntiatio de habitatione libera in Hospitio SS. Sergii e Bacchi et de superflua habitatione P. Rectoris.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Particolari*, a. 1723, vol. 65, fol. 140.

Nos infrascripti, bene gnari et oculati testes, in verbo veritatis testamur, quod in Residentia SS. Sergij et Bacchi, in Hospitio Ruthenorum est totum appartementum, quod continet in se residentias tres vacantes, a nulloque deoccupantur, et praeter hoc appartementum vacuum; aliae etiam sunt duae Stantiae vacuae, a nulloque possidentur et praeter hoc ipse Rector praedicti Hospitij totum tenet appartementum, in quo continentur residentiae tres amplissimae, ex quibus posset praedictus Pater Rector una esse contentus, quod sic est, et non aliter, in evidentiore veritate cum sigillis nostris manibus proprijs subscribimus.

Datum in Urbe, die 8va mensis Martij, Anno Domini 1723.

Pater SYMPHORIANUS WEKULSKI  
Ord. D.B.M., Socius Procuratoris (mpr)

ALBERTUS Ogonoschy, Pigionante di Sergio e Bacho

MARTINUS JUNAKOWSKI  
ex residentia in illo loco et habitatione benegnarus (mpr)

166.

Polocia, 2.IV.1723.

*Deploratio excommunicationis Floriani Hrebnyckyj, Archiepiscopi Polocensis, ex parte PP. Societatis Jesu Polociae; declaratio communis Communitatum Polocensium.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, fol. 455rv.

Nos infrascripti notum facimus, et testamur, quod Rndi PP. Jesuitae Collegij Polocensis, obtento Decreto Excommunicationis a Sacro Tribunali Nuntij Apostolici in Ill.mum et Rev.mum Dominum Florianum Hrebnycki, Archiepiscopum Polocensem,<sup>379</sup> lato, eandem Excommunicationem in Civitate

---

<sup>379</sup> Florianus Hrebnyckyj, Archiepiscopus Polocensis (1720-1762).

Polocensi, in templo suo Parochiali, ex ambona per Rev.dum P. Turczyn, Ministrum Collegij Polocen. Soc. Iesu, coram Populo varij status, et conditionis ad Divina congregato, immoderate, et inaudita praxi, ita ut Populus rei gravitate commotus, vix non omnis ex templo recesserit, cum gravi ignominia Dignitatis Archiepiscopalis, et summa Unitorum cum Sancta Romana Ecclesia confusione, verbis inusitatis, et honorem Archiepiscopalem laedentibus, extra solitam Excommunicationis formam utendo, candelamque ex ambona proiciendo, ac minori campanula pulsando, subsequente demum pulsatione campanarum majorum, die prima mensis Januarij, in Festo Circumcisionis Domini, anni currentis promulgarunt, et postmodum diebus Dominicis et Festis indesinenter, successive eandem Publicationem Decreti Excommunicationis per Concionatorem suum, et per Commendarium inter Missarum solemnias, coram populo ad Divina congregato, praedicti R. PP. Jesuitae Collegij Polocen. continuaverunt, et persecuti sunt. Unde cum summo periculo aversionis a Fide multorum per totam Civitatem Polocen., imo ubique inter populum varij status et conditionis, vel maxime populum schismate infectum, tum privatim, tum publice varij periculosissimi increpauerunt rumores, et de Fide Unitorum cum Sacra Romana Ecclesia, utrum sit bona, inter rudem Populum exortae sunt dubietates, passimque haec et similia cum summa laesione honoris, et magno vitae Ill.mi Archiepiscopi Polocen. periculo spargebantur, et divulgabantur, quod idem Ill.mus Archiepiscopus Polocen. jam non permanebit in suo Archiepiscopatu, sed detrudetur, et alius substituetur, et quod idem Ill.mus, cum lapsus in Apostasiam, meditetur vias alienas, adeoque quicumque eundem Ill.mum uti maledictum occiderit, pro invindicabili capite reputandum foret. Cui attestationi nostrae, ut major fides praebeatur, penes Sigilla Conventuum, manus nostras subscribimus.

Dabantur Polociae, die 2da Aprilis, Anno 1723.

Locus sigilli Monasterii PP. Basilianorum Polocen.

PATRICIUS ZYRAUSKI, Ord. D. Basilii Magni, Superior Polocen. ad Aedes S. Sophiae (mpr).

Locus sigilli Conventus PP. Ordinis Praedicatorum.

In absentia adm. Rn.di Patris Prioris, uti Vicarius Conventus Polocen. et Concionator ordinarius subscripsi. Fr. WLADISLAUS GOTGOVSKI, Ord. Praedicat.

Locus sigilli Conventus Ord. Minor. S. Franc. Polocensis Conventualium.

Fr. FRANCISCUS PRZYBOROWSKI, Guardianus Polocen. Ord. Minorum Conventus S. Francisci.

---

<sup>380</sup> P. Patricius Zyravskyj, tunc Superior Polocensis, dein vero Procurator in Urbe (1726-1729), et demum electus Protoarchimandrita Prov. Protectionis B.V. Mariae in Cap. Leopoliensi 1739 (25.VIII. - 3.IX), cui muneri resignavit die 12.I.1741, ob tentamina Provinciae Lithuanae uniendi Provincias in unum corpus-Ordinem; cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, pag. 283-284.



(f. 455v) Suprascripta copia cum suo Originali, per me viso, diligenter confrontata et collationata de verbo ad verbum concordat. In cuius rei fidem praesentes subscripsi et Sigillo Ill.mi ac Rev.mi D.ni, Domini Vincentii Santini, Archiepiscopi Trapezuntini, et Nuncii Apost. in Regno Poloniae etc. communivi.

Varsaviae, in Cancellaria Nunciaturae Apostolicae, hac die 11 mensis Maii, Anno D. 1723.

(Locus Sigilli N.A.)

Ita est; STEPHANUS SKWARCZYNSKI, Pub. Sacra Auth. Ap. Notarius, et Actorum Nunc. Ap. Vice-Cancell. (mpr).

Die 15 Iunii 1723, praesens copia per me infrascriptum collationata fuit cum suo originali, et ad verbum concordat. JOAN. ZAMBECCHINI, Arch.

167.

Roma, 9.IV.1723.

*De contractis debitis ex parte PP. Wietrzynskyj et Wolk a P. Sebastiano Mulinowicz, Rectore, cum onere restitutionis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Particolari*, a. 1723, vol. 65, fol. 233.

Nos infrascripti significamus et in verbo veritatis testamur, uti bene gnari et pro certo scientes, quod Reverendissimus Dominus Sebastianus Mulinowicz, Rector S. Stanislai in Urbe ecclesiae Nationis Polonorum, Reverendissimo Patri Maximiano Wietrzynski Epimach, Ordinis Divi Basilij Magni Protoarchimandritae et Firmiano Wolk, ejusdem Consultori, concessit et accommodavit deditque pro exolvenda mercede Domino Facio, Notario illiusque Iuveni scuta Monetae Romanae viginti novem et obulos triginta, nec non etiam Domino Josepho Czolhanski solvit pro exemplatione traductionis scripturarum polonicalium praedictorum RR.PP. ad parandas defensas eorum, scuta Romana octo, quod sic est et non aliter, in majorem evidentiam veritatis manibus nostris subscribimus et sigillis corroboramus.

Datt. in Urbe, ad Aedes S. Stanislai Nationis Polonorum, die 9 April. 1723.

D. JOANNES CANTIUS JAKIELSKI, O.S. Benedicti,  
Monasterii Tynecensis in Urbe Procurator (mp)

THOMAS KOVALSKI

Canonicus Regularis SS. Sepulchri Christi (mpria)

JOANNES SKRZYNSKI

Pincerna Sieradiensis (mpria)

168.

Roma, 9.IV.1723.

*Denuntiatio sumptuositatis apartamenti P. Rectoris et Procuratoris generalis in Hospitio SS. Sergii et Bacchi.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Particolari*, a. 1723, vol. 65, fol. 241.

Nos infrascripti recognoscimus, et in verbo veritatis testamur, uti benignari, quod in Residentia seu Hospitio SS. Sergij et Bacchi, O.D. Basilij Magni, Nationis Ruthenae, hic in Urbe ad Montes, sunt et inveniuntur mansiones vacuae, in quibus nullus habitat. Appartementum 1, continens cubacula tria cum culina. Et a parte sunt cubacula bina. Ubi autem Dominus Albertus Ogonowski habitat, in hac parte iterum sunt cubacula bina, seu stantiae. Ubi ipse R.P. Benedictus Trulewicz, Procurator et Rector, habitat sunt stantiae tres cum culina, ita amplae, ut una posset P. Rector esse contentus.<sup>381</sup> Istae autem superius specificatae stantiae sunt vacuae, et a nullo inhabitantur, aliae vero Residentiae, praeter illas superius specificatas vacuas, a Mercenarijs inhabitantur. Quod sic est, et non aliter, subscriptione manuum nostrarum confirmamus et sigillis nostris corroboramus.

Dabantur in Residentia SS. Sergij et Bacchi, die 9 Aprilis 1723tio.

Pr. SYMPHORIANUS WEKULSKI

O.D.B. Magni, Socius Procuratoris (mpr)

ALBERTUS OGOŃSCHY, Pigionante di S. Sergio e Bacco (mp)

MARTINUS JUNAKOWSKI (mpr)

JOANNES SKRZYŃSKI, Pincerna Sieradiensis (mpria)

169.

Roma, 12.IV.1723.

*De summa pecuniae transmissa a Metropolitana Kioviensi P. Procuratori generali in Urbe pro debitis Hospitii.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Particolari*, a. 1723, vol. 65, fol. 238rv.

Nos infrascripti recognoscimus et in verbo veritatis testamur, qualiter Reverendus Pater Symphorianus Wekulski, Ordinis Divi Basilij Magni, Socius Procuratoris, in Urbe existens in Residentia SS. Sergij et Bacchi, requisitus a Reverendissimo Patre Maximiano Wietrzynski, Ordinis Divi Basilij Magni, Protoarchimandrita, ut fateatur, quantum pecuniae, illo sciente et praesente, a R.P. Antonio Zawadzki,<sup>382</sup> cum extiterit illius Secretarius pro tempore, transmissum fuerat per Cambium in Urbem R.P. Benedicto Trulewicz,<sup>383</sup> Rectori Sanctorum Sergii et Bacchi et Procuratori, pro expensis in Causa Reverendissimi Patris Proto-Archimandritae cum Reverendissimo Patre Domino Leone

<sup>381</sup> P. Benedictus Trulevyč, Procurator in Urbe et Rector Hospitii (1712-1726).

<sup>382</sup> P. Antonius Zavadskyj, Protoarchimandrita (1719-1723). Hoc tempore agitabatur in Urbe causa redintegrationis P. Maximiliani Wietrzynski; die 1.III.1723 S. Congregatio Decretum redintegrationis emisit, et ipse, forsitan in Octobri, iterum in officium ingressus est, sed cum effectu pessimo, qui iterum ei depositionem procuravit.

<sup>383</sup> Procurator in Urbe (1712-1726). Forsan haec inquisitio a redintegrato P. Wietrzynski procurata fuit.

Kiszka, Metropolitano Russiae, et Reverendo Padre Antonio Zawadzki<sup>384</sup> sese agitante hic in Sacra Congregatione de Propaganda Fide. Qui praedictus Pater Symphorianus, Socius P. Procuratoris, praesentibus nobis recognovit et ex ore illius audivimus, quod in anno 1722 primo transmissi fuerant Aurei Hungaricales numero 30; post, eodem anno brevi tempore, 17; ipse autem Pater Symphorianus 13. 10bris ejusdem anni perveniens huc Romam secum tulit Aureos Hungaricales 25, eidemque Patri Rectori tradit et exolvit, quos in unum computando, Aureos Hungaricales (f. 238v) sunt numerando septuaginta duo, scuta vero Romana centum viginti novem faciunt, et bajocos sexaginta, numerando unum Aureum Iulios octodecim. Quod nos a praedicto Patre Symphoriano, uti fideliter, sub conscientia dicentem et narrantem audivimus, ita referimus et hoc testimonium damus die 12 Aprilis anno 1723tio.

Ad aedes Sancti Stanislai Nationis Polonae.

THOMAS KOWALSKI

Canonicus Regularis Custodum Sepulchri Christi (mp)

P. JOANNES CANTIUS IAKIELSKI

O.S.B. Monasterii Tynecensis in Urbe Procurator (mp)

JOANNES SKRZYNSKI Pincerna Sieradiensis (mpria)

## 170.

*Novogrodek, 20.VI.1723.*

*De calculo bonorum PP. Wietrzynskij et Wolk et de non solvendis eorum debitis ex parte Ordinis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Particolari*, a. 1723, vol. 65, fol. 331-32v.

Celsissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine,  
D.ne, Patrone Protector Clementissime.

Certificati literis Perillustris Rev.mi Domini Auditoris Suae Ill.mae et Excell.mae Celsitudinis de mandato S. Congregationis Propagandae Fidei, ut P. Protoarchimandrita cum Religione nostra accuratum calculum praestet ex bonis tam patrimonialibus fictitijs, quam Abbatialibus R.R.PP. Maximiani Wietrzynski, et Firmiani Wolk, Basiliani Uniti Provinciae Lithuaniae, ut obsequentissimi famuli mandatis tam S. Congregationis quam Ill.mae, Excl.mae Celsitudinis ea qua par est obedientia ac demissione paremus, ac in sinceritate cordis sub fide et conscientia exponimus: P. Maximianum Wietrzynski, tam ante electionem suam in Protoarchimandritam, quam post electionem nulla bona patrimonialia possedissee, aut fructus ex eis percepisse; quamvis enim post fata parentum suorum bona aliqua eum concernerent, illis tamen tum ob homicidium cujusdam Nobilis dicti Sosnouski, in saeculo perpetratum, tum propter dilapidata Fratrum minorennium et Sororum suarum bona mobilia,

---

<sup>384</sup> Agitur de noto Processu P. Maximiani Wietrzynski et P. Firmiani Wolk de reintegracione, quae evenit die 1 Martii 1723 a S. Congregatione.

quam immobilia, debitis contractis onerata, in Tribunali Regni Poloniarum est adjudicatus, ubi clare decreta sonant.

Pater vero Firmianus Wolk in egestate natus, emendicato pane prius, post in famulatio inspectoris munus obeundo humanioribus literis operam dedit, tandem ad Tyrocinium Religionis nostrae in attritis vestibibus pervenit (*f. 331v*) et nulla unquam tam mobilia quam immobilia bona, uti parentes, fratresque sui praeter exiguum agrum habuerint, quem agrum modo fratres sui possident. Insuper matrem Patris Wolk inopem Monasterium nostrum Zirowicense, ob respectum filii, aliquot annis aluit. Si ergo praedicti Patres, uti evidentissimis brevi probabitur documentis, testimoniisque nulla bona habuerint, nec Religio proventus eorum sequestrare aut percipere potuit, si quae habent, deducant et monstrent in quo Palatinatu aut districtu sint sita, et in pace bona possideant; de ijs enim Religio nostra et Pater Protoarchimandrita penitus ignorat.

Dignitates vero eorum concernentes nulli sunt proventus; Religio enim nostra carens iam non modo Magnatibus Ritu Graeco viventibus, verum etiam jam in Lithuania et Nobilibus majoris notae exiguas quandoque suscipit foundationes, quam Latini Ritus Regulares recusant, imo et in antiquis Abbatiis nostris vix unus Abbas cum uno, in quibusdam cum duobus Religiosis congruam habet sustentationem.

Monasterium item Berezvecense pro residentia Patris Prothoarchimandritae designatum, et Monasterium Bytenense (cuius Superiorem egit P. Wolk, ante depositionem et abscessum suum) plures aluit Religiosos, munia debita, et impositas per primaevas obligationes foundationis obeuntes; proventus itaque praedictorum Monasteriorum in victum et amictum Religiosorum cesserunt, ac restaurationem conventus Bytenensis, quam insignem fecit, tam in aedificiis quam ecclesiasticis ornamentis Pater Superior (*f. 332*) ad praesens ejus loci. Villae vero Wirzbiłow dictae, ad Protoarchimandritale monasterium spectantis, proventus ad viaticum Patris Protoarchimandritae cum famulis et equis necessariis, dissita monasteria visitanti, cesserunt. Trocensis Abbatia, a R.P. Wietrzynski praetensa, ne unum quidem Religiosum ex propriis proventibus convenienter alere potest, in qua Religiosus, post abscessum R.P. Wietrzynski, proprio labore et eleemosina querens victum residebat. Kobrynensis vero Abbatia, cujus sola administratio concessa fuit ab Ill.mo D. Metropolitano, sine consensu Religionis, P. Wietrzynski, post abscessum ejus data fuit ab Ill.mo Metropolitano et Religione Rd.mo P. Jacobo Solikouski, Doctori Sacrae Theologiae Romano,<sup>385</sup> qui ut Abbas proventus Monasterii in se ac Religiosos, caeterosque Ministros divinum officium peragentes converterat; post obitum vero P. Solikouski P. Methodius Cylinx regimen habendo in ea Abbatia proventus in Religiosos ac familiam Monasterialem convertit, quae omnia calculis probantur.

Humillimi itaque oratores Basiliani Provinciae Lithuaniae (quorum longe

---

<sup>385</sup> Archimandria Kobrynensis data fuit P. Jacobo Solikovskij anno 1719; cfr. notam 281.

amplior numerus huic supplici libello sua nomina daret, ni distantia loci variorum conventuum obsesset) plantis Ill.mae, Excellentissimae Celsitudinis affusi supplicamus, ut RR.PP. Wietrzynski, et Wolk ex suis fictitiis bonis, vel si quae in rei veritate habent, nominatim P. Wietrzynski, qui tot tantasque summas monasteriorum sibi appropriavit, debita contracta persolvant, jura monasteriorum, et primaevae fundationes suae Ill.mae Celsitudini<sup>386</sup> comportent, et vel maxime ne admittatur ad officium (f. 332v) protoarchimandritale Pr. Wietrzynski, ante inquisitionem de vita et moribus; quomodo enim subditi Religiosi contra Superiorem suum vi, potentia, frequenti famulatio saeculari, armisque pro more suo utentem testari praesument? ac certo certius majora damna, quam ante, causabunt secuturum timendum est, cum tot criminibus infamatum et non purgatum caput Religioni nostrae praesit, et fratrum nostrorum Wolhinensis Provinciae non pridem a schismate conversorum, qui nobis propter instituendam perfectius disciplinam regularem uniri desiderant, aversio timenda. His, alleviandae conscientiae causa, expositis, manemus.

Datt. Novogrodeci, die 20 Junii 1723, in convocazione Religiosa.<sup>387</sup>

Sua Ill.mae Celsitudinis, Domini ac Protectoris amplissimi, Clementissimi, Exoratores et Servi humillimi

JOANNES OLESZEUSKI

Ord. Divi Basilii Magni Consultor, Superior Torokanensis

BASILIVS PROCEWICZ, Ord. B.M. Consultor, Super. Vilnensis

DEMETRIUS ZANKIEVICZ, Ord. D.B.M. Consultor, Sup. Novogrodeci

POLYCARPUS MYHUNIEVICZ, eiusdem Ord. Proconsutor, Super, Zyrowicien.

ANTONINUS TOMILLOWICZ, eiusdem Ord. Secret., Sup. Noviciatus Byten.

PATRICIUS ZYRAUSKI, eiusdem Ord. Superior Polocensis

CHRYSANT. POSTANSKI, Superior Lisnianensis

SERAPHINUS LOZOUSKI, Sup. Borunensis

METHODIUS CYLINX, Sup. Rosanensis

ATHANASIUS MOLOCHOWIC, Sup. Dobrohorensis

SIMEON KONOPKA, Superior Daroviensis

BONIFACIUS SZLUBKA, Superior Racoviensis

SEVERIANUS HEPACKI, Procurator Gen. causarum, Sup. Laurisov.

SOFRON TODOROWITZ, Superior Chomscensis

CASSIANUS IWASZKIEVITZ, Sup. Kasutensis

HYPPOLITUS HARAPINOWITZ, Sup. Cepenensis

DEODATUS CZESKANOWICZ, Sup. Uszacensis

BARTHOLOMAEUS KUDYNOWICZ, Sup. Pustinensis

JOSEPHUS ZOLLKIEWICZ, Sup. Mirensis

ISAJA RADZIMINSKI, Sup. Jatviscensis

<sup>386</sup> Agitur iam de tempore redintegrati P. Wietrzynski (a mense Martio 1723). Litterae hae scriptae forsitan erant et datae Nuntio Apostolico Varsaviensi.

<sup>387</sup> Agitur de quadam Convocazione quasi Capitulari, post redintegratum P. Wietrzynski (I.III.). Non nobis constat agi de quodam Capitulo.

171.

Varsaviae, 1.VII.1723.

*Calculus proventuum et bonorum patrimonialium PP. M. Wietrzynskyj et F. Wolk a Protoarchimandrita Basilianorum confectus, ut probetur eorum insufficientia et impossibilitas Ordinis solvendi eorum debita, tempore processus eorum depositionis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Particolare*, a. 1723, vol. 65, fol. 341-44v.

In nomine Domini Amen. — Praesenti publico recognitionis instrumento cunctis ubique pateat et sit notum. Quomodo Anno a Nativitate ejusdem 1723, Indictione Romana prima, Pontificatus autem SS.mi in Christo Patris ac Domini nostri, Domini Innocentii Divina providentia Papae, ejus nominis XIII, Anno 3°, mensis vero Iulii die prima, in mei Prothonotarij Apostolici testiumque infra scriptorum praesentia, personaliter constitutus R.mus Pater Antonius Zawadzki, Ordinis Divi Basilij Magni Protoarchimandrita,<sup>388</sup> Superior Berezvecensis, certum rationum authenticum instrumentum, a se in scripto confectum, manu propria subscriptum, in manibus suis tenens praesentari fecit, atque (facta prius verbotenus sub fide et conscientia earundem suarum rationum recognitione) ad Acta publica mei protonotariatus suscipi et ingrossari postulavit; cujus quidem instrumenti tenor sequitur estque talis:

Celsissimo, Ill.mo et Rev.mo Domino, Domino Vicentio Santini,<sup>389</sup> Archiepiscopo Trapezuntino, SS.mi Domini nostri, Domini Innocentij ejus nominis XIII Papae, ad SS.rmum Poloniarum Regem Augustum II Regnumque Poloniae ac M.D. Lithuaniae cum facultatibus legati de latere Nuntio Apostolico.

Ex mandato S. Congregationis Emin.morum Patrum de Propaganda Fide, mihi infrascripto per Rn.dum Dominum, Dominum Josephum Palma, Sacrae Nuntiaturae Apostolicae Auditorem, intimato, Rationes proventuum ex bonis tum Abbatialibus tum Patrimonialibus praetensorum a RR. Patribus Maximiano Wietrzynski et Firmiano Wolk, quasi a me per quadriennium exactorum et perceptorum, debitisque per dictos Patres Romae contractis applicabilium et applicandorum, sequentibus depono paragraphis.

Quoad Archimandrias, R.P. Wietrzynski et quidem Trocensem Archimandriam hanc, a tempore immemorabili desolatam, neque ecclesiam neque monasterium habentem, neque inhabitatam per Monachos usque ad annum 1717 (*f. 341v*), quando et quomodo R.P. Wietrzynski et a quo obtinuit, ego non prius scivi lectis scripturis R.P. Wietrzynski Romae impressis num. 12, ubi deducit se per privilegium S.R.M. et consensum Ill.mi et Rev.mi Domini Metropolitanani, in cessionem ejus Archimandriae factam per R.P. Saporowicz in personam R.P. Wietrzynski in anno 1717, die 19 Iulii.<sup>390</sup> Quales et quantos

<sup>388</sup> Antonius Zavadskyj, Protoarchimandrita parabatur tunc temporis ad calculum reddendum de sua administratione P. Wietrzynski, Protoarchimandritae redintegrato.

<sup>389</sup> Vincentius Santini, Nuntius Varsaviensis (1721-1728).

<sup>390</sup> Archimandriam Trocensem annis 1709-1716 tenuit Josephus Saporovič, sed anno

proventus haec Archymandria fecit, ego non novi plura, nisi ex relatis R.P. Saporowicz, hujus Archymandriae per annos non paucos possessoris, dum ageret Superiorem Laurisoviensem et Lyskoviensem, successive in iisdem Monasterijs resideret; quod stante illius possessione ex horto, fundis, lacu, et tuguriolo (quod Venerabilis Archimandria nominatur) annuatim accepisset florenos Polonicales n<sup>o</sup>. 15. An vero etiam apprehensa per R.P. Wietrzynski possessione eosdem vel majores aut minores fecisset proventus neque hoc scivi; hoc certum scio, quod locatus ibi a R. P. Wietrzynski Religiosus P. Nicolaus Okuniewicz, propter manutentionum questario pane misere victitans, ut plurimum de Missa in ecclesia latina pro eleemosyna celebrari contingenter solita, tandem recessisset et calicem cum patena argenteum a me datum (cum nullus adesset calix) asportavit, an in victum distraxit, neque mihi hucusque rationem dictorum dedit. In locum ipsius subrogatus propter manutentionem de monasterio Vilnensi Religiosus P. Galaction Eytmin, die 17 praesentis, sub conscientia detulit, quod praeter hortum circa dictum quasi monasterium (quod questuato grano inseminavit) annui proventus non plus de fundis et lacu obvenit, quam flor. Pol. 20, seu duo scuta.

Quoad Kobrynensem Archimandriam. Hujus monasterij R.P. Wietrzynski, post fata Rev.mi P. Benedicti Godebski, Arch.tae,<sup>391</sup> inscia Religione ab Ill.mo et Rev.mo Domino Metropolitano collatam habuit sibi administrationem, donec (f. 342) Archimandrita actualis installaretur in anno 1718, die 8. 9bris, prout ex iisdem scripturis R.P. Wietrzynski edoceamur sub Num. 13, eandem Archimandriam in anno 1719 Ill.mus Dominus Metropolitanus Rev.mo P. Jacobo Solikowski, S. Theologiae Doctori Romano, vigore privilegii a S.R.M. obtenti, contulerat, et hic Rev.mus P. Solikowski, Archimandrita, possedit hoc monasterium a die 25 Augusti anni 1719, ad diem ultimam vitae suae, die 6 Aprilis anni 1722,<sup>392</sup> cum omnibus proventibus et fructibus, illi et non mihi Protoarchimandritae notis. Post fata R.P. Solikowski, a me Protoarchimandrita administrator assignatus, Religiosus P. Methodius Cylinx, qui post medium annum Superiori per me assignato tradidit Rn.do P. Josaphato Roginski,<sup>393</sup> deque omnibus proventibus et fructibus calculum Commissario fecit et remanentia reliquit. Proventus annuus istius monasterii (prout mihi constat ex communicato ad Archivum Provinciae inventario) pecuniis ascendit prope ad scuta Romana 15. Ex fundis et agricultura etc. (nisi sterilitas noceat glebae) possunt sufficere alendis Monachis (si sit Superior simplex) quattuor ad summum cum familia; (si sit Archimandrita Superior) nonnisi duobus penes Archimandri-

---

1715 Ordo iterum hanc requisivit et, ut videtur, sub influxu metropolitae Kiszka hanc Archimandriam Wietrzynski obtinuit in Cap. Novogrodecensi, diebus 11-15 Julii 1717, post suam electionem in Protoarchimandritam.

<sup>391</sup> Archimandriam Kobrynensem possidebat annis 1713-1718 Benedictus Godebskyj, qui hoc anno 1718 obiit.

<sup>392</sup> Kobrynensem Archimandriam possidebat annis 1719-1722 (obiit die 6 aprilis 1722).

<sup>393</sup> P. Josaphat Roginskyj, OSBM, Alumnus pontificius in Coll. de Prop. Fide, ingressus 8.V.1699, annorum 25, egressus vero ob valetudinem die 14.IX.1705, « poco accomodato a vivere in communità », obtento consueto viatico.

tam ad summum; neque ullos habet nisi tantum duos. Ex proventibus itaque et fructibus supradictis ego Proto-Archimandrita in meam personam vel officium obolum accepi prorsus unquam.

Quod attinet ad monasterium Berezvecense, Residentiae seu verius respirationi Proto-Archimandritae Ordinis a generalibus Capitulis designari solitae, hoc monasterium ex fundatione sua alere debet sex monachos, habet bona et praedium penes se, dictum Berezvecz, subditos circiter 30. Item habet bona ad ipsos limites Moschoviae, post 40 milliaria polonica, Wierzbilow dicta, ex quibus bonis fructus et proventus a Capitulis generalibus (*f. 342v*) designati pro sustentatione et expensis vialibus circa Officium Prothoarchimandritale, visitationibus etc., quia Visitatori nihil tribuunt monasteria, nisi victum donec visitat; hujus itaque monasterii proventuum rationem, sequentibus explico punctis.

Et quidem, primo, de bonis Wierbilow dictis, quorum fructuum tituli sunt: 1. Census pecunialis; 2. Praetium gramini, de pratis; 3. Frumenta decimari solita; 4. Arenda tabaci et census lebetualis; 5. Pelles vulpinae 10; 6. mellis.

Fructus medius ex anno 1719 percepi: Census pecunialis floren. Moschoviticus n°. 606, ass. 28, pro gramine floren. Mosch. 30. Arendam anticipavit R.P. Wietrzynski. Pro divendito grano frumenti floren. 1786. ass. 7,1/2, quae omnia faciunt florenos Moschoviticos 2599, ass. 25, 1/2; Polonicales vero faciunt floren. 2194, ass. 22; Scuta Romana 219. Iul. 4, bai 7, 1/3.

Ex anno 1720 Census pecunialis, pretium graminis, arenda et lebetale importarunt flor. Mosch. 928, ass. 14. Granum frumenti divenditum floren. 918, reliquum in victum monasterii et sublevationem subditorum Berezvecen. Quae omnia faciunt Flor. Mosch. 1846, ass. 14; Polonicales vero floren. 1558, ass. 25; Scuta Romana 155, Iul. 8, bai. 8,1/3.

Ex anno 1721 Census pecunialis, gramen, arenda, lebetale, vulpes, sagena, granum frumenti divenditum importarunt floren. Moschov. 2518, ass. 12; Polonicales vero florenos 2160, ass. 1; Scutata Romana faciunt 216, bai. 1/3.

Ex anno 1722 Census, gramen, arenda, lebetale, vulpes et granum divenditum importarunt floren. 2045, ass. 4; Scutata Romana (*f. 343*) faciunt 204, Iul. 5, bai. 1/3.

Summa florenorum Moscoviticorum per quadriennium ad me importatorum facit 9404, ass. 12; Polonicales floren. 7959, ass. 15, summa Scutorum Romanorum 795, Iul. 8, bai. 7. 1/3. Expensa supra specificata summa: Pro curru viali uno Flor. 400, scuta 40; pro curru altero flor. 100, scuta 10. Pro equis quatuor flor. 720, scuta 72. Pro (!) Flor. 250, scuta 25, pro tribus efipiis flor. 50, scuta 5. Item pro equis tribus flor. 226, scuta 22, Iul. 6. Procuratori Varsaviensi scuta 21. Pro posta per Quadrigennum intra et extra limites, veluti Romam, Olumucium, Brunsbergam flor. 400, scuta 40. Pro familia viali, famulis, pueris duobus, aurigis duobus annuatim scuta 50 faciunt scutata 200. Reliquam pro vestimentis Proto-Archimandritae et Secretarii, pro suppellectili omni viali, pro medicina, pro restauratione curruum, pro victu frugali,



personis 7 et bestiis 10 et subinde duodecim, et pro omni contingenti viali necessitate expensum. Per quadriennium enim in Monasterio Berezvecensi non plus respiravi quam per vices octo, menses decem et dies 10; totum quadriennium finitum diebus disce ultimis Junii, Visitationibus omnium Monasteriorum, et negotijs Religionis serviendo, in via consumpsi.

Monasterij Berezvecensis ex praedio sibi adhaerente, et boni Berezvec dictis, Proventus ordinarij hisce titulis veniunt: 1. Census pecunialis; 2. Mellis tributum ascendunt ad scuta 15; 3. Ex pratis pretium graminis scuta 18; 4. Arenda tabernae; 5<sup>o</sup>. Extraordinarius proventus ex piscibus; 6<sup>o</sup>. Proventus pro lignis focalibus, quantitas indeterminata et subinde nulla (*f. 343v*) venit; 7<sup>o</sup>. Si gleba fertilitate gaudet, obtingit aliquid ac residuo a victuatione grano vendibili. Per annos igitur tres et menses octo mei superioratus de omnibus proventibus, et fructibus Berezvecensibus, visitata annuatim et novissime die 6 Iunii praesentis Regestra conventus Berezvecen. Perceptiva importaverunt scutata 344. Importassent insuper de arenda scutata 20, sed haec de arenda anticipavit R.P. Wietrzynski in annos duos. Expensiva vero Regestra conventualia, in vestimenta, victualia, in vinum, ceram, libros, in restaurationem tum monasterij tum ecclesiae, ac subditorum sublevationem exportarunt scutata 343, Iul. 9, baj. 8.

Quod attinet bona patrimonialia R.P. Wietrzynski, quasi a Capitulo sequestrata, haec non fuisse necesse sequestrare certo scio, sed an in rei veritate aliqua habuerit vel habeat de facto? non plus scio quam publica fama informat; idque quod partem sibi debitam de bonis Sosnovica dictis, cum aliis duobus fratribus et tribus sororibus communibus, tum pro redimendo caput suum, tum pro dilapidatione seu damnificatione fratrum et sororum, in sorte illis debita iudicialiter per decretum Tribunalis Regni abjudicatus amiserit. Et insuper quod contractum olim debitum apud Perillustrem M.D. Slicien Scutorum Romanorum 670 in eadem bona Sosnovica dicta exsolverit pecunia de monasterijs accepta, factus Proto-Archimandrita in anno 1717, die 11. Xbris, convincitur ex scriptura sua impressa sub num. 15. Denique certo scio, quod fratres suos parvulos duos in anno 1713 locaverit in Monasterio Mirensi alendos, et fovendos sumptibus monasterii, etiam sibi non sufficientis, prout et aluit et fovit per annos fere duos Monasterium Mirensense. Plura ego non scio de bonis suis patrimonialibus; amissam autem partem suam Provincia authenticis documentis probabit.

Quoad bona Patrimonialia et (*f. 344*) Abbatialia R.P. Wolk, prout asserit ille: 1mo, Patrimonialia bona illum habuisse, neque mihi constitit tunc, cum magistrum Novitiorum agens, eundem Novitium ad Professionem dispenderem; 2do, Matrem suam viduam, emendicato viventem tum ob charitatem universalem tum ob affectum erga fratrem Religiosum, tum denique observando S. Patris nostri expressam regulam, circa sublevationem indigentiae illorum, qui fratris Religiosi sanguine juncti sunt, duobus annis ex monasterio Zyroviciensi ordinaria portione monastica alui, et de vestimentis pro posse providi; Vilnamque recedens ex obedientia, successorii Superiori loci reliqui et commendavi.

Quoad proventus vero monasterij Bytenensis, cujus Superiorem egit R.P. Wolk, hoc monasterium novitiale nihil exdivisum aut specialiter praetendibile pro persona Superioris unquam habuit, sed commune conventui totum. Ex visitationibus autem annuatim factis monasterii dicti, et ex ultima in anno presenti die 16 aprilis, sequentia expono: 1mo, Hoc monasterium proventus de bonis omnibus ex censibus, arendis, praediis, gallinis, nucibus, denique fungis etc. potest habere proventus ordinarios annuatim flor. Polon. num. 2248; scuta Romana 224, Iul. 8; 2°, Proventus extraordinarios et incertos potest idem monasterium habere tum ex agricultura, si gleba fertilitate gaudet, tum ex sylvis, si ligna possent Regiomontum defluctare; 3°, Ex visitatione ultima, die 6 aprilis expedita, R.P. modernus Superior, a die inchoati sui Superioratus, 8. 8bris anni 1719, ad diem visitationis 6 aprilis, per annos tres, menses septem et medium percepit flor. 11482, ass. 26, 1/3; scuta Romana 1148. Iul. 2, baj. 6. Expedit in omnigenos usus conventus, quem insigniter restauravit, ecclesiae, quam adornavit, conventus, quem cum familia (ad 70 personas) providit: Polonicales Flor 10546 (*f. 344v*), ass. 9; scutata Romana 1055, Iul. 6, baj. 3. Et remanens pro futuris expensis monstravit: Flor. 926, ass. 17; scutata Romana 92, Iul. 6, baj. 5, 1/2.

Et has omnes suprafatas rationes, veluti de conscientia, sine fraude et errore (quantum humana diligentia immunis esse potest scriptas ante, quam manu mea subscribo, Dominum Deum, aeternam veritatem invoco testem.

ANTONIUS ZAWADSKI, Ordinis divi Basilij Magni Proto-Archymandrita, Superior Berezvecensis.

Quam suam recognitionem oretenus factam et in scripto traditam, Actis publicis inscribi et ingrossari petiit, salvo jure addendi, minuendi, corrigendi, ad alia Acta transferendi, prout de jure. Superque his omnibus postulavit, quatenus ipsi unum, sive plura, publicum sive publica, instrumentum sive instrumenta conficerem, et extraderem, prout opus fuerit, et ego requisitus ero. Quod, quia Acta nemini derogari debent, obtinuit.

Acta haec sunt Vilnae, anno, indictione, pontificatu, mense et die quibus supra. Praesentibus RR.DD. Francisco Gaydamouski, Commendario ad ecclesiam S. Joannis, Parochialem Vilmensem, Thoma Gintoft, actu Praesbitero, fide dignis viris, Testibus ad praemissa rogatis, vocatis, habitis et adhibitis; et quia ego Antonius Constantius Kossakouski, Protonotarius S. Sedis Apostolicae, Parochus Vilmensis, praeinsertae recognitioni seu depositioni rationum praesens et personaliter una cum praefatis testibus interfui, ideo praesens instrumentum, licet aliena manu, mihi tamen bene nota, et semper fidele scriptum, manumet propria subscripsi et signo, quo in talibus utor, communiri feci, rogatus et requisitus.

(Loco signi Prothonotarii)

## 172.

(Ex Russia), 1273.

*Protoarchimandrita cum Consilio protestant de redintegratione PP. Wietrzynskyj et Wolk.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Particolari*, a. 1723, vol. 65, fol. 335rv.

Beatissime Pater.

Post oscula BB. Pedum Sanctitatis Vestrae, humillimi Oratores Ordinis Divi Basilij Magni Rutheno-Catholici, supplicant Sanctitati Vestrae, quatenus Decretum Sacrae Congregationis Eminentissimorum DD.S. Romanae Ecclesiae Cardinalium negotijs Ruthenorum praeposita, de benignitate et plenitudine Sedis Apostolicae reformari possit, quoad causam cum Religiosis Patribus Wietrzynski et Wolk, respective in puncto ipsorum contra Iura et Statuta Ordinis, quasi in perpetuo superioratu, qui in religiosa observantia non datur, manutionis, cum tamen non solum emundare se teneantur per prius de objectis, per Processum coram Reverendissimo Domino Nuntio Suae Sanctitatis in Regno Poloniae Residente, eaque sequuta demum redire ad sua Officia, quae obtinere non possunt, ob scandalum, nisi data ex se sufficienti justificatione; adeoque Oratores pro tali duntaxat in hoc puncto reformatione, Sanctitati Vestrae iterum atque iterum supplicant. Et Deus...

Sanctitatis Vestrae humillimi, et infimi Servi ac perpetui Exoratores

ANTONIUS ZAWADZKI

Ord. Divi Basilii Magni, Proto-Archimandrita (mp)

JOANNES OLESZEUSKI, Ord. Divi Basilii Magni Consultor, Super. Torokanensis (mpr)

POLYCARPUS MIHUNIEWICZ, Ord. Divi Basilii M. Pro-Consultor (mpr)

PATRICIUS ZYRAUSKI, Ord. D. Basilii M., Super. Polocensis (mpr)

CHRYSANTHIUS POSTANSKI, Ord. D.B.M., Super. Liscoviensis (mpr)

Pater SERAPION LOZOWSKI, O.S.B.M., Superior Borunensis

BASILIUS PROCEWICZ, Ord. D.B.M. Consultor, Sup. Vilnen. (mpr)

DEMETRIUS ZANKIEWICZ, Consultor, Sup. Novogrodeci

ANTONIUS TOMILLOWICZ, Ord. D.B.M., Secret., Sup. Bytenen.

SAVERIANUS KLEPACKI, Ord. D.B.M., Sup. Laurisovien. (mpr)

SOFRON TODOROWICZ, Ord. D.B.M., Sup. Chomscen. (mpr)

P. METHODIUS CYLIX, Ord. D.B.M., Sup. Rozanen.

(f. 335v) CASSIANUS IWASZKIEWICZ, Ord. D. Basilii M., Sup. Kassuten. (mpr)

ATHANASIUS MOLOCHOVIC, Ord. D.B.M., Sup. Dobrohoren. (mp)

HIPPOLITUS ARAPINOWICZ, Ord. Divi Basilii M., Sup. Ciprensis

BONIFACIUS SZLUBKA, O.D.B. Magni, Sup. Racovien. (mpr)

JOSEPHUS ZOLLKIEWICZ, Ord. D.B.M., Sup. Mirensis

DEODATUS CZESKANOWICZ, O.D.B.M., Sup. Uszacen. (mpr)

BARTHOLOMAEUS KUDINOWICZ, O.D.B.M., Sup. Pustinen. (mpr)

SYMEON KONOPKA, O.D.B.M., Sup. Darovien. (mpr)

ISZAJAS RADZIMINSKI, O.D.B.M., Sup. Iatviscen. (mpr)

173.

Varsavia, 15.XI.1723.

*Protestatio nomine Archimandritae Kobrinensis contra reintegrationem M. Wietrzynski in Archimandritam.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Particolari*, a. 1723-27, vol. 68, fol. 84rv.

Anno Domini Millesimo septingentesimo vigesimo tertio. Die vero Lunae, decima quinta mensis Novembris, Varsaviae.

Pro Rev.mo Domino in Christo Josaphat Roginski, Archimandrita Kobrynen. Ordinis Divi Basilii Magni, contra Admodum R.dum in Christo Patrem Maximianum Wietrzynski, in Provincialem ejusdem Ordinis, median-tibus Decretis hujus Tribunalis redintegratum, ad praesens citatum.

Coram Perillustri ac Rev.mo Domino Josepho Palma I.U.D., Prothonotario Apostolico, Curiae Ill.mi ac Rev.mi Domini, Domini Vincentij Santini, Dei, et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopi Trapezuntini, Sanctissimi Domini No-stri, Domini Innocentij Divina Providentia Papae, ejus nominis XIII, Praelati Domestici et Assistentis ejusdemque, et Sanctae Sedis Apostolicae in Regno Poloniae, et Magno Ducatu Lithuaniae cum facultatibus Legatj de latere Nuncij, Generali Causarum Auditore et Iudice, comparuit personaliter Nobilis Andreas Antonius Morantiu, suprascripti Rev.mi in Christo Patris Josaphat Roginski, Archimandritae Kobrynensis,<sup>394</sup> ad praesens Actoris Principalis Procurator, in termino ex literis Citationis, debite prout a tergo earundem constitit, executis, Contumaciam praenominati Admodum Rn.di Patris Maximiani Wietrzynski, Ordinis Divi Basilij Magni, Citati ex adverso Principalis, quatenus non comparentis accusavit, et in ipsius contumaciam, eundem Rev.mum Josaphat Roginski adversus Decretum Tribunalis praesentis sub die... mensis... anno currenti prolatum, quo mediante dictus Admodum Rn.dus Pater Wietrzynski, ultra Officia in Religione, ad quae redintegratus est, etiam ad Archimandriam Kobrynensem, non citato, neque audito Principali suo, ejusdem Archimandriae legitimo possessore, redintegrari demandatus, stante eo quod ipse ad eandem Archimandriam institutus unquam, neque installatus fuerit, neque eandem tam ante, quam circa, et post Decretum Capituli Generalis Novogrodensis privationis Personae ipsius Officijs, quae in Religione obtinebat, possederit, sed olim Admodum Rev.dus Pater Solikouski, ab anno 1709, usque ad ejus obitum, eoque sequito, modernus Rev.mus Josaphat Roginski ex Praesentatione Sacrae Regiae Majestatis ad eamque canonicè institutus, et investitus habeatur, in integrum (f. 84v) restitui mandatum de redintegrando eodem Admodum Rev.do Maximiano Wietrzynski etiam quoad istam Archimandriam, circumscribi, et revocari, suumque Principalem in possessione manuteneri postulavit. Salvo etc. omni etc.

<sup>394</sup> Josaphat Roginskyj, Archimandrita Kobrynensis; cfr. notam praecedentem n. 393.

Praesente Nobili Joanne Lipczewski, suprascripti Rev.mi in Christo Patris Maximiani Wietrzynski, Ordinis Divi Basilij Magni, Congregationis Ruthenae Prothoarchimandritae, Trocen., Kobrynen., Abbatiarum Archimandritae, Superioris Beresvecen, in Causa praeexpressa procuratore, salvis etc. et praemissa Protestatione de contraventione mandato Tribunalis praesentis, in Executionem Sententiae Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, quo ad manutentionem circa praeexpressa munia, et beneficia extenso, de incurisquis Censuris, ac damnis, comparentem incompetentem esse citatum, cum sit functus Officio suo in Causa executiva manutentionis praemissae, et ratione istius Abbatiae praetensa impedimenta, quominus possessionem consequeretur ejusdem suus Principalis ab adverso fuerint, ac sint imposita, et adinventum manutentioni locum fuisse et esse dicente. Proindeque non intrando in controversias ullas petitorij, idem Rev.mus non sit citatus, nec per consequens informationem aliquam dare poterat, inferente, et libertatem ab observatione Iudicij decerni, citarique si, et in quantum debere ipsummet Principalem, quem respicit praesens Officium statui expetente. Et quoniam ex Instantia adversarij appareat controventio Mandato executivo de manutenendo, quod eandem Archimandriam non deoccupaverit, nec in possessionem tradiderit, contra ipsum censuras extensas, et incuras aggravari, et in forma solita relaxari, condemnarique in expensis expetente. Salvo etc. omni etc.

Qui Rev.mus Dominus Auditor Generalis sedens etc. auditis Terminum habuit pro servato. Et ita etc. omni etc.

ADALBERTUS SKWARCZYNSKI, Cancellarius

Quem aperiendo praefatus Rev.mus Dominus Auditor Generalis et Iudex etc. Cum ex Decreto sub die prima Martij currentis anni Millesimi septingentesimi vigesimi tertii in Sacra Congregatione (*f.* 87) de Propaganda Fide emanato, Rev.mus Pater Wietrzynski reintegrandus veniat ad statum, in quo ante inceptum contra ipsum Processum reperiebatur, praevia proinde eius manutentione in Officio administratoris Abbatiae Kobrynensis, ad quod iam reintegratus fuit, ex quo ante institutum dictum Processum illam obtinebat, et quia lite, et Appellatione pendente, eo privari non poterat, maxime cum Regiam nominationem ad praefatam Abbatiam Kobrynensem, de expresso Ill.mi ac Rev.mi Domini Metropolitanus consensu, assequutus fuisset, prout et Basiliana Religio recognovit, dum de istius quoque Abbatiae fructibus in calculo redditionis relationis huic Tribunali Apostolico exhibito, mentionem fecit, quoniam quaestio est: Utrum talis administratio, Regiaeque Praesentatio de Beneficio vacante, seu per Religiosum olim Solikowski possessore ei collata fuerit? Litem idcirco per dictum Rev.mum Patrem Wietrzynski in tali puncto contestari mandavit in Prima Iuris, post quindenam, ab intimatione praesentis Decreti computando. Et ita etc., omni etc.

A quo Decreto Nobilis Dominus Morantij, ad Sanctissimum Dominum Nostrum Papam, Sanctamque Sedem Apostolicam appellavit. Salvo etc. omni etc.

Et Rev.mus Dominus Auditor Generalis, qui supra, hujusmodi Appellationem refutavit. Et ita etc., omni etc.

ADALBERTUS SKWARCZYNSKI, Cancellarius

Ex Protocollo Actorum Nunciaturae Apostolicae extractum et Sigillo Ill.mi ac Rev.mi Domini, Domini Vincentij Santini, Archiepiscopi Trapezuntini, et Nuncij Apostolici in Regno Poloniae etc. communitum.

ADALBERTUS SKWARCZYNSKI  
Publ. S. Autoritate Apostolica Notarius  
et Sacrae Nunciaturae Apostolicae  
suprascriptus Cancellarius (mpr)

174.

*Varsavia, 15.XII.1723.*

*De nulla reintegratione P.M. Wietrzynskij in Archimandriam Kobrynensem.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregationi Particolari*, a. 1724-27, vol. 68, fol. 85-86.

Anno Domini Millesimo septingentesimo vigesimo tertio, die vero Mercurij, decima quinta mensis Decembris. Varsaviae.

Pro Admodum Reverendo ac Religioso Patre Josaphat Roginski, Ordinis Divi Basilij Magni, Archimandrita Kobrynensi, Principali Actore, contra Admodum Rnd.m in Christo Patrem Maximianum Wietrzynski, ad Provincialatum Ordinis Divi Basilij Magni redintegratum, Citatum.

Coram Perillustri ac Rev.mo Domino Iosepho Palma I.U.D., Prothonotario Apostolico Curiae Ill.mi ac Rev.mi Domini Vincentij Santini, Dei, et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopi Trapezuntini, Sanctissimi Domini Nostri, Domini Innocentij Divina Providentia Papae, ejus Nominis XIII, Praelati Domestici, et Assistentis, ejusdemque, et Sanctae Sedis Apostolicae in Regno Poloniae, et Magno Ducatu Lithuaniae, cum facultatibus Legati de latere Nuncij, Generali Causarum Auditore et Iudice, comparuit personaliter Nobilis Petrus Jastrzemski, ad Causam praesentem suprascripti Admodum Reverendi Patris Actoris substitutus Procurator, in termino hodierno ex Actis provenienti, accusavit Contumaciam praenominati Citati, quatenus nec per se, nec per suum quemvis legitimum Plenipotentem comparens et in ejus Contumaciam, referendo se ad anteriorem instantiam in hac Causa factam, et verius reproductis Decretis seu Rescriptis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide favore dicti Admodum Rn.di Patris Maximiani Wietrzynski emanatis, quibus non nisi ad statum Prothoarchimandritatus, et functionum, fructuum et emolumentorum Provincialium ejus redintegratio pronunciata habetur, de Archimandria vero Kobrynens., quam supra scriptus Actor suus Principalis canonice obtinet, illam vero dictus adversarius nullo unquam tempore nec in titulum, nec in Commendam vel alio quovis modo collatam habuit, eundem suum Principalem adversus Decretum assertae manutentionis in supposito sugge-

stae ex adverso habitae dictae Archimandriae possessionis, quod in re et facto nunquam fuit, restitui, alias hoc in puncto, si et in quantum etc. Causam pro declaratione praexpressorum Rescriptorum, ad eandem Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium (85v) remitti, Mandatum de redintegrando decretum, et relaxatum revocari, et interim praefato admodum Rn.do Patri Maximiano Wietrzynski, ne praenominatum Admodum Rnd.mum Patrem Roginski in possessione ejusdem Archimandriae Bonorumque ad illam spectantium turbare, et molestare, Personamque illius persequi faciat, sub poenis arbitrarijs inhiberi, in damnis, litisque expensis condemnari postulavit. Salvo etc. Alias etc.

Praesente Nobili Joanne Lipczewski, suprascripti Admodum Rev.di in Christo Patris Maximiani Wietrzynski, Prothoarchimandritae Congregationis Ruthenorum Ordinis Divi Basilij Magni, Trocen., Kobrynen. Archimandritae, Beresvecen. Superioris, Principalis, Procuratore, salvis etc. et Protestando etc.

Quoniam negotium praesens respectu possessionis, et pertinentiae istius Archimandriae Kobrynen. per serias controversias in Sacra Congregatione de Propaganda Fide sit agitatum, et decisum pro executioneque sententiae et Decreti quoad manutentionem, seu redintegrationem nedum Protoarchimandritatus, sed quoque aliorum officiorum, munitur, et beneficiorum, in quorum possessione et administratione, signanter Abbatiarum Kobrynen., Trocen. extiterat suus Principalis, ante intentatum eidem Processum de Anno 1718. Causa remaneat remissa ad Tribunal praesens, sitque executorium duntaxat Iudicium Tribunalis praesentis; proinde praemissa Protestatione de insubsistentia allegatorum ab adverso, locum petitae restitutioni pro secundo expostulatae non esse, sed standum in Decreto redintegrationis, in executionemque illius Mandato executivo adinvenire et statui, excommunicationis, et alias poenas in eodem Mandato extensas, et incursas aggravari, ad effectum tam deoccupationis, quam calculationis Proventuum, eorumque restitutionis, ac alia media Iuris, et facti subsidia adhiberi, in damnisque, et litis expensis condemnari expetente. Et ita etc. omni etc.

Qui Rev.mus Dominus Auditor Generalis sedens etc., auditis... habuit Terminum pro servato. Et ita etc., omni etc.

Quem aperiendo praefatus Rev.mus Dominus Auditor Generalis et Judex etc. Firma remanente reintegracione Rev.mi Patris Wietrzynski (f. 86) ad munus, et Officium Administratoris Abbatiae Kobrynensis, in quo ante inceptam contra ipsum Inquisitionem existebat, juxta mandatum alias a praesenti Tribunali Apostolico relaxatum. In reliquis remisit Causam, et Partes ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, in qua principalis controversia agitur et ita etc., omni etc.

A quo Decreto Nobilis Dominus Jastrzembski ad Sanctissimum Dominum Nostrum Papam Sanctamque Sedem Apostolicam appellavit. Salvo etc., omni etc.

Et Rev.mus Dominus Auditor Generalis, qui supra, hujusmodi Appellationem refutavit. Et ita etc., omni etc.

Ex Prothocollo Actorum Nunciaturae Apostolicae extractum, et Sigillo

Ill.mi ac Rev.mi Domini, Domini Vincentii Santini, Archiepiscopi Trapezuntini, et Nuncij Apostolici in Regno Poloniae etc. communitum.

ADALBERTUS SKWARCZYNSKI

Publicus Sacra Autoritate Apostolica Notarius,  
et Caus. Nuntiaturae Apostolicae suprascriptae Cancell. (mp)

175.

(Roma), ... 1723.

*Informatio biographica de P. Josaphat Roginskyj, Basiliano.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, fol. 527.

Si considera informazione della Persona del Padre Giosafat Roginski, Monaco Basiliano Ruteno, stato Alunno nel Collegio Urbano, circa l'anno 1700.

Entrò in Collegio li 8 Maggio 1699, in età di anni 25, d'onde partì li 14. 7bre 1705, dopo terminato l'anno terzo di Telogia. Ha il naturale gagliardo, poco accommodato à vivere in Comunità, e però ha data poca sodisfazione; Contuttociò à titolo d'infermità ha ottenuto il solito viatico di scudi 50. Il Vestiario, etc. etc...

176.

Varsavia, 16.III.1724.

*Vita nondum correcta P.M. Wietrzyński, reintegrato in Ordinem Basilianum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, fol. 526.

Hic Pater Wietrzyński non abolevit suam vivendi normam, non modo luxuriose vivit, sed etiam personas sibi offensas crudeliter tractat, spoliando superioratibus, afficiendo poenis, vestitu religioso denudando et e Religione eijciendo, ut pro exemplo patent duo, unus Staszevicz, alter Natanaël Sidzinski, verum etiam Monasteria depredando pecunijs, annona, bonis, per potationes, commessiones cum affinibus saecularibus, suis cognatis, consanguineis in monasterio Torocanensi manendo hucusque, splendide famulatum numerosum servis vestiendo, cum equis centum et ultra fovendo, hospitalibus et Aulae suae susque deque pervertit. Pecunias colligit et dissipat tanquam saccus ferammosus, nec curat debita Romana persolvere; jam quinquies a Rev.mo Auditore Sacrae Nuntiaturae stimulatus, et monitus, obstinatissime agit, et desperate. Et quid nobis de processu credendum, quando vix aliquis testium ad deponendum venturus est pro commissione, illo regente. Supplicat igitur S. Religio ad Sacram Congregationem, uti dignetur suspendere illum et illos ambos.

Di Varsavia, die 16 Martij 1724.

P. BARNABAS SWIDNICKI

Ord. D.B.M., Not. Apost. et Res. Varsavien.



177.

Lavrysis, 26.X.1724.

*Conqueritur P. Protoarchimandrita de reinducto P.M. Wietrzynskyj deque eius ulteriori vita, et de non solvendis eius debitis antierius contractis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1724-27, vol. 68, fol. 155-56.

Sanctissime ac Beatissime Pater,  
Domine, Domine Clementissime.

Humillimi Oratores Rutheni Basiliani, agitati tot tantisque malorum procellis, ad bonae spei promontorium, Sanctam Sedem Apostolicam, lacrimabundos levamus oculos. Auctor malorum Pater Wietrzynski, Decreto Capituli Generalis Ordinis nostri abjudicatus Provincialatu, ob vitam enormiter scandalosam et fundatiales Summas Monasteriorum dilapidatas, aliaque crimina, confugerat ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, atque ob processum in partibus factum non juridicum ad Officium Provincialatus reinductus Decreto Sacrae Congregationis Particularis de Propaganda Fide, Anno 1723, in Martio emanato, salvo novo processu conficiendo. Supplicavimus Ex.mo Domino Nuncio Apostolico in Regno Poloniae, ne reinduceretur P. Wietrzynski ante novum processum, praesaga mente majora damna timendo, et enucleando Excll.mo Domino Nuncio nihil effecimus; reinductus P. Wietrzynski magis inhoneste et turpiter se gessit, quam ante (quae dum deferrentur a nobis Sacrae Nunciaturae non audiebamur), varia Monasteria peculio mobilibusque spoliavit, et quod maxime dolendum, Borunensis ecclesiae gratiosae imaginis aurum, adamantes, cleniodes, caeteraque preciosissima a pijs hominibus oblata rapuit, et in haeterodoxam Prussiae migravit Regionem.<sup>395</sup> Nos vero tanta damna passi (*f. 156v*) cogimur ad solvenda debita per Patrem Wietrzynski Romae contracta, cum et ipsi pro secundario processu multa debita contraxerimus, qui processus est in Sacra Nunciatura. Post oscula itaque Beatissimorum Pedum, supplicamus, ut liberemur a solvendis debitis, per Patrem Wietrzynski contractis, extenuata enim Monasteria, nec propria debita exsolvere queunt. Excll.mi Domini Nuntij favori, et protectioni Ordinem nostrum afflictum, et ut processum secundarium contra Patrem Wietrzynski expeditum quamtotius transmittat in Urbem commendari, supplicamus demississime. Et Deus, ut diu incolumem servet Sanctitatem Suam gloriae suae promovendae, gubernandae feliciter Ecclesiae, solatio et protectioni oppressae Religionis nostrae, deprecari Majestatem ejus obligamur.

Sanctitatis Vestrae, Domini Clementissimi Servi suppedanei, Exoratores humillimi

ANTONIUS ZAWADZKI

O.D. Basilii M. Consultor, Deputatus a S. Nunciatura  
Apostolica Protoarchimandrita (mpr)

<sup>395</sup> Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, pag. 277-278.

BASILIUS PROCEWICZ, Ord. D.B.M. Cons., Sup. Vilnen. (mpr)

POLYCARPUS MIHUNIEWICZ, Ord. D. Basili Pro-Consultor (mpr)

SEVERIANUS KLEPACKI, Ord. D.B.M. Pro-Cons., Sup. Bytenen. (mpr)

CORNELIUS LEBIECKI, O.D.B.M., Pro-Cons., Sup. Bytenen (mpr)

ANTONINUS TOMILLOVICZ

Ord. D.B.M. Secretarius, Superior Borunensis (mpria)

Datum Lauriszoviae, die 26. 8bris, Anno 1724to, in Consultatione.

## 178.

*Romae, 16.VIII.1725.*

*Procurator generalis in Urbe commendat P. Basilium Polatylo pro obtinenda licentia ad celebrandas Missas.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 4, fol. 622.

Casa, 16 Agosto 1725.

Il Padre Procuratore Generale della Russia<sup>396</sup> umilmente supplica il Signor Abate Oschengi, suo Procuratore Collendissimo e lo prega di voler aggraziare il latore della presente d'una lettera raccomandatoria all'Emin.mo Signor Cardinal Vicario, per ottener Licenza di celebrar la Messa, mentre le Dimissorie del suo Vescovo sono vere, e quello che scrive gli fa una umilissima riverenza.

D. BASILIO POLITILO  
Socio Generale (mpr)

## 179.

*Zyrovyci, 7.II.1725.*

*Instat Protoarchimandrita cum Consilio de non solvendis debitis olim a P.M. Wietrzynskyj contractis, durante Processu reinductionis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1724-27, vol. 68, fol. 160-61v.

Eminentissime et Reverendissime Domine,  
Domine Clementissime.

Quamvis confidimus in Domino, ex iterato processu nostro, facto contra Patrem Maximianum Wietrzynski, minime nos succumbere posse in causa nostra cum eodem, cum reatus ipsius non solum in iis, in quibus ante condemnatus per nos capitulariter fuit, sed in compluribus aliis novis delictis, quae post restitutionem suam ad gubernium Protoarchimandritale Religionis perpetravit patetice demonstratum esse speratur a nobis. Nihilominus metuentes nobis, ne qua de causa, circa finalem determinationem eiusdem

<sup>396</sup> Procurator in Urbe, Benedictus Trulevyč (1712-1726).

nostrae cum ipso causae, iubeamur expensas litis per eundem factas refundere, praesertim accedentibus instantiis creditorum ipsius, existimavimus oportune hac humillima supplici nostra praevenire Sacram Congregationem, Dominos nostros Clementissimos, ut compatiendo nobis in tot damnis per praenominatum Patrem Wietrzynski illatis, conservare nos velit circa primae-  
 vam Iudicii sui dispositionem, quam nobis delatam compluries habemus a nostro Patre Procuratore Romano,<sup>397</sup> nimirum quod expensas litis solvere non teneamur nisi succumbamus (*f. 160v*) in causa. Hoc enim non obstante, desuper his crebris valde monitis urgemur ad numerandam solutionem debitorum per ipsum contractorum, quamvis minime non deerat tempus iisdem repetendi eadem debita ab ipsomet illorum debitore, toto hoc tempore, quo post reditum suum am Urbe restitutus pristino suo Officio ius habebat in Religionem, nihilque aliud agebat, quam quod Monasteria nostra emungebat, et pecunias sibi compilabat, ex quibus non solum sufficiens erat ipsorum solutioni, sed si triplo vel quadruplo adhuc talia fuissent; sibi igitur adscribat, suaeque negligentiae, si quid damni per non refusionem ipsorum patiuntur, cur tam desides erant in requirendis illis toto dicto tempore? Imo si spectetur etiam status ipsius, in quo ad promovendam suam Causam contulit se hinc in Urbem, minime necessitatem habuit debitis se ullis involvendi; quandoquidem bene onustus pecuniis nostris, uti pariter nos deduxisse existimamus, e Monasteriis nostris ablatis, eo se transtulit. His igitur rationibus nixi, uti humillime iterum iterumque supplicamus Sacrae Congregationi, Dominis nostris Clementissimis, ut nos circa libertatem ab onere solutionis praetactorum debitorum servare dignetur, ita spe firma tenemur in benignitate et clementia ipsorum minime nos (*f. 161*) aliter ab iisdem iudicandos. Interim demississima reverentia Sacram Fimbriam Eminentiae Vestrae exosculando, ad eiusdem poplites nos devolvendo manemus.

Datum Zyrovieciis, die 7ma Februarii, 1725.

Eminentiae Vestrae, Domini nostri Clementissimi humillimi Exoratores  
 ANTONIUS ZAWADZKI, O.D.B.M. Protoarchimandrita (mpr).  
 BASILIUS PROCEWICZ, Ord. D.B.M. Consultor, Superior Vilnensis (mpr).  
 POLYCARPUS MIHUNIEWICZ, Ord. D. Basilii M., Superior Zyrovicensis (mpr).  
 PATRICIUS ZYRAUSKI, Ord. D.B.M., Superior Polocensis (mpr).  
 BARLAAM OLEVICZ, O.D.B.M., Vicarius Zyrovicensis (mpr).  
 SYLVESTER KULCZYNSKI, O.D.B.M., Paenitentarius Generalis Zyrovic. (mpr).  
 STEPHANUS LITVICKI, Ord. D.B.M., Superior et Offic. Brest. (mpr).  
 POLYCARPUS FILIPOWICZ, Archymandrita Lescinensis (mpr).  
 FIRMIANUS WOLK, Ord. D.B.M., Superior Novogrodecensis (mpr).  
 ANTONINUS TOMILLOWICZ, Ord. D. Basilii M. Secretarius, Superior Con-  
 ventus Bytenen. (mpr).  
 CORNELIUS A. LEBIECKI, Ord. D.B.M., Rector Vladimir. (mpr).

---

<sup>397</sup> Idem ut supra, nota 396.

JOSEPHUS SAPOROVICZ, Superior Chomscensis, Ord. D. Basilii Magni (mpr).  
 HIERONYMUS ZOWIECKI, Ord. D. Basilii Magni, Superior Verchoviensis  
 (mpr).

CONSTANTINUS SZAYNSKI, Ord. D.B.M., Administrator Kobr. (mpr).

CHRYSANTHY POSTANSKI, Ord. D.B.M., Superior Conventus Liscoviensis.  
 (f. 161v) METHODIUS CYLINX, Or. D. Basilii M., Superior Rosanensis (mpr).

ALEXIUS KOBYLINSKI, Ord. D.B.M., Superior Volnensis (mpr).

HILARION NOVORONOUSKI, Or. D.B.M., Superior Czerlon. (mpr).

SERAPION LOZOUSKI, O.D.B.M., Superior Borunensis (mpr).

ISAJAS RADZIMINSKI, O.D.B.M., Superior Jatwiscen. (mpr).

SPIRIDION IACHIMOWICZ, O.D.B.M., Vicarius Bytenensis et Magister Novitiorum (mpr).

ADRIANUS FABRICIJ, Ord. D.B.M., Vicarius Torocanensis (mpr).

JOSEPHUS ZOLLKIEWICZ, Or. D.B.M., Superior Mirensis (mpria).

SYMEON KONOPKA, O.S.B.M., Superior Daroviensis (mp).

## 180.

*Torokanie, 17.IV.1725.*

*Protoarchimandrita Basilianus cum Consilio commendat Florianum Hrebnyckyj in Coadiutorem Metropolitanæ et quidem Leoni Kiszka, Metropolitanæ.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1724-27, vol. 68, fol. 331-32.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine,  
 Domine et Patrone Colendissime.

Ut dem sinceri et prompti obsequii mei documentum, defero Dominationi Suae Illustrissimæ, quod in Consultorio variis super negotiis Religionis nostræ nuperrime convocato, non praetermisi proponere negotium a Dominatione Sua Illustrissima mihi sub tempus commorationis meae in Volhinia commissum, ratione futuri Metropolitanæ Coadiutoris, literasque Dominationis Suae Metropolitanæ,<sup>398</sup> hoc in negotio ad me scriptas, in eodem Consultorio praesentavi, ubi venerabiles Patres Consultores totius Ordinis, una mecum, non solum ut haberent aliquam difficultatem pro dando voto favorabili in personam Illustrissimi et Reverendissimi Domini Floriani Hrebnicki, Archiepiscopi Polocensis,<sup>399</sup> sed quinimo congruum et necessarium fore iudicarunt supplicare Dominationi suae Illustrissimæ (prout per praesentes, nomine totius Religionis meae, una cum Consultorio, supplico), quatenus Dominatio sua Illustrissima (ipsi et in quantum placuerit omnino haec Sua intenta saluberrima deducere ad effectum) non alium sibi in Coadiutorem cum futura

<sup>398</sup> Metropolita Kioviensis, Leo Kiszka (1714-1728).

<sup>399</sup> Archiepiscopus Polocensis (1720-1762). Hic hoc tempore Coadiutoriam non obtinuit, sed tantummodo anno 1748 Metropoliam, post mortem nominati 1728 Coadiutoris et Metropolitanæ, Athanasii Szeptyckyj (1729-1746).

post sera fata sua successione eligere dignetur, quam praenominatum Illustrissimum Dominum Archi-Episcopum modernum Polocensem. Quem vitae probitas, doctrina, et non postrema in Religione nostra a iuvenili ipsius aetate merita continuusque circa propagationem Unionis Sanctae zelus sufficienter recommendatum reddunt. Et licet de facto certa sit Sancta Religio nostra, quod Illustrissimus Dominus Archiepiscopus modernus Polocensis ad hanc electus dignitatem, non solum in promovendis negotiis publicis totius Unionis Sanctae, verum etiam in manutenendis Iuribus Sacrae Religionis nostrae, iuxta nexum, ex immutabili erga Matrem suam Religionem amore, et inextinguibili (*f. 331v*) erga eandem obligatione corresponderet activitate et applicatione sua. Nihilominus non supervacaneum iudico supplicare Dominationi suae Illustrissimae nomine totius Religionis meae, quatenus eundem Illustrissimum Dominum Archiepiscopum Polocensem, ut sit memor obligationis suae erga Matrem paternis monitionibus instruere ac obligare, et ut hanc quam includo cautelam subscribat (si et in quantum id commode fieri poterit), persuasione sua inducere non dedignetur. Interim vero supplicabo Domino Deo cum tota Religione mea, ut Dominationem suam Illustrissimam, tanquam zelosissimum Antistitem et Primatem nostrum conservet incolumem, cuius Pastoralem exosculans Dexteram, maneo Illustrissimae, Excellentissimae et R.dissimae Dominationis Servus humillimus.

ANTONIUS ZAWADZKI, Ordinis Divi Basilii Magni Protoarchimandrita, Superior Beresvecensis (mpria).

Ex Monasterio Torocanensi, die 17ma Aprilis, Anno Domini 1725.

Illustrissimo Excellentissimo ac Reverendissimo Domino, Domino Leoni Kiszka, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopo Metropolitano totius Russiae, Episcopo Vladimiriensi et Brestensi, Archimandritae Kiiovo-Peczarensi et Suprasliensi, et Domino et Patrono meo Colendissimo.

Ego Barnabas Swidnicki, Notarius Apostolicus, Ord. S. Basilii Magni, Archimandrita Braslaviensis, praesentes Copias ex Polonico idiomate in Latinum transumptas, cum suo Originali collationatas atque licet aliena, mihi tamen bene nota, et semper fida manu descriptas, utpote per totum cum suo Originali concordantes, manu mea propria subscripsi et sigillo proprio, quo in talibus utor consignavi. Datum in Residentia et Monasterio meo Braslaviensi, Anno 1725, Mensis Iulii die 30, Indictione Romana III, Pontificatus autem SS.mi in Christo Patris et Domini Nostri, Domini Benedicti Divina providentia Papae XIII, Anno 2do, praesentibus ibidem Testibus fide dignis, Admodum R.do Domino Basilio Lozowicki, Decano Braslaviensi, Parocho Ikazensi, necnon Rn.do Domino Gregorio Adamowicz, Parocho Braslaviensi, ad praefata specialiter vocatis, rogatis, habitis, et adhibitis, etc.

Idem qui supra, manu propria.

(*f. 332*). Leo Kiszka, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archi-Episcopus Metropolitanus Kiioviensis, Haliciensis, et totius Russiae, Episcopus Vladimiriensis, et Brestensis, Kiiovo-Peczarensis et Suprasliensis Abbas.

Universis et singulis, quorum interest, praesentes inspecturis, lecturis,

legive auditoris fidem facimus, et testamur supradictum Perillustrem, Reverendissimum Patrem Barnabam Swidnicki, Ordinis Divi Basilii Magni, Archimandritam Braslaviensem, esse talem, qualem se facit, videlicet Publicum Sacra Autoritate Apostolica Notarium, eiusque scripturis, et Instrumentis, per eum confectis, tam in Iudicio, quam extra adhibitam semper fuisse, et ad praesens adhiberi fidem. In quorum... Datum ad Cathedram nostram Novogrodensem, die decima sexta mensis Augusti, Anno Domini Millesimo septingentesimo vigesimo quinto.

LEO, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mpr)

181.

*Vilna, 20.IX.1725.*

*Commendatur novus Procurator in Urbe, nec non de unione omnium Basilianorum ad mentem Synodi Zamostianae.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1728, vol. 74, fol. 133-134v.

Eminentissime et Rd.me Domine, Domine, Domine Clementissime.

Solicitati compluribus precibus Procuratoris nostri Romani<sup>400</sup> de danda ipsi facultate redeundi ab Urbe in patrias oras et ad Provinciam visisque iustis ipsius rationibus, quibus id a nobis expostulat, non potuimus minus facere, quam annuere desideriis ipsius alterumque ipsi substituere in eodem officio Procuratoris, Virum nobis sat probatae virtutis, qualitatusque ac dotibus ad hoc munus rite peragendum abunde instructum, quem ut protectioni Eminentiae Vestrae et totius Sacrae Congregationis, Dominorum nostrorum Clementissimorum, hisce omni quo possumus efficaciori modo redderemus, partium nostrarum id esse duximus, sperantes indubie, quod et ipse ex parte sua nihil omnino omittet, quod ad promerendam eandem uberius pertinere debebit.

Quod vero secundo nobis eadem occasione supplicandum occurrit, id est, ut siquidem intelleximus ex Synodo Provinciali Zamosciensi iam approbata, et huc ex Urbe transmissa, vigore Decreti eiusdem Synodi deberi formari novam Congregationem Religionis nostrae, in Dioecesibus ibidem expressis, nimirum Leopoliensi (*f. 133v*), Premisliensi, Vladimiriensi, Luceoriensi et Chelmensi metuimusque ne Monasteria nostra, quae in iisdem Dioecesibus reperiuntur suntque iam pridem Congregationi nostrae Lithuaniae Santicissimae Trinitatis incorporata, in fundamento eiusdem Decreti, ille, cui id commissum est opus, studiumque formandae praetactae Congregationis, avulsa a nobis, coniungere velit cum ipsa.<sup>401</sup> Supplicandum, inquam, venit Eminen-

<sup>400</sup> P. Benedictus Trulevyč (1712-1726).

<sup>401</sup> Ob haec controversa monasteria Provincia Ruthena erigi non potuit; eadem ipsa monasteria discutiebantur adhuc annis 1744-1764 inter duas Provincias.

tissimis Patribus, Dominis nostris Clementissimis, ut praevenire eundem mandatis suis dignentur, quatenus id faciat sine praetacta iniuria nostrae Congregationis. Insuper, ut etiam id adnitatur efficere, ut ista nova Congregatio, erigenda, dato ipsi solum Provinciali suo proprio, iureque ipsum eligendi, in reliquo subsit Proto-Archimandritae sive Generali Congregationis Lithuaniae; videtur enim id convenientius omnino esse tum ad vitanda dissidia, collisiones et aemulationes scandalosas, quae ex hac diversitate Superiorum oriri possent (f. 134) inter dictas Congregationes, tum conservandae integritati Iurium Congregationis Lithuaniae, cui penes erectionem ipsius id datum est Iuris, ut sibi omnia Monasteria Basiliana aggreget, unumque eligat Generalem ipsis regendis. Conducat etiam hoc ipsum non modicum ad conservandos in debita disciplina unius et alterius Congregationis Professos, dum praeccludetur per hoc via insolentioribus transmigrandi pro libitu suo ab una ad alteram, ad effectum subducendi se promeritis pro delictis suis poenis.

Ampliolem super hoc informationem commisimus dandam Sacrae Congregationi praesenti Procuratori nostro,<sup>402</sup> quem iterum iterumque Patrocinio et Protectioni Eminentiae Vestrae demississime et studiosissime commendando, nos quoque omnes idem devovemus et Sacram Fimbriam Eminentiae Vestrae profundissimo poplite exosculando, (f. 134v) eidem protectioni Eminentiae Vestrae omniaque nostra negotia per dictum nostrum emissum nunc Procuratorem dedicamus, uti

Eminentissimae et Rnd.mae Dominationis Vestrae, Domini nostri Clementissimi devotissimi Exoratores

POLICARPUS FILIPOWICZ,<sup>403</sup> O.D.B.M., Archim. Lescinensis (mpr).

ANTONIUS ZAWADZKI, O.D.B.M., Proto-Archimandrita (mpr).

FIRMIANUS WOLK-KARACZEWSKI, Ord. D.B.M. Consultor, Sup. Novogroden. (mp).

BASILIVS PROCEWICZ, O.D.B.M. Consultor, Super. Vlnensis (mpr).

POLYCARPUS MIHUNIEWICZ, Ord. D.B.M. Pro-Consul., Super. Zyrovicien. (mp).

ANTONINUS TOMILLOWICZ, Ord. D.B.M. Secr., Super. Bytenen. (mpr).

ALEXIJ KOBYLINSKI, O.D.B.M., Superior Volnensis (mpr).

PATRICIUS ZYRAUSKI, Ord. D.B.M., Superior Polocensis (mpr).

CHRYSANTHUS POSTANSKI, O.D.B.M., Superior Liscoviensis (mpr).

CONSTANTINUS SZAYNSKI, O.D.B.M., Administrator Archim. Kobrinen. (mp).

HIERONYMUS ZOWIECKI, O.D.B.M., Superior Verchovien. (mpr).

SERAPION LOZOWSKI, O.D.B.M., Superior Borunensis (mpr).

---

<sup>402</sup> I.e. novo, Patricio Zyravskij (1726-1729).

<sup>403</sup> Polycarpus Filipovič, Basilianus, olim Procurator in Urbe (1689-1696), dein Ep. tit. Bodonensis (1710) et Nominatus in Episcopum Mukačoviensem, quem tamen Episcopatum nunquam obtinuit, nec ullum alium, etsi proponebatur ad Pincensem, dein Polocensem etc. Obtinuit tamen an. 1716 Archimandriam Leszczynensem (usque ad annum 1730, ut videtur).

STEPHANUS LETVINKA, Ord. D.B.M., Superior Off. Bracl. (mpr).

CORNELIUS S. LEBIECKI, Ord. D.B.M., Rector Vladimirien. (mpr).

Datum Vilnae, die 20. 7bris, Anno 1725to.

182.

Vilno, 20.IX.1725.

*Protoarchimandrita cum Consilio novum Procuratorem commendat et instat in subiectione Archimandritarum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1728, vol. 74, fol. 120rv.

Celsissime et Illustrissime Princeps, Domine et Patrone Colendissime.

Responsiones ad dubia data nobis per Excellentissimum Dominum in Regno Poloniae Nuncium transmittimus per Patrem Procuratorem nostrum novum in Urbem expeditum, humillimam Celsitudini suae praestando venerationem. Ordinem nostrum multis undequaque calamitatibus pressum, tum et Procuratorem, latorem praesentium, protectioni et respectui singulari recommendamus, ut benignam aurem experiatur Celsitudinis Vestrae in desideriis et petitis Religionis, quae in responsis explicavimus, et oretenus enucleabit Pater Procurator, quantis prematur aerumnis Ordo noster, cum praeter odia Schismaticorum, et damna illata per Patrem Wietrzynski, novam sustineat afflictionem per Patres Archimandritas, qui subesse Generali suo, cui in Professione solenni obedientiam voverunt, recusant.<sup>404</sup> Novimus quidem quod favores praestitos nobis pari gratitudine rependere nequeamus, Maiestatem non nisi Divinam exorare votum nostrum est, ut ad gloriam suam incolumem Illmam Celsitudinem Vestram (*f. 120v*) diutissime conservet. Iteratis precibus, Procuratorem nostrum, et Fratrem Religiosum pro studiis ad Collegium Sacrae Congregationis expeditum,<sup>405</sup> protectioni et respectui insinuamus, manentes.

Datt. Vilnae, die 20. 7bris, Anno Domini 1725.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Servi humillimi et Exoratores indigni  
ANTONIUS ZAWADZKI, O.D. Basilii M., Congregationis SS.mae Trinitatis  
Proto-Archimandrita (mpr).

BASILIUS PROCEWICZ, Ord. D.B.M. Consultor, Supr. Vilnensis (mpr).

FIRMIANUS WOLK, Ordinis D.B.M. Consultor, Super. Novogr. (mpr).

POLYCARPUS MIHUNIEWICZ, Ord. D. Basilii Magni Consultor, Super. Zyrovicien. (mp).

ANTONINUS TOMILLOWICZ, Ord. D.B.M. Secretarius, Superior Bytenensis (mpr).

<sup>404</sup> Iterum quaestio de Archimandritis agitabatur temporibus Papae Benedicti XIV (1740-1758) et tandem soluta fuit per Breve « Super familiam », die 30.III.1756.

<sup>405</sup> Procurator in Urbe, Patricius Zyravskyj (1726-1729).



## 183.

Vilno, 24.IX.1725.

*De subiectione Archimandritarum, de non solutione debitorum P.M. Wietrzynskij et de erectione novae Provinciae in Russia, ad mentem Synodi Zamostianae.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1724-27, vol. 68, fol. 150-51v.

Eminentissimi, Celsissimi Principes, S.R.E. Cardinales,  
Domini, Domini Patroni Protectores Colendissimi.

Uberrima beneficia praestita Ordini nostro a Sacra Vestrarum Eminentiarum Congregatione stimulum nobis addunt, ut fiducialiter petita nostra cum demississima exponamus veneratione: supplicamus itaque, ut Patres Archimandritae seu Abbates Religionis nostrae compellantur subesse Generali seu Protoarchimandritae Ordinis,<sup>406</sup> cui per primaevas Religionis constitutiones, oraculis Sanctae Sedis Apostolicae firmatas, obedire tenentur; nunc liberos se ab obedientia pronunciari conantur, ne habeant, qui mores vitamque ipsorum notet et corrigat.

Supplicamus itidem, ut Religio nostra liberetur a solutione debitorum per Patrem Wietrzynski contractorum, qui tanta damna tum ante, tum post reinductionem suam ad officium (*f. 140*) intulit,<sup>407</sup> summis fundatilibus interceptis et spoliata auro, argento ceterisque pretiosissimis icone gratiosa Beatissimae Virginis ecclesiae Borunensis, quorum damnorum etiam ipsi Domini Creditores et praecipue R. Dominus Mulinovicz,<sup>408</sup> magnam occasionem dederunt, de vitae morumque integritate Patris Wietrzynski conficta in scriptis praebendo testimonia, Causamque eius promovendo, et vel maxime cum admoniti tempestive fuissent a Patre Procuratore Generali nostro, ne commendarent Patri Wietrzynski pecuniam, privato ducti affectu ex amicitia, subsidium ei charitativum subministrarent.

(*f. 151*) Haec quoque iusta postulata nostra gratiae Eminentiarum Vestrarum insinuamus, ne ad Provinciam novam in Russia erigendam avellantur Monasteria antiquitus incorporata Provinciae Lithuanae, cum habeantur Monasteria in Volhynia sufficientia, tum pro Residentia novi Provincialis, tum

<sup>406</sup> Solummodo temporibus Benedicti XIV (1740-1758) Brevi « Super familiam », anno 1756, die 30 Martii, quaestio soluta fuit; cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, pag. 161-164, nr. 747.

<sup>407</sup> Tum ante reintegrationem tum post (1.III.1723) P. Wietrzynski plura bona et res pretiosas Ordini asportavit et praeterea multa debita contraxit, quorum restitutionem Sedes Romana exigebat, post plenam reinductionem, quam nonnisi post secundum processum in Varsavia compilatum obtinere potuisset; sed ob nova sua delicta non obtinuit, et proinde debita haec et expensae insoluta manserunt sat longo tempore.

<sup>408</sup> Dominus Sebastianus Mulinowicz, Rector Collegii S. Stanislai polonorum in Urbe, qui P. Wietrzynski saepe pecuniam pro variis expensis suppeditabat, dein restituendam, praesentibus testibus. Hanc tamen vix obtinuit, quia post reintegrationem eam exigere neglexit.

pro Novitiatu ac Studiis innovandis. Eligendus vero novus Provincialis Generali uni seu Protoarchimandritae subsit, alternis vicibus ex utraque Provincia eligendo, si capacia subiecta ad hoc munus aderunt in illa Provincia; sic enim Monasteria novae Provinciae non pridem ad Unionem Sanctam conversa, facilius a Provincia Lithuana antiquitus in Unione Sancta existente, in fide catholica confirmabuntur, et in disciplina regulari instruentur. Desideria (f. 151v) nostra et nos ipsos ad plantas sternimus, Procuratorem novum gratiae insinuamus, manentes.

Datum Vilnae, die 24ta Septembris, 1725 Anno.

Eminentiarum Vestrarum Servi indigni et Exoratores perpetui

ANTONIUS ZAWADZKI, Ord. D. Basilii M. Congregationis SS.mae Trinitatis Protoarchimandrita (mpr).

BASILIVS PROCEWICZ, Ord. D.B.M. Consult., Super. Vil. (mp).

FIRMIANUS WOLK-KARACZEUSKI, Ord. D.B.M. Cons., Sup. Novogrod. (mpr).

POLYCARPUS MIHUNIEWICZ, Ord. D. Basilii Magni Cons., Superior Zyrowicensis (mpr).

ANTONINUS TOMILLOWICZ, Ord. D.B.M. Secretarius, Superior Bytenensis (mpr).

#### 184.

*Suprasl, 27.XI.1725.*

*Litterae cuiusdam P. Lamprecht de sorte P.M. Wietrzynskyj eiusque loco commorationis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1724-27, vol. 68, fol. 191.

Copia literarum a P. Antonio Lamprecht transmissarum ad Rev.mum Protoarchimandritam, sub datum Supraslii, die 27. 9mbris 1725.

Post Titulum. — Iussu R.P. Vicarij Supraslien. amplectens plantas omni cultu veneror Rev.mam Paternitatem. De vita, moribus et statu miserrimo P. Wietrzynski notum facio, quod existat in Helvetia, ubi impie se gerens, praesente tamen me, necdum apostata factus, sed intentionatus in fieri, proponens se ibi mansurum, uti quoque relationem habui a quodam mercatore helvetico, quod sit factus Calvinista, nubereque debuerat alicuius praedicantis filiae, cum qua accipere dotem debuit duo millia Imperialium; facile hoc credendum, nam et mihi abeunti affirmavit non se reversurum in Poloniam. Emit sibi domum, pro qua solvit ducentos viginti duos Imperiales; domus illa distat Berna duobus miliaribus, in cuius ecclesia debuit Calvinicam suscipere fidem, iuxta relationem illius mercatoris. Berna, civitas pulchra in Helvetia, proprii Dominii, distans a limitibus Galliae mil. 40, a limitibus Imp. Rom. mil. 50, Lucerna distat, qui locus est catholicus, mil. 24, Solidoro 17, Geneva, ubi fons Calvinistarum, mil. 15. Sed tamen facile modus adinveniri posset pia legata recuperare, nam Proceres Status huius civitatis Bernensis de ipsius persona minime curant. Ratione ablatarum rerum preciosarum, supplico me non fieri complicem facti, nam neque sciveram, neque ullam mentionem de

illis mihi fecit, excepto quod me praesente antiquo more aliqua vasa argentea Regiomonti divendiderit, pro his, ni fallor, ducentos aliquot Imperiales accepit. Itidem Vratislaviae, uti relatum mihi a puero apud illum serviente, vendidit Hebraeo alicui mixtos aureos et argenteos deauratos annulos septuaginta; caeterarum rerum nec minimam notitiam habui, nisi Bernae, unde me miserrime expedit, dando pro itinere tanto fere 300 Mil., tres solummodo aureos. De ablatis documentis notum feci Ill.mo, quod reliquerit illa Vratislaviae apud Patrem familias nomine Christianum Grim, sub signo trium montium, qui praefato hospiti pro conservatione documentorum declaravit duos aureos; ipsa documenta sunt obsignata sigillo Wietrzynski in duabus cistis, una maiori, altera minori. Securius tamen foret quam citius illa recuperare, ne ille qui abstulit una cum Patrefamilias Lutherano falsificent eadem. Supplico me tandem in aliis ignotum non fieri complicem, nam de nihilo scivi.

185.

*(In Russia), 1725.*

*De Procuratura missionum Basilianorum nec non de eius parva necessitate imo omnimoda superfluitate.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1724-27, vol. 68, fol. 306-307v.

*Quae necessitas Praefecturae Missionis in Ordine Divi Basilii Magni? Et cui illa conferenda?*

Suppono, primo, R. Patrem Procuratorem de hac materia nihil unquam mihi Protoarchimandritae proposuisse aut innuisse usque in hanc diem.

Suppono, secundo, eundem R. Patrem ignorantia laborare eorum, quae in nostro Ordine aguntur in praxi circa salutem proximi; neque miror, utpote qui iuvenis ex scholis ad noviciatum, ex Noviciatu ad Alumnatum SS.mi Domini nostri Romam, inde post studia procurationi in Urbe applicatus, usque ad annum praeteritum inclusive, ultra decem annos.<sup>409</sup> Sed miror non voluisse edoceri de iis, quibus Sacrae Congregationi supplicandum fuerat et est, aut scire, quid Alumni Pontificii redeuntes e Collegiis operentur in Provincia.

Respondeo, primo: Missionis necessitatem fuisse et esse in Russia, utpote in Regione amplissima, cui providendo Apostolicus ille vir S.M. Josephus Velaminus Rucki, Metropolita Russiae, simul cum Dominis Episcopis quotquot tunc uniti fuerant, Instaurator Ordinis Basiliani Uniti, anno 1614, ad finem formandi Clerum saecularem, et instituendum populum in iis, quae saluti necessaria sunt, Monachos Basilianos redegit in Congregationem, sub Generalem Superiorem seu Protoarchimandritam (praehabito Sacrae Congregationis (f. 306v) Propagandae Fidei super hoc negotio decreto) et statim

---

<sup>409</sup> P. Benedictus Trulevyč, Procurator in Urbe (1712-1726).

Sanctae Sedi Apostolicae supplicavit, et obtinuit gratiam, ut vigintiquatuor Juvenes Basiliani in variis Collegiis Pontificiis alerentur, pietate et doctrina erudierentur, qui redeuntes, et Clerum et Populum exemplo vitae et verbo doctrinae illuminarent et ad salutis media manuducerent.

Respondeo secundo: Hoc Apostolicum opus, stante vita eiusdem S.M. Josephi Metropolitanæ inchoatum, etiamnum in Ordine nostro, et in omnibus Monasteriis continua praxi exercetur. Atque ex hoc motivo, ut plurimum, Monasteria post erectam Monachorum Congregationem a fundatoribus dotata, expressa clausula Cathechisationis, Praedicationis, Sacramentorum administrationis et nunc, quae eriguntur foundationes hac afficiuntur conditione et obligatione, ut populus erudiat in salutaribus, et nutriatur Sacramentis. Hinc est vel maxime, quod ipsemet Generalis seu Protoarchimandrita in persona sua visitat Monasteria, continuus viator, per Provinciam visitando experitur, monet, corrigit, instaurat. Alumni vero redeuntes e Collegiis Pontificiis post octo, septem, et ad minimum sex annos (nisi infirmitate concepta citius et non finitis redire cogantur) per R.P. Protoarchimandritam applicantur ad Cathechisationes, Praedicationes, Paenitentiae Sacramenti aliorumque administrationem, alii (*f. 307*) iuvandis Dominis Episcopis in illorum Dioecesanis laboribus, deinde disponuntur ad superioratus, et alia officia, neque in officiis similia deserunt. Verum neque soli Alumni Pontificii (ex quorum numero etiam ego sum) sufficimus, sed et alii omnes eiusmodi functionum capaces ecclesiasticarum in omnes partes Lituaniae, Albae, et Nigrae Russiarum, Polessiae, Podoliae et Ukrainae sufficiuntur.

Respondeo tertio: Ex his praemissis non video ullam necessitatem dictae Praefecturae Missionum in Ordine Basiliano, cum haec ab exordiis erectae Congregationis SS.mae Trinitatis actu fuerit et sit in Proto-Archimandrita, qui Alumnos disponit, et ordinat ad Monasteria. Deinde distinctus aliquis Praefectus Missionum, cui praeficiendus esset? vel solis Alumnis tantum Pontificiis? vel omnibus Religiosis, quos pro officio suo disponat ad Missiones actuales? Si omnibus? Jam non erit necessarius Protoarchimandrita, et novus aliquis formabitur Monachorum SS.mae Trinitatis Status. Si solis Alumnis, utpote professis, praepositus est P. Generalis, seu Protoarchimandrita, vel etiam dictus Praefectus Missionis erit supra Protoarchimandritam, qui ordinarie Alumnus est; vel denique distincta potestate scindet, et dismembrabit Religionem et Provinciam, magis quam hodie praetensa uniuscuiusque Archimandritae a Generali suo exemptio. Quod non est optandum et vel maxime hodie, quando nostra Congregatio non tantum desiderat in se quam optime ordinari, sed etiam iis Basilianis (*f. 307v*), qui redigentur in Provinciam, concorporari. Sane oportunum quid et desideratum R.P. Procurator fecisset, si curasset nobis Missionariis, utpote Alumnis, et nostris Missionibus privilegia et facultates, quae penes officium Generalis eligendi haerent et haereant. Alias non sine rationabili fundamento suspicor R.P. Procuratorem hac via desiderare aliquem titulo Praefecturae fore exemptum a Jurisdictione Protoarchimandritae et dispositione eius ad actualem obeundam Missionem, per quod

manifeste et in praxi demonstret se esse S. Sedis Apostolicae et SS.mi Domini Alumnum et iuratum Missionarium prius, quam honorifico praefecturae titulo intumescat.

Ad secundam partem quesiti, cuinam Praefectura conferenda? nihil addendum iudico, praeter hoc, ut a S. Sede Apostolica Sacraque Congregatione Propagandae Fidei privilegia et facultates Missionum eidem Generali seu Protoarchimandritae pro tempore, gratiose, pro lucro animarum concedantur, communicabiliter quoad eos quos pro tempore dispositurus est et erit, ut idem ipsum, quod hactenus operabantur Alumni Pontificii ferventiori zelo, et ampliori animarum Christi Sanguine redemptarum fructu, operari studeant. Haec ex meo vili sensu. Caeterum, prout de re nova in nostra Congregatione, futurum, utinam proxime, Capitulum plenius discussa poterit dare responsa. Ego vero hoc responsum, et me totum perfectissime dispositioni Eminentissimorum Patrum S.R.E. Cardinalium Congregationis de Propaganda Fidei resigno.

ANTONIUS ZAWADZKI

Ordinis Divi Basilli M. Protoarchimandrita (mpp)

186.

Roma, 11.IV.1726.

*De solutione debitorum Ordini Basiliano adscriptorum instantia Procuratoris generalis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 5, fol. 27.

Dall'Ospizio de SS. M.M. Sergio e Baccho à Monti, li 11 Aprile 1726.

Il nuovo Procuratore Generale <sup>410</sup> obligatissimo dell'E.V. gli significa che essendogli stato consegnato il qui accluso Memoriale, e lettera diretta alla Santità di Nostro Signore a nome di Monsignor Metropolita, Arcivescovo di tutta la Russia, et anche di tutta la sua Religione; et avendone riportato dall'audienza avuta à voce di S.E. il rescritto, che V.E. n'informasse la Santità Sua, se la Religione sia tenuta à pagare per li consaputi inquisiti in Criminalibus,<sup>411</sup> il suddetto prende l'ardire di supplicarla à degnarsi di non voler far parte alcuna à Monsignor Nunzio della risoluzione seguita ieri sera in Congregazione, frà tanto che V.E. non abbia informato S. Beatitudine, come anche per che l'Avvocato che doveva scrivere in questa Causa, non aveva terminata la scrittura per informarne la suddetta Congregazione in scriptis, nel mentre si rassegna sempre più obbligato all'E.V. à cui fà umilissimo inchino, etc. etc.

<sup>410</sup> Forsan agitur adhuc de antiquo Procuratore, Benedicto Trulevyč (1712-1726).

<sup>411</sup> Per PP. Maximianum Wietrzynski et Firmianum Wolk, qui Decreto 1 Martii 1723 redintegrati fuerunt, post longum processum (1720-1723).

187.

*Olika, 30.V.1727.*

*Manifestatio publica Ordinis Basiliani Prov. Lithuanae de nova formanda Provincia Polono-Ruthena, ad mentem Synodi Zamostianae, eius conditiones, difficultates et oppositiones ex parte Episcoporum et Monachorum etc.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1728, vol. 74, fol. 131-132v.

In Nomine Domine Amen. — Omnibus et singulis quorum interest, intererit aut quomodolibet interesse poterit, manifeste pateat et sit notum, quomodo anno a salutifera nativitate Domini nostri Jesu Christi 1727, Indictione Romana quinta, Pontificatu Sanctissimi Domini Benedicti Divina Providentia Papae eius nominis Decimi tertii, feliciter moderni, anno ipsius III, die vero Veneris, quae fuit 30 mensis Maii, in mei Notarii Publici Apostolici Testiumque infrascriptorum, ad id specialiter invitatorum et rogatorum praesentia, comparens personaliter Religiosissimus Dominus Mathaeus Kozaczenko O.D.B.M. Provinciae Lituanae Secretarius, Superior Bitenensis,<sup>412</sup> sanus mente et corpore, sponte, palam, libere ac publice manifestationem inferius positam ad Acta Notariatus mei suscipi petiit, cujus tenor de verbo ad verbum sequitur estque talis:

Nos Proto-Archimandrita, Consultores et Secretarius Ordinis Divi Basilii Magni, Congregationis SS.mae Trinitatis, notum esse volumus omnibus manifestamusque in facie Sanctae Ecclesiae, quod pium et salutare opus de novo formandae Congregationis ex Monasteriis, quae reperiuntur in Dioecesibus: Vladimiriensi, Luceoriensi, Chelmensi, Leopoliensi, Premisliensi, hucusque in unum Corpus non redactis, et electionem novi Provincialis super eadem Monasteria, conformiter ad Synodum Provinciale Zamoscii, Anno 1720, celebratam, et a Sanctissimo Domino nostro Benedicto PP. XIII, Anno 1724, die 19 Iulii confirmatam, vocati ad monasterium Dubnense S. Salvatoris pro die 25 Maii, in anno praesenti 1727, Literis innotescentialibus Illustrissimi Domini nostri Metropolitanus, omnibus modis intendebamus, et sollicitam curam deducendi ad effectum desideratum, quantum potuimus adhibebamus, verum Illustrissimi Domini Episcopi Ritus Graeci-Uniti: Luceoriensis, Leopoliensis, Chelmensis, Premisliensis, item Perillustres Patres Archimandritae: Mielecensis, et Canioviensis, congregati ad idem Monasterium Dubnense S. Salvatoris die 20 Maii, anno ut supra, tam pia et salutari intentioni ac curae, primo in Residentia Illustrissimi Domini Metropolitanus de mane, tandem, in loco publicis sessionibus destinato, post meridiem, sessione 2da eadem die, affectatum ad apparentiam opposuerunt praetextum, asserentes nolle se aliter monasteria in Dioecesibus suis in unum corpus sub iurisdictionem Provincialis adunare, nisi adunata et incorporata Congregationi SS.mae (f. 131v) Trinitatis Monaste-

---

<sup>412</sup> Mattheus Kozaczenko, Secretarius Ordinis et Alumnus pontificius, Superior Byte-nensis; cfr. notam 324.

ria in Dioecibus eorum subsistentia avellantur a nobis, et ipsis cedant, allegando pro ratione, quod absque istis Monasteriis difficulter, imo nunquam nova formari possit Provincia, cum neque Provinciali locus, neque Tirocinio Religiosorum, neque demum Studiis assignabilis foret. Insuper allegabatur distantia ad visitandum. Incorporatio eorum, ab Unitis Praesulibus Congregationi SS.mae Trinitatis ideo facta, quia circumsepta erant undique monasteriis Disunitorum; hoc cessante, debent ad novam Provinciam restitui. Sed reposuimus in eadem publica sessione Illustrissimis Dominis Episcopis et Perillustribus Archimandritis deductive ostendendo, non esse hoc sufficiens motivum, ne monasteria in unum Corpus redigantur, sub regimen novi Provincialis, sed tantum esse merum praetextum, cum ex mente Synodi Zamoysciana, a Sede Apostolica confirmatae, Monasteria quae Generalibus Capitibus non subsunt, nec suos habent ordinarios Visitatores, in unum Corpus seu Congregationem reducenda esse; Monasteria vero Zydyczynense, Dermanense, Dubnense, Collegium Vlodimiriense, Monasterium Chelmense, Verchoviense, Buczacense, quae a nobis praetendunt Illustrissimi Domini, subsunt Generali capiti scilicet Protoarchimandritae, qui, ut plurimum, illa per seipsum, et subinde per suos Commissarios solet visitare, ut dant documenta Visitationis tot Proto-Archimandritarum et Commissariorum. Praeterea Monasteria formanda in novam Provinciam, sunt multo plura, quam Monasteria incorporata Congregationi Sanctissimae Trinitatis. Dempis ergo Volinensibus specificatis Monasteriis magnum damnum pateretur Congregatio Sanctissimae Trinitatis, quae vel ideo mereretur eorum possessionem, quae dum erant undique circumsepta a Disunitis, cum magno labore et sanguineo sudore sub obedientia Sanctae Sedis Apostolicae semper manutenuit.<sup>413</sup> Insufficiencia in Monasteriis formandis in novam Provinciam pro subsistentia novi Provincialis, pro erigendis Scholis, et Tirocinio Religiosorum allegata nullatenus potest subsistere. Quamvis enim nonnulla eorum monasteria sint pauperrima, quod etiam in nostra Congregatione reperitur, attamen etiam inter eos bene dotata et provisata inveniuntur Monasteria. Non allegando Archimandrias: Milcensem in Dioecesi Vladimiriensi, quae est optima et opima Foundationis, Unioviensem, quae in Dioecesi Leopoliensi bene est fundata, haec sunt Monasteria proposita in quibus locus novo Provinciali, Tirocinio Religiosorum (*f.* 132) et Studiis erigendis commodissime assignari posset. In Dioecesi Vladimiriensi: Monasterium Zahoroviense, et Zimmense; in Dioecesi Luceoriensi: Monasterium Poczaioviense, Bialostocense, Lubovscense, Podhaycense; in Dioecesi Leopoliensi: Krylosense, Biesiadense, Skitense, Leopoliense S. Georgii; in Dioecesi Premysliensi: Monasterium Lawroviense, Dobromylense, Salvatoris; caetera monasteria, quae fere centenarium numerum implent, in seorsiva charta sunt expressa. Verum cum Illustrissimi Domini Episcopi, et Perillustres Archi-

---

<sup>413</sup> Haec quaestio monasteriorum controversorum hoc anno Capitulum Dubnense et formationem novae Provinciae Ruthenae impedivit; postea per longa decennia quaestio fuit discussa (1744-1764) et nunquam soluta.

mandritae specificati, hisce iustissimis allegationibus nullatenus vellent acquiescere, neque ad electionem novi Provincialis descendere absque avulsione monasteriorum Volinensium, incorporatorum Congregationi SS.mae Trinitatis, nos videndo tantum eorum praetextum nobis praepudiosum publice protestati sumus; non ex nobis hoc esse nec nobis imputandum, quod tam pium et salutare novae formandae Provinciae opus non sortiatur effectum, verum totum id Episcoporum quaerentium modum, cum Perillustribus Archimandritis, ne secundum Decretum Sanctissimi Domini confirmantis Synodum Zamoyscianam manumittant Religiosos in novam Provinciam incorporandos.

Datum in Monasterio Dubnensi S. Salvatoris, die 27 Maii, anno 1727.

CORNELIUS STOP. LEBIECKI,<sup>414</sup> Ordinis D. Basilii Magni Protoarchimandrita, Superior Berezvecen. (mpr).

ANTONIUS ZAWADZKI,<sup>415</sup> O.D.B.M. Consultor, Superior Torokanen. (mpr).

BENEDICTUS TRULEVICZ, Ord. D.B.M. Consultor, Sup. Zyrovicensis (mpr).

MATHAEUS KOZACZENKO, O.D.B.M. Secretarius, Super. Bitenensis (mpr).

IGNATIUS KULCZYNSKI,<sup>416</sup> O.D.B.M., S.T.D., Secretarius Rd.mi Proto-Archimandritae (mpria).

Quae omnia et singula praemissa praefatus Religiosissimus Mathaeus Kozaczenko petiit ad Acta Notariatus mei inscribi ac notari, uti etiam inscripsi et notavi. Acta haec sunt Olicae, Anno, Indictione, Pontificatu et Die quibus supra, in praesentia Testium, ad praemissa vocatorum et rogatorum, Illustrium et Admodum Rnd.rum Dominorum Joannis Cantii Koydanikowski, Canonici eiusdem Insignis Collegiatae Olicen., Andreae Zayfert, (f. 132v) Grammatices in Academia Olicen. Professoris et aliorum multorum; et quia

<sup>414</sup> P. Cornelius Lebieckyj, Protoarchimandrita electus in Cap. Byteniensi (1726); Alumnus romanus Coll. Graecorum de Urbe, ingressus est die 3.XII.1716, annorum 27 (natus 17.III.1689), egressus anno 1720 (?), quo anno factus est convictor; post discessum et officia executata electus fuit Protoarchimandrita (1726), postquam per breve tempus functus est consultoratu; sub finem Protoarchimandritatus et Archimandritatus Dermanensis (1728) electus fuit etiam Archimandrita Suprasliensis (1728-1730); hoc eodem anno 1728, post obitum Metropolitae Kiszka, electus fuit et consecratus Episcopus Volodimi-riensis, sed 40 diebus post illam, die 23.I.1730 obiit. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, pag. 280-281, Romae 1958.

<sup>415</sup> Antonius Zavadskij, primum Proarchimandrita (1724-1726) et dein Consultor advitalis, et Superior Bytenensis. Obiit die 5.III.1737 in monasterio Cholmensi; cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, pag. 278-80.

<sup>416</sup> P. Ignatius Kulczynskij, Basilianus, Alumnus pontificius Coll. de Prop. Fide, ingressus in Collegium 28.XII.1714, fil. Georgii et Helenae, Volhiniensis, annorum 20, ordinatus sacerdos, 20.III.1720 defendit lauream doctoralem et obtento viatico, exiit e Collegio 6.V.1720; post quaedam munia exercita in Ordine, habuit munus Secretarii Protoarchimandritae Lebieckyj, et dein missus fuit in Procuratorem in Urbe (1729-1736); fuit etiam Archimandrita Grodnensis (1737-1741), quo in officio obiit eodem anno 1741; cfr. D. BLAZEJOWSKYJ, *Ukrainian and Bielorrussian Students...*, in « *Analecta OSBM* », vol. XV, pag. 211.



ego M. Sebastianus Antonius Wiewiorski AA.LL. et Philosophiae Doctor, Scholasticus Insignis Collegiatae Olicen., Sacra Autoritate Apostolica Notarius Publicus, ad Acta Notariatus mei praemissam Manifestationem suscepi et notavi, ideo praesens Instrumentum manu propria confectum subscripsi signoque nomine et cognomine communivi, quibus in talibus uti soleo, rogatus et requisitus (mpr.).

Supra exaratam subscriptionem manu propria Illustris ac Admodum Rn.di M. Sebastiani Wiewiorski, Phil. Doctoris, Scholastici Olycensis, Publici Sacra Autoritate Apostolica Notarii factam fuisse attestor. In cuius rei fidem praesen. scripsi, et sigillo Ill.mi ac Rev.mi D.ni, Domini Vincentii Santini, Archiepiscopi Trapezuntini, et Nuncii Apostolici in Regno Poloniae. communi-vi. Varsaviae, in Cancellaria Nunciaturae Apostolicae, hac die decima octava mensis Junii, Anno Domini Millesimo septingentesimo vigesimo septimo.

Ita est. - STEPHANUS SKWARCZYNSKI  
Publicus S. Auth. Apost. Notarius  
et actorum Nunciaturae Apostolicae sup. Vice-Cancellarius (mpr)

## 188.

*Dubno, 2.VI.1727.*

*Protoarchimandrita de formanda nova Provincia Rutheno-Polona, deque eius difficultatibus et conditionibus ex parte Hierarchiae et Monachorum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1728, vol. 74, fol. 135-136.

Emin.mi et Reved.mi Domini, Domini et Mecaenates Amplissimi.

Profundissima cum veneratione humillime expono Eminentissimis Dominationibus Vestris, quod cum ex Decreto S. Synodi Zamoscianaе, approbatae a SS.mo Domino nostro Benedicto XIII, feliciter regnante, in oppido Dubna nuncupato, in Monasterio S. Salvatoris rite ac legitime Capitulum Generale electivum novi Provincialis,<sup>417</sup> sub praesidentia Ill.mi et Rev.mi Domini Metropolitanae, et praesentibus Ill.mis Dominis Luceorien., Chelmen., Leopoliens., ac Premyslien. Episcopis institutum fuisset,<sup>418</sup> et cum die 16 Maii anni praesentis 1727 omnes Monachi ex praefatis Dioecesibus congregati unanimi sensu et voto in hanc ivissent sententiam, eligendi nempe sibi provincialem, Ill.mi Praesules,

<sup>417</sup> Capitulum Dubnense ad electionem Provincialis et erigendam Provinciam Ruthenam, ad mentem Synodi Zamostianaе, quae locum habere non potuit ob monasteria controversa inter duas Provincias, i.e. monasteria s.d. Volhynensia, quae etiam post unionem anni 1743 in Capitulo Generali Dubnensi permanserunt controversa (an. 1744-1764).

<sup>418</sup> Metropolita Leo Kiszka, et Episcopi eparchiarum ucrainarum: Luceoriensis - Josephus Levyckyj (1711-1730), Leopoliensis - Athanasius Szeptyckyj (1715-1746), Peremysliensis - Hieronymus Ustryckyj (1715-1746).

et Perillustres Archimandritae Mielecensis et Canoviensis eventum huius negotii non permiserunt, sub hoc unico palliato praetextu, quod non possit formari haec nova Provincia, nisi antiqua nostra Congregatio Lituana SS.mae Trinitatis cedat aliquot Monasteria in praefatis Regni Dioecibus existentia, et iam pridem sibi incorporata. Quamvis autem ego Protoarchimandrita seu Generalis huiusmodi Congregationis Lituanae reposuerim, (*f. 135v*) non esse sufficiens hoc motivum ad impediendam electionem Provincialis, quia noviter erigenda Provincia habet centum circiter Monasteria, et consequenter plura quam Congregatio Lituana, in qua reperiuntur quinquaginta circiter monasteria, cum illis etiam aliquot incorporatis. Insuper Synodus Zamosciana iubet, monasteria omnia, quae Generalibus capitibus non subsunt, nec suos habent ordinarios Visitatores, in unum corpus seu congregationem reducere, quae verba non possunt intelligi de praefatis monasteriis nostris, quia haec a singulis Generalibus ordinarie visitabantur, ut testantur Acta visitationum; nihilominus Ill.mi Episcopi, et praefati Perillustres Archimandritae in sua opinione permanserunt, prout fusius hoc totum expressum est in Manifestatione facta nomine meo et Venerabilium meorum Patrum Consultorum.<sup>419</sup> Rationibus allegatis in Decreto Remissionis, constructo ab Ill.mis Episcopis, responsum est etiam in eadem manifestatione, imo et hic hoc ipsum repeto, quod ista noviter erigenda Provincia sufficientissime<sup>420</sup> habet dotata Monasteria (*f. 136*) tum pro residentia Provincialis, tum pro Tyrocinio Religiosorum, tum pro Studiis formandis. Sed, ut verum fatear, intellexi bene, et percepi sat clare mentem Ill.rum Episcoporum adhuc ante istud Capitulum Generale, quia nolunt dimittere Religiosos a proprio gubernio, sicut et cum nostra Congregatione Lituana fecerant antea Ill.mi Domini Praelati, quibus de rebus Acta in nostro Ordine, imo et in Archivio S. Congregationis de Propaganda Fide asservata testari possunt. Cernuus itaque humillime supplico Eminentissimis Dominationibus Vestris, quatenus vigore Synodi Zamoscianae manumissi iam semel a suis Praesulibus isti in Regno Monachi in Congregationem redigantur, non obstantibus quibusvis praetensionibus aut controversijs, quae etiam post electionem novi Provincialis remitti ad Vaticana Oracula et pacari, prout placebit, possunt. Atque dum hunc supplicem libellum humillime praesento, fimbrias Sacrarum Purpurarum devotissimo osculo veneror.

Eminentissimarum Dominationum Vestrarum humillimus Servus et obligatissimus Exorator

CORNELIUS STOPH. LEBIECKI<sup>420</sup>

Ordinis Divi Basilii Magni Proto-archimandrita (mp)

Datum Dubnae, in Mon. S. Salvatoris, die 2 Junij, 1727.

<sup>419</sup> Cfr. supra nr. 181; Consultores vero erant praesentes: Zavadskyj, Trulevyč, Koza-czenko, Secretarius.

<sup>420</sup> Cornelius Stolpovickyj-Lebieckyj, Protoarchimandrita (1726-1730); cfr. notam 414.

## 189.

Torokanie, 14.VI.1727.

*Praeteritus Procurator in Urbe eiusque partes in tentamine formandi novam Provinciam in Russia; minuta descriptio conditionum, difficultatum, tentaminum etc.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1728, vol. 74, fol. 137-138v.

Eccel.mo, Ill.mo Monsignor, Signor Patrone Singolarissimo.

Partendo da Roma mesi sono,<sup>421</sup> doppo che son arrivato in Polonia già mi trovai nelle due Congregazioni Generali de questi miei Signori Prelati e Religiosi: Prima fu fatta in Lituania, nella Città di Bytenia,<sup>422</sup> che fu veramente ordinatissima, e ben regolata dagli Monaci nostri con esatta oservanza delle Regule, e li Brevi Apostolici, con ogni modestia e prudenza, con debito rispetto un verso l'altro; e vedendo questo bon Regolamento, o questi talentati soggetti, considerai che questo tutto procede dalla gratia singolarissima della Sacra Congregazione de Propaganda Fide, che li pose in tal stato non solamente con li suoi Decreti favorevoli, e Brevi spediti in favor di cotesti Monaci Ruteni di Lituania, esimendoli dalla giurisdittione da Vescovi, ed assignandoli un Generale di tutta la Russia di S. Basilio Magno, con tanto strepito, e resistenza de Signori Vescovi Ruteni, quali hanno inquietato tante et tante volte e per tanti anni cotesta Sacra Congregazione di Propaganda e Santa Sede Apostolica, or non permettendo ed ostando che non uscissero sotto di loro giurisdittione, e governo, or volendo di essere lor stessi Generali del Ordine, con tante perfectioni et afflittioni di sodetti poveri Monaci.<sup>423</sup> Con tutto ciò la Sacra Congregatione de Propaganda appoco appoco quietò tutti li rumori, difese li Monaci e li a fatto exempti da Vescovi ed a stabilito nella osservanza della disciplina regolare. Ma anche di più ammisse avanti Colegj Pontificij tanto in Roma quanto in Germania, ed in Lituania tanti giovani Monaci Ruteni, a ciò studiassero, e promovessero la fede e Santa Unione, ed è il questo frutto, che à prodotto la Sacra Congregatione de Propaganda con la sua gratia e protezione in questi Monaci Rutheni de Lituania; quali lo mirai tanto composti e virtuosi. Sia Dio benedetto che gratie infinite all'Emin.mi Cardinali de la Sacra Congregazione de Propaganda Fide anno eletto il Generale in questa Congregatione et anno finita religiosamente con ogni applauso.<sup>424</sup>

Seconda fu fatta adesso in Dubna,<sup>425</sup> Città di Volinia, nella quale furono

<sup>421</sup> Procurator generalis Benedictus Trulevyč (1712-1726).

<sup>422</sup> Capitulum Bytenense an. 1726, diebus 13-18 octobris; cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis...*, pag. 22.

<sup>423</sup> Hierarchia ucraina praesertim sese opposuit ad formandam Provinciam Ruthenam ad mentem Synodi Zamostianae. Cfr. documentum nr. 181, ubi hoc minute describitur.

<sup>424</sup> Protoarchimandrita Cornelius Stolpovyckij-Lebieckij (1726-1730); cfr. notam 414.

<sup>425</sup> Capitulum Dubnense mense Maio 1727; cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis...*, pag. 23.

convenuti cinque Vescovi Volinensi, e questi ora anno tenuto sotto di se quasi tutti Monasterij et Monaci Basiliani Ruteni di Volinia, senza dipendenza dal Generale della Russia; per molti anni capivano bensì cotesti Signori Vescovi ed intendevano chiaramente dal Breve di Urbano VIII, che dovevano tutti li Monaci Ruteni essere sotto un Generale della Russia (unum Generalem totius Russiae), ma mai si resolvevano di lassarli incorporarsi, per l'altri suoi fini ed utilità. Intanto poi adesso in Sinodo di Zamoscia pochi anni sono,<sup>426</sup> sotto la presidenza del Ill.mo Monsignor Grimaldi, per motivo del Presidente di Roma, allora Nuntio in Polonia, ed per obedire al volere espresso de S. Sede Apostolica condescesero, e si obligarono in scritto di lassarli dopo un anno andare sotto il Generale dell'Ordine e redurli in una Provincia; fu confermata il Sinodo, e questo loro bono stabilimento da Benedetto XIII, felic. recor. Or volendo adesso, secondo il di lor obligatione, nel lor Synodo con giuramento fatta, ridurre al esecuzione, si (f. 137v) riunirono in Congregatione in Dubna Signori Vescovi, e Monaci di Volinia, e noi altri tre con il nostro Generale; ed avanti che si cominciassero le sessioni, nel parlare con cotesti Signori Prelati abbiamo ben capito dal di loro discorso che non si faceva niente in questa Congregatione della elettione del novo Provinciale, perche Signori Vescovi volevano omninamente riservarsi a se stessi certi Monasterij più principali e più ricchi per il suo utile, ed l'altri inferiori e più poveri lassare andare, per mettere la di lor parola; quando poi repondessimo allora che questo non si poteva in verummodo fare ma li Monasterii di Volinia e li Monaci tutti devano essere sotto un loro Generale, et elegere un Provinciale sopra li tutti Monasterij et Monaci in cotesta Provincia; così è la mente di Sua Santità e della Sacra Congregatione de Propaganda Fide; all'ora Ill.mi Vescovi fecero il separato consilio fra di loro, e poi nel cominciare la prima sessione non fu fatto verun atto preparatorio, nemmeno l'ordine secondo il solito, e prescriptioni, ma così confusamente il Monsignor Ill.mo Metropolita subito disse queste parole: Padri miei, perche il General dell'Ordine e la Provincia Lituana non volgono concedere li loro monasterij, a voi altri Volinensi, per questo ne meno si pò farsi il Provinciale novo per voi altri di Volinia; remetto in tanto questo affare a Roma, e voi r'altri licentio; andatevene in pace alli Monasterij vostri. Fu fatto il strepito dalli Monaci Volinensi, ma poverelli non ardivano replicare molto per il timor che stanno sotto di loro. Noi l'altri con il nostro Generale abbiamo detto alli Signori Prelati che questo motivo non era bastate per impedire una elettione del novo Provinciale, determinata da Roma. Ma non fu possibile con raggioni evidenti introdurli al consentimento. Supplicassimo inoltre che almeno limitassero questa Sessione per il doppio pranso, e dassero la libertà alli Monaci non incorporati per potere consiliarsi tra di

---

<sup>426</sup> Synodus Zamostiana an. 1720, in Augusto; confirmata in forma speciali a Benedicto XIII, die 19 Julii 1724; Acta et textus edita sunt in prima editione an. 1724; postea editio secunda apparuit in Collectione Lacensi 1773, et tertia vice edita sunt Romae 1883. Cfr. BILANYCH JOANNES, *Synodus Zamostiana an. 1720* (eius celebratio, approbatio et momentum), Romae 1960.

loro, che cosa anno da fare, e per che fine son convenuti tanto lontano senza veruno fine; e che li stessi Signori Vescovi pensassero meglio un tal affare di gran importanza, et di loro stessi appresso la Sede Apostolica la stima. Condescessero in tanto alla seconda Sessione per il doppio pranso. Nella quale abbiamo proposto, come l'altra volta, alli Signori Vescovi più chiaramente, che qui deve trattarsi della elezione di novo Provinciale di Volinia primaria-mente, e non della alienatione delli beni e Monasterij della Provincia Lituana; e Monaci di Volinia, quando avevanno eletto il lor Provinciale e sarano incorporati sotto il Generale di tutta la Russia, averanno allora il tempo trattare della divisione di Monasterij per il loro novo Provinciale con il Generale del Ordine; ma adesso, stando ancora sotto di loro Monsignori, non anno questa libertà, ne tempo a proposito, per timor anche che questi Monasterij, quali già sono incorporati sotto il Generale, non rimaneggino più tosto alienati per esser sotto di loro giurisdittione e governo di Monsignori, che sotto la nova Provincia, per li motivi (*f. 138*) ragionevoli da capirsi, che loro stessi Monsignori danno, perche non volgono consentire alla elezione del novo Provinciale. Replicarono poi tutti li Monaci Volinensi per il loro Oratore, supplicando umilmente che li lasassero in libertà promessa regolare, e permettessero la nova elezione, tanto da loro desiderata, del Provinciale. Ma non fu possibile inchinare Signori Ill.mi Vescovi al consenso, perche replicò il Monsignor Metropolita a nome anche di altri Vescovi l'istesso, come nella prima Sessione la matina, e licenciò tutti quanti. Così si finì tanto desiderata la Provincia nova ed il loro Provinciale di Volinia.

Scoprirono poi a me alcuni boni Religiosi, sodi e prudenti e pratici del Paese, che li Signori Vescovi anno gran utile da questi Monasterij e Monaci, per questo li dispiace di privarsi, e questa mamona difficilmente permetterà che si faci nova Provincia, si non saranno ben constretti da Roma, che mantengano la giurata parola nel Synodo di Zamoscia datta, e confermata da S. Sede Apostolica; e questo zelo di cotesti Signori Vescovi, che vogliono prima la alienazione de Monasterij incorporati, che elezione del novo Provinciale è sospettosissima, perche si già li Monaci non ci saranno più sotto di loro giurisdittione e governo, perchè tanto impegno tocarà pensare al novo Provinciale con General dell'Ordine, e non al loro, che non avrano fare niente con li Monaci redotti in Provincia per lor intrinseco governo della disciplina Regolare, e provvedimento. Abbiamo anche spedita la protestatione fatta giuridicamente per mano del Notaro Apostolico contra questo fatto, ed afflittione del stato Monastico alla Sacra Congregatione de Propaganda. Si compiacerà V. Eccellenza rapresentare a lor Eminenze della stessa con ogni efficacia, secondo il solito della sua benignità e clemenza verso li Monaci Ruteni, quale anche io essendo in Roma Procurator generale dell'Ordine<sup>427</sup> esperimentai tante

---

<sup>427</sup> Annis 1712-1726, dein Consultor Generalis. Trulevyč Benedictus fuit Alumnus pontificius Coll. Graecorum de Urbe, fil. Joannis et Mariannae ex Palatinatu Minscensi, annorum tunc 26; ingressus die 13.XI.1706, sacerdos, egressus 1.III.1713 et statim factus Procurator in Urbe (1712-1726).

et tante volte (che quanto quelli di Lituania anno ricevuto e ricevono continuamente tante gratie e favori della Sacra Congregatione, tanto e questi di Volinia siano degni) ed a questa pretensione importuna, e paliata del alienationi de Monasterij, e beni della Provincia alla Provincia si imponga l'alto silentio, si tolga de mezo questo impedimento non necessario, perche la Provincia di Volinia starà bene da per se, basta che restituiscono tutti quanti Monasterij e beni alla Provincia nova Signori Vescovi, e questo atto litigioso pietoso da l'istessi, sotto pretesto di non so che? che un legitimo possessore non vol lassare andare in vano il suo e l'altro, usurpatore vo per forza che lo lassa passare; che l'altrimente non sarà Provincia nova. Noi facciamo per amore verso li Monaci non incorporati, che possano vivere e stare sotto la (f. 138v) disciplina Regulari, come noi l'altri, ma non già con il danno nostro, preteso dalli Signori Vescovi nostri. L'altri punti pertinenti al Sinodo di Zamoscia controversi, quali li lassai nella partenza mia da Roma anchor non decisi, massimamente delli Abbati Regulari che stiano sotto l'Abbate Generale racomando umilmente a V. Eccellenza, e non dubito che farà in tutto e per tutto la gratia secondo la giustizia, restarò obligato più che mai, come sono per sempre.

Di Torochanie, 14 Giugno 1727.

Di Vostra Eccellenza devotissimo ed obligatissimo Servidore

BENEDETTO TRULEWICZ,  
dell'Ord. di S.B.M. Consultore,  
Superiore di Zyrovica (mpr)

190.

*In Russia, 1.X.1727.*

*Collectio documentorum de praecedentia Protoarchimandritae super Archimandritas, ex primis Capitulis collecta.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, vol. 74, fol. 107-108v.

Documenta pro praecedentia et regimen Rev.mi Protoarchimandritae Ord. D. Basilii M. super Archimandritas, ac pro aliis Religionis Iuribus, ex libro antiquo copiatim cum suo originali collationato, atque olim Ill.mi et Rev.mi Domini Iacobi Susza, Episcopi Chelmen. manu propria ac sigillo munito, excerpta proponuntur.

Ex Congregatione l.ma Generali Anno 1617, in Praedio Novogrodowicze dicto celebrata,<sup>428</sup> Iulii 21, Collat. 2,I: Contemplantes ordinem, qui est in coelo, ubi unus supremus arbiter est, ipse Deus omnipotens, ordinemque quem in Ecclesia sua D.N. Jesus Christus constituit in terra, ubi unum

<sup>428</sup> Primum Capitulum Generale Novogrodovicense, 20-26 Iulii 1617; cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis Basilianorum*, pag. 8, Romae 1954.

Principem Pastorem esse voluit, hunc ipsum ordinem tanquam e manibus ipsius Dei amplexi, nos quoque in Religione nostra Unum esse volumus, qui sit supremus Religionis administer. - III. Quamvis Metropolita supremus futurus sit Moderator Religionis nostrae, tamen volumus unum esse ex nobis, qui curet administratque interne immediateque Religionem nostram, nullum aliud sustinens onus, nisi hoc unum: omnia monasteria nostra obiens, attendensque ad bonum ordinem tam in Praesidibus, quam in alijs Fratribus, tum in proventibus monasterij omnibusque ijs, quae conservando augendoque bono Religionis serviunt. Huic Religionis administro nomen erit Protoarchimandrita. — Eadem die Collat. 3, III: Ad initium electionis Protoarchimandritae, quilibet electorum jurabit se eum electurum, quem dignissimum huic officio esse censeat, quod iuramentum ipse prius praestabit Metropolita; in quem plura erunt suffragia, is renunciabitur Protoarchimandrita. — VI. Praesidem ad unumquodque monasterium eliget assignabitque Protoarchimandrita, collata re cum PP. Consultoribus Generalibus. Idem Protoarchimandrita mutare quoque poterit Praesidem, quando ita ipsi videbitur in Domino, consultis super hoc quatuor memoratis. Communiter vero per quadriennium perdurabit quisque in officio Praesidis, nisi ob necessitatem quampiam aliter videretur in Domino altiori Superiori, tunc enim in ulterius etiam tempus poterit eum sinere. — Iulij 22, Collat. 4, II: Tempus locusque Congressus Generalis, qui semel quolibet quadriennio communiter fiet, ipse Protoarchimandrita absque Metropolita indicet, licebitque ipsi etiam acceleratius, si necessitas exigat. Anno vero ante, Praesidem huius monasterij, in quo Congregatio celebranda erit, monebit, de quo numero Patrum, quem affore illi Congressui sperat, significabit, ut Praeses ille tempestive necessaria illi negotio praeparat. — IV. Cum multum Religioni nostrae intersit, ut Metropolita arcto nexu nobiscum coniunctus sit, talisque existat, qui magna voluntate feratur ad augendam Religionem nostram, ideo necessarium esse censemus, ut e medio nostrum sit, a nobisque eligatur, quod impense curandum est apud S.R.M., cui jus collationis competit. Quodsi tam facile hac tempestate consequi id non possumus, hoc medium hodierno Metropolitae nostro porrigimus, ut ipse durante vita sua curet instituire sibi quamprimum Episcopum, qui moretur ad eius Aulam, voceturque Coadiutor. Eliget vero eum consulto (*f. 107v*) Protoarchimandrita ique quos a Consilijs habuerit penes se... Idem, antequam renunciatur Metropolita, obstringet se iuramento ad ea omnia, in quae Metropolita iurat, cui praestando attendet Protoarchimandrita. — V. Modus connectendi nosmet cum Episcopis videtur talis esse posse, ut nimirum procureretur apud S.R.M. Privilegium, quo caveatur, ne Episcopatus hominibus saecularibus conferantur, sed ijs tantum, qui sunt de statu religioso, notabileque tempus in Religione exegerint atque a Metropolita de vita pia meritoque commendentur. Ad haec eiusmodi Episcopis, ante eorum consecrationem, proponet Metropolita, ut meminerint semper se esse membra Religionis, ac proinde ut eius sint defensores propagatoresque in suo quisque Episcopatu. Denique Protoarchimandrita ijs, qui ex Congregatione nostra sive ad Metro-

liam sive ad Episcopatus assumentur, addet singulis singulos Patres admodum probatos, qui ipsis invigilent in iis, quae ad vitam religiosam spectant. — VI. Cum Leges Ecclesiasticae, vetusque Ecclesiae nostrae consuetudo sit, ut ad dignitates ecclesiasticas assumantur e statu religioso, quod nobis immutare non licet, neque ut existimamus fas est, alia vero ex parte timendum sit, ne hac via ambitus praeeminentiarum ecclesiasticarum earumque procuratio ad Fratres nostros irrepat, occurrentes huic malo statuimus sanamusque, ut quilibet omnibus posteris temporibus, qui vota Deo in nostra Congregatione nuncupaturus est, cum alijs solitis votis hoc quoque nuncupet: Se nulla officia, dignitates sive Monasterij sive quascunque ecclesiasticas, multo vero minus saeculares quaesituras procuraturumve sive palam sive clam neque per se neque per alium. Quod si quis ausit, eo ipso privabitur omnibus munijs monasterij, hoc est, omni voce activa et passiva ad mortem usque. — Iulij 23, Collat. 7, V: Quia pro Monasterio Grodnensi obtentum est privilegium nomine unius Fratrum nostrorum, necessarium esse censemus, ut aliud expediatur nomine totius Congregationis nostrae pro eodem Monasterio. — Iulij 24, Coll. 8, I: Tria Monasteriola Owrucij collata sunt pro Seminario Vilnensi Rutheno, quae hactenus nec ipsi possidemus, nec ullus ibi est, qui nomine nostrum resideat. Quare adhibenda cura est, ut ad nostram possessionem deveniant. — II. Scholae, quas docendis Saecularibus duobus in locis inchoavimus, Novogrodeci videlicet et Minsci, curandum est, ut non tantum conserventur, verum etiam promoveantur augeanturque... Dispositio doctrinae, id est quid praelegendum docendumque in aliqua schola sit, mittetur a Protoarchimandrita.

Ex Congregatione Generali 2da, Anno 1621,<sup>429</sup> diebus Iulij, n. XVIII: Statuimus, ut omnes omnium Monasteriorum Praesides singulis annis ex redditibus expensisque rationem reddant Visitori aut ipsi Protoarchimandritae. Alij vero Officiales coram suo quisque Praeside idem suo tempore praestabunt.

Ex Congregatione Generali 3tia, Anno 1623, mensis Iulij 28 die, in Ruta celebrato.<sup>430</sup> Die 4ta Augusti, Sess. 6ta, post subscriptiones sequitur ita:

(f. 108) Praesides Praesbyterique Monasteriorum Congregationis nostrae fecimus vota coram SS.mo Eucharistiae Sacramento seorsim unusquisque nostrum verbis, quae sequuntur: Ego NN. promitto, voveoque Domino Deo in Trinitate Uni, in hac Congregatione nostra Ord. D. Basilij Rituque Graeco in Unitate cum S.R.E. ad mortem usque meam constanter in monasterijs sub regimine Protoarchimandritae nostri perseverare, paupertatem, castitatem obedientiamque servare, atque Religioni huic Rituique fidelis et devotus esse, ita me, Domine Deus, adiuva. — NB. Ad marginem huius iuramenti Ill. mus modernus Metropolitanus, cum esset Protoarchimandrita, propria manu hoc

<sup>429</sup> Capitulum s.d. Lauryšoviense, die 30.VI.1621.

<sup>430</sup> Capitulum Generale Rutaense an. 1623, diebus 25.VII. - 5.VIII; cfr. IBIDEM, pag. 9.



adnotavit: Metropolita iurat Protoarchimandritae obedientiam. Ad Calcem huius Congregationis apponitur ordo, quo considerare Patres Capitulares debeant in Congregationibus Generalibus. Post Protoarchimandritam Consultoresque Generales considerabunt Praesides aut Hegumeni hoc ordine: Praeses Vilmensis, Praeses Novogroden., Praeses Minscen., Praeses Zyrovicen., Praeses Bytenen., Praeses Krasnoboren., Praeses Czereien., Praeses Mohilovien. Deinde legati.

Ex Congregatione Generali 6ta, Anno 1636, Vilnae,<sup>431</sup> die 20 Iulij, Sess. 2, die 22 Iulij, feria sexta, mane, II: Consultatum de disordine in monasterio Minscensi ab eiusdem Monast. Praeside commisso, quo vocatus ad Congregationem non venit, inventumque est medium, ut antequam absolveretur Congregatio, alius mittatur Patrum nostrorum, qui isthic Praesidem agat. — Sess. 15, die 1 Aug., Feria secunda, mane, I: Lecta est incorporatio seu adiunctio Monasterij Dermanen. ad Congregationem Monast. Vilnen. cum subscriptione manus Ill.mi Patris Metropolitanae nostri manuumque Praesidis, ac reliquorum Patrum illius Monasterij. Quod instrumentum mox redditum est ad Archivum commune per manus Perillustris Patris Protoarchimandritae nostri. — Sess. 17, die 3 Aug., Feria quarta, II: Quod ad Episcopatus e statu monastico aliqui assumantur, id in Ecclesia Orientali semper et usque ad nostra tempora fuisse in usu, quod in 1.ma nostra Congregatione insinuatum est. Quod attinet minores Praesidentias religiosas advitabiles, aequum vero esse, ut Praesides Monasteriorum nostrorum non confirmetur nisi ter, nec sit ansa scandalo oblocutionibusque. — Ex Observandis circa electionem Protoarchimandritae etc. — Cap. 1: De ijs quae ad electionem Protoarchimandritae spectant, I: Necessum est, ut praeter locales in quolibet Monasterio moderatores, sit unus Supremus, cui omnes hi subsint, et qui curam gerat totius Religionis, quatenus integra conservetur et augeatur in perfectione religiosa et bono ordine. — Cap. 2: de Congregatione Generali ad eligendum Protoarchimandritam, XVIII: Quibus omnibus peractis, idem Principalior ex Patribus Congregationis cum Chartophylace ducent Protoarchimandritam et collocabunt in loco praeparato pone post Episcopos, prae reliquis omnibus Patribus. Itaque omnes Patres (f. 108v) Congregationis eo ordine quo sedebant accedentes ad eum, manum dexteram in signum obedientiae osculabuntur, et amplectentur sedentem in suo loco. Ad extremum omnes simul gratias reddent Domino Deo. — Cap.3: — Qua potestate pollebit Protoarchimandrita, III: Praesides Monasteriorum quotannis rationem ei reddent proventuum et expensarum, tamen integrum ipsi fuerit etiam mutare, aut per longius tempus in eiusmodi officijs detinere. — Cap. 6: De ordinaria Congregatione Generali, III: Prima Sessione Metropolita aut eius vices gerens ordietur Congregationem. Hoc est, proponet quod putat esse necessarium consultando. Deinde Protoarchimandrita, post eum Archimandritae et Hegumeni.

---

<sup>431</sup> Capitulum Generale Vilnense, diebus 20.VII - 3.VIII 1636; cfr. *IBIDEM*, pag. 10.

Ex Regulis Episcoporum,<sup>432</sup> cap. 4: Qualem eos oportet habere nexum cum Religione? I, Erga Religionem tanquam matrem suam, quae ipsos Deo peperit, filiali voluntate ferantur Episcopi, curantes incrementum omneque bonum eius, eamque iuvantes pro suis quisque viribus, potissime autem in id incumbunt, ut in suo quisque Episcopatu unum saltem bene ordinatum habeat monasterium sub regimine Protoarchimandritae, cui omnia monasteria subiacebunt. Ex iisdem Regulis Episcoporum, Cap. 2, X: Inaugurationi novi Metropolitanæ, aut eius ad Sedem Metropolitanam ingressui, omnes Episcopi Congregationis nostrae aderunt tanquam negotio summi momenti, et antequam inauguratur, tradent ipsi in scripto regulas servandas a Metropolitana, quas ipse pro viribus se servaturum vovebit, votumque in charta expressum ac manu propria subscriptum, ad manus tradet Episcopi, qui sit antiquior reliquis, is vero Protoarchimandritae, ut in Archivio Religionis reponatur.

Sequitur legalisatio Ill.mi Domini Iacobi Susza, Episcopi Chelmen. — Religiosae Congregationes sex, hic latine conscriptae, omnes a ss.mae mem. Josepho Rutscio, Archiepiscopo Metropolitano Kijovien., Halicien. et totius Russiae sunt celebratae, et Regulae S.P.N. Basilij Magni, nec non Regulae pro Rev.mis Dominis Episcopis unitis ab eodem Josepho Rutscio actae et ordinatae, atque ex originalibus Congregationibus translatae a RR.PP. Religiosis nostris, quae variorum sanctorum et magnorum virorum manibus ipsiusque Rutscij originalibus sunt adnotatae, testor quod conformiter et fideliter originalibus Ruthenicis et Polonicis sunt transcriptae. In quorum fidem, sicut in ipsis Originalibus toties et toties de varijs eorum virorum manibus testando, subscripsi, ita etiam hic pro veritate translationis subscribo.

JACOBUS SUSZA

Episcopus Chelmen. et Belzen. A.R. (mpr)  
(L. Sigilli)

Anno Domini 1727. Die 1. 8bris. Praesentes excerptorum ex libro antiquo Congregationum Ord. S. Basilij Magni, cum suo originali collationatorum, ac legalisationum per p.m. Ill.mum et Rev.dissimum Patrem Dominum Jacobum Susza, Episcopum Chelmensem, Copiae cum eodem antiquo libro Congregationum per me fideliter collationatae, de verbo ad verbum concordant. In quorum fidem, manu propria, ac sigillo, quo in talibus utor, consignavi. Datum in Monasterio Berezvecensi, anno, mense et die quibus supra.

BARNABAS SWIDNICKI

Notarius Apostolicus, OSBM,  
Archimandrita Braslaviensis,  
manu propria

---

<sup>432</sup> Cfr. textum « *Regulae Episcoporum* » in *Epistolae Iosephi Velamin Rutzkyj*, Romae 1956, pag. 369-380; in eodem volumine inveniuntur etiam « *Regulae Protoarchimandritae* », pag. 334-343.

## 191.

Grodek, 6.X.1727.

*Alia collectio documentorum de Protoarchimandrita, deque eius praecedentia super Archimandritis etc.*

APF, *Scr. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1728, vol. 74, fol. 97-99v.

Anno Domini Millesimo septingentesimo vigesimo septimo. Die vero Lunae, Sexta mensis Octobris. Horodeci.

Coram officio actisque Notariatus mei Sacra Autoritate Apostolica Publici, personaliter constitutus Rnd.ssimus in Christo Pater Antonius Zawadzki, Proto-Consultor et Superior Torocanensis,<sup>433</sup> Ordinis Divi Basilii Magni, Congregationis Sanctissime Trinitatis, sanus mente et corpore existens, omni meliori modo, quibus de iure, forma, via ac stylo potuit ac debuit, potestque ac debet modis manu tenens, excepta ex libro Capitulum seu Congregationum Ordinis Divi Basilii Magni, diversis locis et temporibus celebratorum, manu et sigillo Ill.mi et Rnd.ssimi Domini Leonis Kiszka, Protothronii Metropoliae Kiioviensis et Proto-Archimandritae Ordinis Divi Basilii Magni consignatorum,<sup>434</sup> ex Polonico in Latinum idioma translata et cum suis autenticis per me Notarium Apostolicum collationata, ad actandum obtulit, in tenore sequenti:

Excepta ex Constitutionibus Generalium Capitulum Ordinis Divi Basilii Magni, in rem Sacrae Religionis desumpta.

*Primo:* Congreg. 1.ma, Anno 1617,<sup>435</sup> Iulii 21, Collat. 2, n. 3. — Quamvis Metropolitae supremus futurus sit moderator Religionis nostrae, tamen volumus unum esse ex nobis qui curet administratque interne immediateque Religionem nostram, nullum aliud sustinens onus nisi hoc unum: omnia Monasteria nostra obiens, attendensque ad bonum ordinem, tam in Praesidibus, quam in Fratibus, tam in proventibus Monasterii omnibusque iis, quae conservando augendoque bono Religionis serviant; Huius Religionis Administratoris nomen erit Protoarchimandrita; *2.do.* Eadem Congreg. Collat. 3, n. 6: Praesidem ad unumquodque Monasterium eliget assignabitque Proto-Archimandrita, collata re cum Patribus Consultoribus. Idem quoque Proto-Archimandrita mutare poterit Praesidem, quando ita ipsi videbitur in Domino, consultis super hoc quatuor memoratis; *3.tio.* Congreg. 3tia,<sup>436</sup> Sess. 6: Ubi omnes in Capitulum congregati, ita professi sunt: Ego Leo Kreusa Archimandrita Vilnensis; Ego Anastasius Sielava; Ego Simeon Iackiewicz, etc. Promitto voveoque Domino Deo in Trinitate Uni in hac Congregatione nostra

<sup>433</sup> P. Antonius Zavadskij, Protoconsultor et Superior Torokanensis, qui antea erat Protoarchimandrita (1719-1723, 1724-1726); cfr. notam 382, etc.

<sup>434</sup> Haec excerpta habentur ex Liber Capitulum, lingua polonica exaratum, editum in *Archeografičeskij Sbornik dokumentov otnosjaščysja istorii sjevero-zapadnoj Rusy*, tomus XII: *Capitulorum volumen polonicum*, Vilnae 1900.

<sup>435</sup> Novogrodovicense an. 1617, diebus 20-26 Iulii.

<sup>436</sup> Rutaense Capitulum an. 1623, diebus 25.VII. - 5.VIII.

Ordinis S. Patris nostri Basilii Rituque Graeco in Unitate cum Sancta Ecclesia Romana ad mortem usque meam constanter, in Monasteriis, sub regimine Proto-Archimandritae nostri, perseverare, paupertatem, castitatem, obedientiamque servare atque Religioni huic, Rituique fidelis ac devotus esse. Ita me, Domine Deus, adiuva. Hanc eandem Professionem votorum omnes Patres Fratresque, qui in Monasteriis nostris remanserunt, praestabunt; 4to. Congreg. Generalis 6ta, Vilnae celebrata Anno 1636,<sup>437</sup> ibi: Quod in Episcopatus ex statu Religioso assumi soleant, hoc in Ecclesia Orientali semper fuit et hucusque servantur. De quo in 1.ma nostra Congregatione scriptum est. Quod vero attinet minores Praelaturas religiosas advitales, hae eidem ipsi Proto-Archimandritae eademque lege subesse debent, quo et temporales; 5to. Forma Professionis, quam singuli Novitij post canonicam probationem in Ordine S. Basilij Magni Congregationis SS.mae Trinitatis emittebant et emittunt: Ego N.N. voveo et iuro Domino Deo (f. 97v) in Trinitate uni in hac Sancta Congregatione Ordinis Divi Basilij Magni Rituque Graeco in unitate cum Sancta Ecclesia Romana sub regimine Proto-archimandritae, a tota Religione electi paupertatem, castitatem et obedientiam, etc. Sic me Deus, etc. etc.; 6to. Congreg. Generalis 3tia, anno 1623, Sess. 6: Ibi ordo, quo considerare debeant in Congregationibus Generalibus: Post Proto-Archimandritam, Consultores Generales considebunt. Praesides autem Hegumeni hoc ordine: Archimandrita Vilnensis, Praeses Novogrodensis, Praeses Minscensis, Praeses Zyroviciensis, Praeses Bytenensis, Praeses Czereiensis, etc. etc. Deinde Legati, si hi adfuerint, uti pro Congregatione electiva Proto-Archimandritae adesse debent, qui ordinem sequentur suorum Praesidum nempe primi erunt Vilnenses, deinde Novogrodecenses, etc.; 7mo. Congreg. Zyrovicien., Anno 1658,<sup>438</sup> in Praeliminaribus, ibi: Ad Invitationem Rnd.mi Patris Benedicti Terlecki, Provincialis Ordinis D. Basilij Magni convenerunt in Zyrovicze: Ill.mus D. Gabriel Kolenda, Archiepiscopus Polocensis, Administrator Metropoliiae; Ill.mus D. Andreas Zloty, Archiepiscopus Smolenscen. Itidem vigore Intimationis datae a Rev.mo Provinciali adfuerunt: V. Pater Constantinus Vitopolski, Superior Zyrovicien., Sebastianus Zaczynski, Superior Bresten., Pachomius Ohilewicz, Secretarius, V. Pater Eustachius Pieszkowski, Archimandrita Grodnensis, Paulus Korsak, Archimandrita Onufriensis, etc.; 8vo. Congreg. Vilnensis anno 1667,<sup>439</sup> Sess. 9, sub Praesidentia Ill.mi Domini Gabrielis Kolenda: Rnd.ssimus Metropolita, a dextris Ill.mus Vladimiriensis, Ill.mus Archiepiscopus Smolescen., Ill.mus Episcopus Chelmen. Post illos Archimandritae, a sinistris: Rnd.ssimus Pater Vicarius Generalis cum Principalibus Consultoribus; 9no. Congreg. Novogrodecen., Anno 1686,<sup>440</sup> Sess. 2, n. 3: Ibi lectum est quomodo debent considerare Superiores et Legati. Consultores vero post Epi-

<sup>437</sup> Congregatio Vilnensis an. 1636, diebus 20.VII - 3.VIII.

<sup>438</sup> Capitulum Zyroviciense an. 1658, diebus 6-10 Februarii; cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis...*, pag. 12.

<sup>439</sup> Capitulum Vilnense an. 1667, in Septembri; cfr. IBIDEM, pag. 15.

<sup>440</sup> Capitulum Novogrodecense an. 1686, diebus 1-10.VIII; cfr. IBIDEM, pag. 17.

scopos I.mum acceperunt locum super Archimandritas, juxta antiquiores leges; *10mo*. Congreg. Zyrovicien, Anno 1694,<sup>441</sup> Sess. 2, n. 2; Ibi lectum est quo ordine considerare debent in Congregatione personae ad eam vocatae et sic secundum antiqua jura, Consultores post Episcopos prima obtinuerunt loca supra Archimandritas. Literae vocatoriae ad Capitula a Rnd.ssimopro Protoarchimandrita expedire solitae, veluti anno 1690; *11mo*. Josephus Pietkiewicz Ordinis D.B.M. Proto Archimandrita,<sup>442</sup> Superior Bytenen. — Rnd.ssimis, Admodum R.ndis Venerabilibus Consultoribus totius Ordinis, Archimandritis, Hegumenis, Superioribus, Religiosis Ordinis Divi Basilij M. in Regno Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae existentibus et jus ad Generalem Congregationem juxta constitutiones Ordinis nostri habentibus, Pax Christi, etc. In virtute sanctae obedientiae habere volumus, ut acceptis hisce Intimatorijs nostris etc. ad Congregationem nostram Generalem accedatis etc. Datum Bytenij die 11 Maij 1690. Iosephus Pietkiewicz, Ordinis D.B.M. Proto-Archimandrita (Locus Sigilli). In absentia Secretarij Ordinis: Simeon Cyprianowicz, Ordinis D.B.M. Consultor, Superior Zyrovicien.; *12mo*. Anno 1698:<sup>443</sup> — Simeon Cyprianowicz, gratia Sanctae Sedis Apostolicae Archimandrita Supraslensis pro tempore Generalis Vicarius Ordinis D.B.M. — Admodum R.ndis Consultoribus Ordinis et Archimandritis, R.ndis Superioribus omnium Monasteriorum et juxta Constitutiones Ordinis ad Congregationem jus habentibus etc. In virtute sanctae obedientiae (*f.* 98) intimamus, ut ad terminum temporis et loci etc. comparetis etc. Simeon Cyprianowicz (*mp.*) (Locus sigilli); In absentia Secretarij Ordinis-Josephus Pietkiewicz, Consultor, Superior Zyroviciensis, Ord. D.B.M.; *13tio*. Anno 1709:<sup>444</sup> — Leo Lucas Kiszka, Ordinis D. Basilij M. Proto Archimandrita, Sacrae Theologiae Doctor, Superior Berezvecen. — R.ndissimis, Admodum R.ndis Consultoribus totius Ordinis, Archimandritis, Hegumenis etc. jus ad Generalem Congregationem habentibus etc. Intimamus et in virtute Sanctae Obedientiae habere vloumus, quatenus acceptis hisce innotescentialibus etc. Datum Berezveczi, die 24 Aprilis, anno 1709. — Leo Kiszka, Proto-Archimandrita (Locus Sigilli); Jacobus Solikowski, Ordinis D. Basilij Magni Secretarius; *14to*. Anno 1712:<sup>445</sup> — Leo Kiszka, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Protothronius Metropoliae Kiioviensis, Halicien. et totius Russiae, Episcopus Vlodimirien. et Bresten., Ordinis D. Basilij M. Proto-Archimandrita, Archimandrita Supraslen., Superior Berezvecen. — Rnd.ssimis, et Admodum R.ndis Consultoribus totius Ordinis, Archimandritis, Hegumenis, Superioribus, etc. etc. Intimamus, et in virtute Sanctae Obedientiae habere volumus, quatenus etc. etc. Datum Suprasli, die 2 Maij, Anno 1712. Leo Kiszka etc. (Locus Sigilli); Demetrius Zankiewicz, Ordinis D.B.M.,

<sup>441</sup> Capitulum Zyrovicense an. 1694, diebus 1-5.VIII; *IBIDEM*, pag. 18.

<sup>442</sup> Protoarchimandrita Josephus Pietkiewyč (1686-1690).

<sup>443</sup> Vicarius Generalis Ordinis an. 1698, post obitum Symeonis Ohurcevič (1690-1698).

<sup>444</sup> Leo Lucas Kiszka, Protoarchimandrita (1703-1713).

<sup>445</sup> Idem qui supra, tunc iam Episcopus Volodimiriensis (1711-1728).

Secretarius; *15to*. Anno 1713:<sup>446</sup> — Leo Kiszka, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia..., Ordinis D.B.M. Proto-Archimandrita, Archimandritis, Hegumenis, Superioribus Ord. D.B.M. etc., satisfaciendo obligationi nobis impositae etc. Capitulum Generale, anno currenti etc. assignamus, et in virtute Sanctae obedientiae habere volumus, quatenus, etc. Datum Vladimiriæ, die 4to Februarij, 1713 anno. — Leo, Protothronius et Proto-Archimandrita (Locus sigilli); Demetrius Zankiewicz, Ordinis D.B.M. Secretarius; *16to*. — Iuramentum Rnd.ssimi Patris Floriani Laniewski, Archimandritae Supraslensis, dum Archimandriam Grodnensem, a Religione concessam, apprehensurus esset. Ego Florianus Laniewski, Archimandrita Laurae Supraslien. Ordinis D.B.M., Iuro Domino Deo meo omnipotenti in SS.ma Trinitate Uni, quod ab hac hora et tempore, quo efficior Archimandrita Grodnensis, cum omnibus Patribus et Fratribus mecum in Archimandria Grodnensi manentibus, fidelis et obediens ero Ill.mo et Rend.mo Patri Leoni Szlubic Zalenski, Archiepiscopo Metropolitano Kiioviensi, Haliciensi, et totius Russiae et illius Successoribus, juxta statuta SS. Patrum legitime succedentibus; similiter Rnd.ssimo Patri Provinciali et toti Religioni omnem exhibebo obedientiam etc. etc. Sic me Deus etc.; *17mo*. — In Colloquio Lublinensi Unitorum cum Schismaticis, Anno 1680, Proto-Archimandrita praesedit Archimandritam (etiam ut supponitur exemptum) Supraslensem. Ibi: — Ill.mus Dominus Leo Zalenski, Protothronius Metropoliae, Episcopus Vlodimiriens. etc., Ill.mus Dominus Metrophanes Drucki Sokolinski, Archiepiscopus Smolenscen., Ill.mus Dominus Jacobus Susza, Episcopus Chelmensis etc., Ill.mus Dominus Marcianus Biallorzor, Episcopus Pinscensis etc., Ill.mus Dominus Joannes Malachowski, Episcopus Praemisliensis etc., Rnd.ssimus Dominus Stephanus Martyszkiewicz Businski, Ordinis D.B.M. Proto-Archimandrita; Rdn.mus Dominus Josaphat Michniewicz, Archimandrita Suprasliensis etc. etc.; *18mo*. — In Synodo Provinciali celebrata per S.M. Josephum Rucki, Metropolitam, in anno 1626,<sup>447</sup> die 26 Augusti (cujus Authenticum in Archivo Metropolitano haeret). Ibi Ill.mus Metropolitam, Episcopus Vladimiriensis, Episcopus Luceorien. et Ostrogiens. (f. 98v), Episcopus Polocensis et Vitebscensis, Episcopus Pinscensis et Turoviensis, Episcopus Smolenscensis, Episcopatus Chelmensis vacabat, Rn.dissimus Proto-Archimandrita, Vicarius Episcopatus Praemislien., quia Principalis non aderat, Vicarius Administrationis Chelmen., V. Archimandrita Mscislaviensis, V. Archimandrita Dorohobusensis etc.

Et quoniam Acta nemini sunt deneganda, ideo prima insertos Actus Capitulares admisi, Actisque mei Notariatus ingrossavi, et per extractum Copias legalisatas extradidi. In quorum fidem me subscribo.

Datum in Residentia Plebanali, Anno, die, mense ut supra.

BENEDICTUS CASIMIRUS FRIDERISZ, Parochus Horodecen.,  
Publ. Sacra autoritate Apostolica manu propria

<sup>446</sup> Idem ut in nota praecedenti; Capitulum Vilnense 1713, diebus 25-31 Julii; cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis...*, pag. 21.

<sup>447</sup> Synodus Provincialis Kobrynensis, diebus Augusti 1626.

## 192.

Zyrovyci, 17.II.1728.

*De quibusdam difficultatibus Basilianorum Romae excipiendi confessiones Latinorum etc. iustificatio et deductio iurium praecedentis Procuratoris generalis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1728, vol. 74, fol. 179-180v.

Emin.mi, Rev.mi Signori, Signori Padroni Col.mi.

Già saranno duoi anni incirca che mi allontanai da Roma,<sup>448</sup> ed una volta secondo il mio obbligo, ed esigenza della materia ho scritto a cotesta Sagra Congregazione de' VV.EE. de Propaganda Fide (e perciò unilmente dimando perdono) ed allora ho riferito, e l'avvisai delle cose dello stato Hierarchico della nostra Russia, e dei suoi Capitoli Generali, che furono fatti, uno in Lituania, ed l'altro in Volinia;<sup>449</sup> ed adesso che abbiamo ricevuto da Roma dal nostro Procurator Generale avviso della proibizione fatta da Sancto Offizio ivi alli nostri che non l'esercitano l'atto della Confessione, e non l'ascoltino del Rito Latino Penitenti! Tutto questo procede dalle risse tra li Sacerdoti tanto Latini quanto uniti Ruteni; queste discordie deveriano piuttosto sepelirsi, che esercitarsi, per non far ridere li Sysmatici di tante emulazioni; e pure Uniti Ruteni e Latini son tutto e uno, for del Rito, e questo non deve essere Causa de simili moti, come non è fra il Rito Romano, ed Ambrosiano in Italia; e come anche dichiara il Sommo Pontefice Alessandro VII, nel suo Breve, che cominza: *Dilecte fili* etc. nel Castel Gandolfo 1665, 30 Maggio, del suo Pont. an. II,<sup>450</sup> specialmente per li Ruteni Uniti, che il Rito non impedisce (*f. 179v*) a simili cose, etc. Nonmeno doveriano darsi l'orecchio dal detto S. Offizio a tali seminatori delle zizanie, ed inutili delatori, perche tanto li Vescovi Latini quanto Ruteni immediatamente sono sotto l'istesso Capo della Chiesa, Pontefice Romano, ed egualmente ricevono le facultà che escono dallo Santo Offizio, spettanti alla Giurisdizione, e la dispensa tiene dalli casi riservati in Bulla: Caenae, e le altre cose che in quelle facultà si contengono, ed è il negozio del Sacramento della Penitenza. Così medesimamente li Sacerdoti di ricevere la Giurisdizione, abbiano di assolvere. Ma non mi viene nuova questa cosa di emulazione, perche anche a tempo mio, della residentia per venti anni in Roma, questi e simili casi accadevano; mediante alcuni boni Patri e Sacerdoti, quali questi dubij movevano. Ma quando informavo EE.mi Signori Cardinali, doppio poi non li davano l'altra volta di tante ciarle l'udienza a tali Signori delatori, e turbatori della pace; ed io stesso per tanti anni esercitai in Roma l'officio di Confessore. Ed anche nel 1626 alcuni Ecclesiastici Polachi

<sup>448</sup> Procurator in Urbe, Benedictus Trulevyč (1712-1726); cfr. notam 427.

<sup>449</sup> Bytenense an. 1726 et in Dubno, anno 1727; cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis...*, pag. 22-23.

<sup>450</sup> Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. I, pag. 582-585, nnr. 530, 531, sub dat. 30.V.1665.

volevano inturbidare avanti il Santo Ufficio questa materia: *Quod attinet ad Confessiones Latinorum Zyrovicijs ad Miraculosam Gloriosae Deiparae Imaginem devotionis erga proficiscentium, quorum Confessiones excipiunt, placet, et probatur*, e poi al fine così si conclude (segno che era qualche obiectione nella forma di assoluzione). Ad Confessarios Ruthenos (*f. 180*) Catholicos accedere, qui in absolutione impartienda uti omnino debebunt forma in Generali Concilio Tridentino praescripta: Ego te absolvo peccatis tuis... id quod etiam Clemens VIII decrevit in Constitutione edita pro instructione Graecorum de ijs circa Sacramenta observare deberent; post absolutionem autem si addere voluerint preces, olim ipsis consuetas, nequaquam prohibebuntur. — In che ne allora fu veruna difficoltà, che Ruteni Uniti usavano la forma prescritta del Concilio di Trento, come apparisce dalla lettera del F.M. di Velamino Rutschio, Metropolitano della Russia, al medesima Sacra Congregazione di Sancto Ufficio, sotto li 15 di Iunio 1626, nella quale si lamenta che alcuni Signori Ecclesiastici latini polacchi calunniavano li Ruteni in Roma; l'altri Decreti tanto di Santo Ufficio quanto di cotesta Sacra Congregazione de Propaganda, per li quali si concedeva la facultà alli Ruteni confessare li Latini, si tralassano, perche sono noti à VV.EE. Molto meno poi adesso, che ultimamente nel Synodo di Zamoscia, approvata dal presente felicemente regnante Sommo Pontefice, fu stabilito osservare il prescritto del Concilio di Trento. Supplico dunque l'EE.VV., come singolarissimi Padroni, Protettori e Giudici immediati della Nazione Rutena Unita, toglierle di mezzo queste aggravazioni de nostri commoranti in Roma, e come praticato sino adesso che col l'approvazione in scriptis del Emin.mo Signor Cardinale Vicario (*f. 180v*) di Roma nostri Ruteni Sacerdoti avevano la facultà di essere confessori in Roma, cusì sia per gratia di VV.EE. anche in doppio ed io de tutto il core baciando le Sacre Purpore resto di

VV. Eminenze devot.mo ed oblig.mo Servidore.

BENEDETTO TRULEWICZ  
dell'Ord. di S. Basilio Magno  
Consultore, Super. Zyrovic.  
(mpropria)

Zyrovice, die 17 Februaro, 1728.

193.

*Suprasl, 21.I.1728.*

*De facultate Basilianorum Ruthenorum excipiendi confessiones Latinorum.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1728, vol. 74, fol. 182rv.

Eminentissimi,

Rev.mi S.R. Ecclesiae Cardinales de Propaganda Fide, Patroni Col.mi.

Semper sub protectionis specialissimo Eminentiarum Vestrarum favore Basilianus Ordo noster Unito-Ruthenus circa conservationem Privilegiorum suorum faustissime subsistens, omnique tempore summas tanquam apud



Protectores suos singularissimos in Urbe expertus gratias; nunc a Procuratore Generali informatus,<sup>451</sup> Roma per literas eiusdem, Residentes ibidem Patres nostros a Sancto Officio ne confessiones Latinorum excipiant contra Decretum F.R. Urbani 8vi prohiberi. Facit per nos supplicem recursum ad Eminentias Vestras, quatenus in causa Unitorum (quorum omnes, et singulas causas vivae vocis Oraculo F.R. Clemens XI, Pontificatus sui anno vigesimo, ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide immediate spectare voluit) pristinum Ordo noster Unito-Ruthenus apud Eminentias Vestras mereatur favorem et antiquam experiatur in favorem Unionis a S. Sede Apostolica emanatam gratiam, pro qua humillime supplicantes, Fimbriam Sacrae Purpurae singularissimorum Protectorum nostrorum proni deosculamur, et cum profundissimo cultu manemus.

Datum Supraslij, die 21 Januarij, 1728.

Eminentissimarum, Reverendissimarum Dominationum Vestrarum humillimi Servi, et Exoratores

CORNELIUS STOLP. LEBIECKI,<sup>452</sup> Ordinis D. Basilii M. Protoarchimandrita, Super. Berez. (mpr).

ANTONIUS ZAWADZKI, Ord. D. Basilii M. Consultor (mpr).

ANTONINUS TOMILLOWICZ, Ord. D. Basilii M. Consultor, Superior Conventus Vilmensis (mpr).

BENEDICTUS TRULEWICZ,<sup>453</sup> Ord. S. Basilii M. Consultor, Super. Zyrowic. (mpr).

## 194-200

Vilna, 25.IX.1728.

*Collectio documentorum probantium ius Ordinis Basiliani, eius Protoarchimandritae et Consultorum in electione Coadiutoris Metropolitanæ Kioviensis.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1728, vol. 74, fol. 95-96v; fol. 91-93.

Documenta data Religioni Divi Basilii Magni a diversis Metropolitanis, caventia ne in sua Religione eligi quisquam possit in Metropolitanam totius Russiae.

### 1MUM DOCUMENTUM

Anno Domini Millesimo septingentesimo octavo,  
die vero mensis Decembris decima octava.

Coram Actis Consistorij Episcopatus Vilmensis, in mei Notarij infra scripti praesentia, comparens personaliter Rnd.mus Pater et Dominus Leo Lucas

<sup>451</sup> Procurator in Urbe, Patricius Zyravskyj (1726-1729).

<sup>452</sup> Protoarchimandrita (1726-1730); cfr. notam 414.

<sup>453</sup> Cfr. notam 425.

Kiszka, Ordinis Divi Basilij Magni Proto-Archimandrita, Superior Beresvecensis, Sacrae Theologiae Doctor,<sup>454</sup> Literas infra scriptas originales ad Acta obtulit, scriptas in tenore sequenti, rhutenicas, ex rhutenico stylo in latinum idioma versas, fideliter per me et explicatorem styli collationatas, de verbo ad verbum concordantes:

— Josephus Velamin Rutski, Dei miseratione humilis Archiepiscopus Metropolitanus Kijoviensis, Haliciensis totiusque Russiae: Notum facio his literis meis omnibus in genere et cuivis in specie, hoc saeculo, et in posterum futuris hominibus, quod ego Metropolitanus, considerando in Ecclesia S. Orientali, pro Episcopatibus, et Metropolia antiquis temporibus de Ordine S. Basilij Magni solere assumi personas, et hanc solam Religionem in tota Russia Unita dilatare gloriam Dei, ne post mortem Metropolitanorum ascendant ad hoc beneficium per promotiones Magnatum saecularium indignae personae, statui, et statuo, ac aeternis temporibus, ut post mortem illorum, nemo sive ex Dominis Episcopis, sive ex Regularibus Personis, ad Serenissimum Regem Poloniae, sub id temporis feliciter regnantem, ad exportandum privilegium recurrere audeat et praesumat, praeter quod ille quem Serenissimo Regi, Monarchae Poloniae, Domini Episcopi et Reverendissimus Pater Proto-Archimandrita Ordinis nostri praesentaverint, ac postea Sanctissimo Papae Romano commendaverint. Quod si quis citra voluntatem et facultatem Reverendissimi Patris Proto-Archimandritae audeat sibi Privilegium exportare, talem veluti indignum Domini Episcopi cum Revd.mo Patre Proto-Archimandrita, Romam petendo, ut alienetur, deferent. Donec autem (*f. 95v*) hac methodo electus, et privilegiatus Benedictionem a Patre Sanctissimo Papa Romano pro Metropolita recipiat, ne bona Metropoliae vadant in ruinam, iidem expetent administratorem apud Illustrissimum Dominum Nuntium Papalem; interea vero tenebit illa deoccupare Dominus Protothronius Metropoliae,<sup>455</sup> vel si ille non supervivat Dominus Exarcha Metropoliae, et nemo, sub terribili iudicio Dei et sub maledictione Sanctorum Patrum in Concilio Nicaeno congregatorum, curare apud Serenissimum Regem Poloniae privilegium poterit, absque voluntate supra specificatarum personarum; propterea ad Serenis-

---

<sup>454</sup> Leo Lucas Kiszka, Metropolita Kioviensis (1714-1728), Episcopus Volodimiriensis (1711-1728), Protoarchimandrita (1703-1713); Alumnus pontificius Collegii de Prop. Fide, ingressus die 6.XII.1687, sacerdos annorum 24, exiit e Collegio an. 1691, et « ha dato sempre sodisfazione alli Superiori e Maestri »; cfr. D. BLAZEJOWSKYJ, *Ukrainian et Bielorrussian Students...*, in « *Analecta OSBM* », vol. XV, pag. 208. In Ordine Concionator Zyrovicensis et Vilnensis, ubi erat etiam Vicarius monasterii, a Cap. Bitenensi an. 1698 etiam Secretarius, et ab anno 1703 Protoarchimandrita, reelectus anno 1709 in Cap. Bilaensi; ab anno 1710 nominatus et anno 1711 consecratus Episcopus Volodimiriensis, retento officio Protoarchimandritae usque ad Capitulum Vilnense, diebus 25-31.VII.1713, ubi electus fuit Basilius Procevyč in Superiorem Generalem. Obiit diebus 9.IX., X., vel XI.1728; cfr. M. M. WOJNAR, *OSBM, De Protoarchimandrita Basilianorum*, pag. 273-275, ubi etiam brevis bibliographia eius scriptorum datur.

<sup>455</sup> Protothronius seu Episcopus Volodimiriensis; exarcha vero semper erat Episcopus Luceoriensis.

simos Monarchas Poloniae supplico, ut, non habito respectu super ulla recommendationes, eos tantum privilegiari faciant, quos Ordo S. Basilij Magni, per Revendissimum Patrem Proto-Archimandritam suum, tanquam bene gnarum virtutum et progresuum uniuscujusque commendaverit;<sup>456</sup> ut autem hae Literae meae majus habeant pondus, manus meae subscriptione roboro, et sigillo confirmo.

Dabantur Novogrodovijs, die vigesima quinta Iulij, Anno Millesimo sexcentesimo decimo septimo; apud has Literas subscriptio talis: Iosephus Velamin Rutski, Archiepiscopus (mpr.) — L.S. —

Quae quidem Literae modo praemisso acticatae, per depromptum parti offerenti, cum suis originalibus datae, et extraditae sunt. Actum Vilnae, ut supra.

MATHIAS CASIMIRUS GUDELEWICZ

Apostolicus et Actorum Consistorii Episcopatus Vil.  
Notarius Publicus (mpr)

Anno D. 1728, die 25. 7bris: Ego Barnabas Swidnicki, ODBM, Notarius Apostolicus, Archimandrita Braslaviensis, has Copias cum suo originali collationatas a me et de verbo ad verbum concordatas affirmo. Dat. Byth., ut supra.

#### 2DUM DOCUMENTUM

Anno Domini Millesimo septingentesimo octavo, die vero mensis Decembris decima octava.

Coram Actis Consistorij Episcopatus Vilmensis, in mei Notarij infrascripti praesentia, comparens personaliter Rd.ssimus Pater et Dominus Leo Lucas Kiszka, Ordinis Divi Basilij Magni Proto-Archimandrita, Superior Berezvecensis, Sacrae Theologiae Doctor, Literas infrascriptas originales ad Acta obtulit, scriptas in tenore sequenti, rutenicas ex rutenico stylo, in latinum idioma versas, fideliter per me et explicatorem styli collationatas, de (f. 96) verbo ad verbum concordantes:

— Iosephus Velamin Rutski, Miseratione Dei et Sedis Apostolicae Romanae humilis Archi-Episcopus Metropolitanus Kijoviensis, Haliciensis totiusque Russiae, omnibus in genere et cuivis in specie, ad quorum notitiam praesentes pertinebunt, praecipue vero Dominis et Patribus Episcopis et R.dis Patribus Ordinis S. Basilij Magni in Unione Sancta cum Ecclesia Romana existentibus, post transmissam Pastoralem benedictionem.

Notum facio his literis meis quod debiles vires meas advertendo et considerando brevitatem vitae meae ac desiderando, ut Ecclesia Sancta nostra Ruthena, post fata mea, non patiatur aliquod damnum, si longo tempore

---

<sup>456</sup> Protoarchimandrita cognoscebat membra Ordinis et proinde potuit dare informationes responsables; cfr. «*Regulae Protoarchimandritae*», in *Epistolae Iosephi Velamin Rutskyj*, pag. 334-343, vel etiam «*Regulae Episcoporum*», *IBIDEM*, pag. 369-380.

manere deberet sine Pastore, statui inquirere dignam personam in Religione mea Ordinis S. Basilij Magni, quae, stante vita mea, mihi in laboribus adjutorio esset, post fata vero in locum mei, scilicet in Metropoliā Universae Russiae succedat, praevia benedictione SS.mi Patris Papae Romani, veluti cum Rd.mum Patrem Proto-Archimandritam et Rn.dos Patres Consultores Ordinis S. Basilij Magni, quatenus mihi dignam personam, iuxta iura sua, praesertim vero ultimum a me datum tempore Congregationis Novogrodoviensis, sub data in illo expressa, ad tam altum fastigium porrigerent et praesentarent, requirerem; itaque Rn.di Patres Consultores, inito consilio inter se, Dominum Raphaëlem Korsak, Episcopum Pinscensem,<sup>457</sup> Proto-Archimandritam Ordinis S. Basilij Magni in Coadjutorem, stante vita mea, ac post fata in Successorem pro Metropolia elegerunt, mihi comendarunt et praesentarunt, quo ego tanquam Coadjutore meo, et post fata Successore acceptato, hanc exhibeo cautionem, quod neminem alium praeterquam Dominum Patrem Raphaëlem, a Rn.dis Patribus Consultoribus praesentatum, custodiendo iura Ordinis mei, in Successorem Metropoliae acceptatum SS.mo Patri Papae Romano ad obtinendam pro hoc munere benedictionem recomendabo.

Dabantur Vilnae, die 4 Mensis Augusti, Anno 1632.

Apud has Literas subscriptio talis

JOSEPHUS VELAMIN RUTSKI  
Archiepiscopus (mmpp). - L.S.

Quae quidem Literae, modo praemisso acticatae, per depromptum parti offerenti, cum suis originalibus, datae, et extraditae sunt. Actum Vilnae, ut supra.

MATHIAS CASIMIRUS GUDELEWICZ

Apostolicus et Actorum Consistorii Episcopatus Vilm.  
Notarius Publicus (mpr)

Anno D. 1728, die 25. 7bris: Ego Barnabas Swidnicki, O.D.B.M., Notarius Apostolicus, Archimandrita Braslaviensis,<sup>458</sup> has Copias cum suo originali collationatas affirmo, in quorum fidem subscribo, idem, ut supra.

### 3TIUM DOCUMENTUM

Anno Domini Millesimo septingentesimo octavo, die vero mensis Decembris decima octava.

Coram Actis Consistorij Episcopatus Vilmensis, in mei Notarij infrascripti (f. 96v) praesentia, comparens personaliter Rev. Pater et Dominus Leo Lucas Kiszka, Ordinis D. Basilij Magni Proto-Archimandrita, Superior Beresvecensis, Sacrae Theologiae Doctor, Literas infrascriptas originales ad Acta obtulit, scriptas in tenore sequenti, rhutenicas, ex rhutenico stylo in latinum idioma

<sup>457</sup> Raphaël Korsak, Basilianus, Alumnus Collegii Graecorum (1621-24), Protoarchimandrita (1626-1640), Episcopus Haliciensis (1626-1631), Pinscensis (1631-1637) et Coadiutor Metropoliae et dein Metropolitā (1637-1640).

<sup>458</sup> Barnabas Swidnickij, Archimandrita Braclaviensis ab an. 1726.

versas, fideliter per me et explicatorem styli collationatas, de verbo ad verbum concordantes: —

Raphaël Korsak,<sup>459</sup> Miseratione Dei humilis Archiepiscopus Metropolita Kijoviensis, Haliciensis totiusque Russiae: —

Notum facio praesentibus Literis meis libere confectis, unicuique ad quorum notitiam pertinent, praevis vero Congregationi nostrae Ordinis D. Basilij Magni SS.mae et Vivificae Trinitatis in Unione Sancta cum Ecclesia Romana existenti. Quod ego in magnis necessitatibus totius Unionis Sanctae praecipue vero pro Canonizatione Beati Martyris Josaphat, Archi-Episcopi Polocensis, proficiscens Romam, ac timens ne deficientibus viribus meis vita fungar, cujus privatio foret causa in Ecclesia nostra Ruthena disorderis, per defectum pastoris, statui intra memetipsum in Religione mea Ordinis S. Basilij Magni inquirere dignum hominem, qui in absentia mea rite gubernaret Ecclesiam Sanctam, stante vita mea in laboribus meis sit ad inter, post fata vero in Metropolia Russiae Successor, et cum procedendo more pie memoriae Antecessoris mei, Domini Josephi Velamin Rutski, Legislatoris Unitae nostrae Russiae, expeterem Rnd.ssimum Patrem Proto-Archimandritam et Rnd.os Patres Consultores ejus, quatenus mihi praesentent, iuxta iura sua, dignum et idoneum pro Metropolita Russiae Successorem; illi itaque congregati in Monasterio Novogrodensi recomendarunt et praesentarunt in Coadiutorem et post fata mea in Successorem Dominum Patrem Antonium Sielawa, Archiepiscopum Polocensem,<sup>460</sup> quem ego iuxta iura Religionis praesentatum et recomdatum, veluti cum magna aviditate pro Successore meo accepto, ita Dominum Patrem Antonium Sielawa, Archiepiscopum Polocensem, ac neminem alium Sedi Sanctae Apostolicae, propter obtinendam ad hoc officium pastoralement benedictionem, praesentabo. Et ad hunc effectum has litteras meas libere confectas Religioni meae dedi cum subscriptione manus meae penes solitum sigillum.

Dabantur Rutae die 3tio Octobris, Anno 1642.<sup>461</sup> Apud has literas subscriptio talis: — Raphaël Korsak, Metropolita totius Russiae (mpr). — L.S. —

Quae quidem Literae, modo praemisso acticatae, per depromptum parti offerenti, cum suis originalibus, datae et extraditae sunt. Actum Vilnae, ut supra.

MATHIAS CASIMIRUS GUDELEWICZ

Apost. et Actorum Consistorii Episc. Vilmensis Not.

Ego Barnabas Swidnicki, O.D.B.M., Not. Apost., Archimandrita Braslav. has copias cum suo originali authentice concordatas a me, et Collationatas affirmo. In quorum fidem, datum Byten. Idem, ut supra.

<sup>459</sup> Cfr. notam 457.

<sup>460</sup> Antonius Sielawa, Basilianus, Alumnus Collegii Graecorum (1616-21), ab anno 1624 Archiepiscopus Polocensis (1624-1655) et dein Metropolita Kijoviensis (1640-1655) et Protoarchimandrita Basilianorum anno 1642, a Capitulo Vilmensi.

<sup>461</sup> Agitur de quodam errore, quia Raphaël Korsak obiit Romae penes ecclesiam SS. Sergii et Bacchi anno 1640, die 28 Augusti. Haec littera signata fuit forsitan anno 1639, antequam iret Romam Raphaël.

## 4TUM DOCUMENTUM

Anno Domini Millesimo septingentesimo octavo,  
die vero Mensis Decembris decima octava.

Coram Actis Consistorij Episcopatus Vilmensis, in mei Notarij infrascripti praesentia, comparens personaliter R. dissimulus Pater et Dominus Leo Lucas Kiszka, Ordinis Divi Basilij Magni Proto-Archimandrita, Superior Berezvecensis, Sacrae Theologiae Doctor, Literas infra scriptas originales ad Acta obtulit, scriptas in tenore sequenti, polonicas, ex polonico stylo in latinum idioma versas, fideliter per me et explicatorem styli collationatas, de verbo ad verbum concordantes.

Gabriel Kolenda,<sup>462</sup> Dei et Apostolicae Sanctae Sedis gratia Archiepiscopus Polocensis, Episcopus Vitepskensis, Mascislaviensis, Orsanensis, et Mohiloviensis, Archimandrita Berezvecensis.

Notum facio his literis meis, unicuique quorum praesentes intererint, praecipue vero toti Hierarchiae Ruthenae, quod cum ego essem assumptus ab Illustrissimo Domino Antonio Sielava, totius Russiae Metropolitanus, pro Coadjutoria Metropolitanae absque consensu et voluntate Admodum Rnd. Patrum Consultorum Ordinis S. Basilij Magni, contra iura et constitutiones nostras regulares; cum post fata praefati Domini Metropolitanae vellem succedere in Metropolia, et Religione Basilij Magni, Per Dominos Patres Consultores impediretur mihi in Sacra Nuntiatura et in ipsa Romana Curia ascensus, veluti contra iura et privilegia Sacri Ordinis praetensum; postea vero ex zelo erga gloriam Dei, subterfugiendo scandalum ex dissidijs internis procedens, interea consentirem super hoc, ut ego, quamvis indignus, ascendam ad magnum in Ecclesia sancta munus Metropoliae totius Russiae et in hac materia tum ad Illustrissimum Dominum Nuntium, tum ad Sanctam Congregationem de Propaganda Fide literas ordinarer; idcirco ego gratificando hanc gratiae Ordinis Sacri Patriarchae mei S. Basilij Magni praerogativam, praefato Ordini datam a pia memoria Domino Rutski, totius Russiae Unitae Metropolitanus et Legislatore super hoc, ut nemo ad Metropoliam ac Episcopatus vacantes quibusque sine consensu et expressa voluntate Illustrissimi in Christo Patris Protoarchimandritae Ordinis et Consultorum ejus ascendat, et ut Metropolitanus pro tempore neminem sibi audeat aut praesumat eligere Coadjutorem, praeter eum quem illi praesentaverit Ordo Sancti Basilij Magni per Protoarchimandritam suam et Consultores ejus, in omnibus punctis approbo et confirmo, ac simul eadem manu tenere fideliter et sincere appromitto, et

---

<sup>462</sup> Gabriel Kolenda, Basilianus, Alumnus Collegii Graecorum, ingressus 1.XII.1636, annorum 30, sacerdos; post varia officia in Ordine executi, nominatus Episcopus Polocensis an. 1652; annis 1655-1665 Administrator Metropoliae Kioviensis in temporalibus, dein Metropolita (1665-1674) et Protoarchimandrita Basilianorum ab an. 1661, saltem unius partis Religiosorum, et postea ab an. 1667 totius Ordinis, mense Martio (4-5), in Capitulo Berestensi an. 1667. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis...*, pag. 15.

super haec dedi has literas meas, manu mea propria, penes consuetum sigillum Officij mei, (f. 91v) subscriptas.

Dabantur Vilnae, die 23 Augusti, Anno 1665. —

Apud has Literas subscriptio talis: Gabriel Kolenda, Archi-Episcopus Metropolitanus. L.S.

Quae quidem Literae, modo praemisso acticatae, per depromptum parti offerenti, cum suis originalibus, datae et extraditae sunt. Vilnae, ut supra.

Anno D. 1728, die 25 Sept. Ego Barnabas Swidnicki, O.D.B.M., Notarius Apost. has Copias cum suo originali authentico collationatas a me, et de verbo ad verbum concordantes affirmo. In quorum fidem subscribo. Idem, qui supra.

MATHIAS CASIMIRUS GUDELEWICZ

Apost. et Actor. Consistorii Episcopatus Vilnen.

Not. Publ. (mpr)

#### STUM DOCUMENTUM

Anno Domini Millesimo septingentesimo octavo,  
die vero mensis Decembris decima octava.

Coram Actis Consistorij Episcopatus Vilnensis, in mei Notarij infra-scripti praesentia, comparens personaliter Rd.ssimus Pater et Dominus Leo Lucas Kiszka, Ordinis Divi Basilij Magni Proto-Archimandrita, Superior Berezvecensis, Sacrae Theologiae Doctor, Literas infrascriptas originales ad acta obtulit, scriptas in tenore sequenti, polonicas, ex polonico stylo in latinum idioma versas, fideliter per me et explicatorem styli collationatas, de verbo ad verbum concordantes. —

Gabriel Kolenda, Dei et Sedis S. Apostolicae gratia Metropolita Kijovens, Halicensis, totiusque Russiae, Archiepiscopus Polocensis, Vitebscensis, Mscislaviensis, Orsanensis, et Mohiloviensis, Proto Archimandrita Ordinis D. Basilij Magni, Archimandrita Suprasliensis, et Berezvecensis: —

Notum facio praesentibus Literis meis unicuique ad cujus notitiam praesentes attinerent, praecipue vero Illustrissimis Dominis Patribus Episcopis et Admodum R.dis Patribus Consultoribus, ac toti Ordini Sancti Basilij Magni, quod notabilem sentiens in me debilitatem ac proinde inhabilitatem in senectute mea ad regimina Ecclesiae Sanctae, et simul expavescendo ne post fata mea bona Metropolitana vertant in rapinam et ruinam, veluti ipse expertus sum post decessum antecessoris mei, a Congregatis Supraslen. Admodum Rn.dis in Christo Consultoribus Ordinis expetierim, ut mihi praesentent dignum e gremio Ordinis, qui et Successor esse possit, Coadjutorem; veluti iustis requisitis meis satisfaciendo, Admodum Rn.di Patres Consultores praesentarunt mihi in Coadjutorem Admodum R.dum Patrem Cyprianum Zochowski,<sup>463</sup> Archimandritam Leszczynensem, quo ego peramanter (f. 92) acceptato, his literis meis

---

<sup>463</sup> Zochovskyj Cyprianus, Basilianus, Alumnus pontificius Collegii Graecorum, ingressus 2.III.1658, annorum 23, ordinatus sacerdos 29.IV.1663, egressus die 17.VIII.1664, laureatus in philosophia et theologia; post varia munia in Ordine executata, ut Archimandritae

facio cautionem, quod conformando me ad iura servientia Ordini S. Basilij Magni, non ullum alium Coadiutorem et Successorem meum habebō ac apud Sedem Sanctam Apostolicam promovebo, praeter quam praefatum Dominum Patrem Cyprianum Zochowski, quem obligo, quatenus nullum sibi sternat praetextum ad Proto-Archimandriam, mihi tantum Metropolitae ad tempora vitae in Congregatione habita Brestae,<sup>464</sup> sub praesidentia Illustrissimi Domini Nuntij Apostolici permissam ex gratia Religionis. Et super haec ego Metropolita dedi hoc scriptum meum penes sigillum solitum, cum subscriptione manus meae propriae.

Dabantur Supraslij, die 10 Iulij, Anno 1674. Apud has literas subscriptio talis: Gabriel Kolenda, Archi-Episcopus Metropolitanus. — L.S. —

Quae quidem literae, modo praemisso acticatae, per depromptum parti offerenti, cum suis originalibus, datae et extraditae sunt. Actum Vilnae, ut supra.

MATHIAS CASIMIRUS GUDELEWICZ

Apostolicus Actorum Consistorii Episcopatus Vilm.

Notar. Publicus

Anno D. 1728, die 25. 7bris: Infrascriptus praesentes Copias cum suo originali authentico a me collationatas, et de verbo ad verbum concordatas testor, in quorum fidem subscribo. Byt. Barnabas Swidnicki, O.D.B.M. Notarius Apostolicus, .....

#### 6TUM DOCUMENTUM

Anno Domini Millesimo septingentesimo octavo,  
die vero mensis Decembris decima octava.

Coram Actis Consistorij Episcopatus Vilmensis, in mei Notarij infra scripti praesentia, comparens personaliter R.ndissimus Pater et Dominus Leo Lucas Kiszka, Ordinis Divi Basilij Magni Proto-Archimandrita, Superior Bezevecensis, Sacrae Theologiae Doctor, Literas infra scriptas originales ad Acta obtulit, scriptas in tenore sequenti, polonicas, ex polonico stylo in latinum idioma versas, fideliter per me et explicatorem styli collationatas, de verbo ad verbum concordantes: —

Cyprianus Zochowski,<sup>465</sup> Dei et Sedis Sanctae Apostolicae gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kijoviensis, Haliciensis, et totius Russiae, Archiepiscopus Polocensis, Episcopus Vitepscensis, Mscislaviensis, Orsanensis, et Mohiloviensis, Archimandrita Leszczynensis: —

---

Leszczynensis ab anno 1668, dein Dermanensis (ab an. 1670), Auditoris Metropoliae (ab an. 1668); anno 1671 nominatus Coadiutor Polocensis cum tit. Vitepscensis Episcopi, et a die 1 Junii 1671 Coadiutor Metropoliae, in qua 11 Februarii 1674 successit (1674-1693); cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, pag. 268-269.

<sup>464</sup> Capitulum Generale Berestense an. 1667, diebus 4-5.III, sub praesidentia Antonii Pignatelli, Nuntii Varsaviensis (1660-1667), dein Pontificis Romani Innocentii PP. XII (1691-1700).

<sup>465</sup> Cfr. notam 463.



Notum facio his literis unicuique quorum praesentes intererint, praecipue vero Illustrissimis Dominis Episcopis Ritus Graeci, pariter toti Ordini S. Basilij Magni, quod ego Metropolitanus (*f.* 92<sup>v</sup>), manens obligatus ab Illustrissimo Sanctae Memoriae Domino Gabriele Kolenda, Metropolitano totius Russiae ad hoc, ut Religionem S. Basilij Magni singulari prosequar affectu, leges antiquas in ullo violem, ad Protoarchimandriam Religiosam non aspi-rem, Archimandriasque nocivas Religioni tollam, satisfaciendo obligationi meae personae impositae sub tempus praesentationis personae meae ex gratia Ordinis in Coadiutorem et Successorem in Metropoliam totius Russiae, cupiens testatam gratificari gratiam Ordini S. Basilij Magni, profitendo ingenue, quod sim ex gratia ejus in Officium primae in Russia Dignitatis promotus, omnia in antecessum data Antecessorum meorum scripta autoritate Metropolitana confirmo, Acta Congregationis nostrae Novogrodovicensis reassumo,<sup>466</sup> Protoarchimandriae ex decisione Capituli Novogrodovicensis a Metropolitanis avulsae renuntio, et approbando omnia Sanctae Congregationis Novogrodovicensis Decreta, hoc scripto meo, quod observando generale statutum Ordinis nostri, neminem in Coadjutorem et successorem pro Metropolita totius Russiae acceptabo, praeter hunc, quem mihi (si eo indigero) praesentabit R. ndissimus in Christo Pater Proto-Archimandrita Ordinis cum Consultoribus suis. Quae omnia, ut majoris sint valoris, penes sigillum, manus meae subscriptione roboro.

Dabantur Zyrovicijs, die 31 Iulij, Anno 1689. Apud has Literas subscriptio talis: — Cyprianus Zochowski, Metropolitanus totius Russiae. — L.S. —

Quae quidem Literae, modo praemisso acticatae, per depromptum parti offerenti, cum suis originalibus, datae et traditae sunt. — Actum Vilnae, ut supra.

MATHIAS CASIMIRUS GUDELEWICZ

Apostolicus Act. Consistorii Episcopatus Vil. Not. Publ.

Anno D. 1728, die 25. 7bris: Ego infrascriptus has literas Copias cum suo originali authentico a me collationatas, et de verbo ad verbum concordantes reperi. In quorum fidem Bythen. subscribo:

BARNABAS SWIDNICKI, O.D.B.M. Arch. Brasl.

#### 7MUM DOCUMENTUM

Anno Domini, Millesimo septingentesimo octavo, die vero  
mensis Decembris decima octava.

Coram Actis Consistorij Episcopatus Vilmensis, in mei Notarij infrascripti praesentia, comparens personaliter R. ndissimus Pater et Dominus Leo Lucas Kiszka, Ordinis D. Basilij Magni Protoarchimandrita, Superior Berezvecensis, Sacrae Theologiae Doctor, Literas infra scriptas originales ad Acta obtulit,

<sup>466</sup> Metropolita Zochovskij celebravit in primo decennio, antequam hoc documentum subscriberet (31.VII.1679) duo Capitula Generalia Zyroviciensia, anno 1675, diebus 12-16 Maji, et an. 1679, diebus 25-31 Julii. Cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Capitulis*, pag. 16-17.

scriptas in tenore sequenti, polonicas ex polonico stylo in latinum idioma versas, fideliter per me et explicatorem styli (f. 93) collationatas, de verbo ad verbum concordantes: —

Leo Szlubic Zalenski,<sup>467</sup> Dei et Sedis Sanctae Apostolicae gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kijoviensis, Haliciensis et totius Russiae, Episcopus Vladimiriensis et Brestensis, Archimandrita Cobrinensis, et Czernihoviensis. —

Notum facio his Literis meis unicuique, quorum praesentes intererint, praecipue vero Ordini meo S. Basilij Magni, quod cum post decessum Sanctae memoriae Illustrissimi Domini Cypriani Zochowski, totius Russiae Metropolitanus, Unita cum Ecclesia S. Romana Ecclesia S. nostra legitimo orbata extiterit pastore, et R.ndissimus in Christo Pater Proto-Archimandrita O.D.B.M. cum venerabilibus Consultoribus Religiosis, iuxta iura sua, me indignum sub tempus Congregationis nostrae generalis Religiosae, habitae Zyrovicijs 1.mis diebus Augusti, Anno 1694,<sup>468</sup> in Metropolitanum totius Russiae, in Consultorio sub tempus Capituli dicti habito elegerit, cum obligatione, quatenus Ordini Sancto scriptam, datam a Sanctae Memoriae Domino Josepho Rutski, totius Russiae Metropolitanus, Legislatore nostro, investitus a Sede S. Apostolica in Metropoliam confirmationem in futura Congregatione, quae ego exequi iurata fide Episcopali tunc temporis apromisi; idcirco oblata mihi ab Ordine gratia cum iam et Sedis S. Apostolicae respectu Sacrae receperim gratiam, in praesenti Congregatione Bythenensi,<sup>469</sup> sub tempus Consultorij sacrosancte de..., quod sicuti neminem sine consensu R.ndissimi Proto-Archimandritae et Consultoribus Ordinis praesumam eligere mihi pro Coadjutore et Successore in Metropoliam, ita scriptum Religioni datum, a S. Memoriae Domino Rutski Metropolitanus ad hoc, ut quilibet cum consensu Ordinis in Metropoliam et Episcopatus ascendat approbo, et hanc approbationem meam manus propriae subscriptione, per solitum sigillum, roboro.

Dabantur Bythenij, die 26 Augusti, Anno 1698. Apud has literas subscriptio talis: — Leo Szlubic Zalenski, Metropolitanus t. R., Vladimiriensis Episcopus manu propria. — L.S. —

Quae quidem Literae, modo premissis acticae, per depromptum parti offerenti, cum suis originalibus, datae et extraditae sunt. — Actum Vilnae, ut supra.

MATHIAS CASIMIRUS GUDELEWICZ

Apostolicus et Actorum Const. Episc. Viln. Not. Plublicus. — L.S.)

<sup>467</sup> Leo Szlubic-Zalenskyj, Basilianus, fil. Francisci et Annae Glinska, ingressus in Collegium Graecorum 18.XII.1673, annorum 25, sacerdos; egressus 17.V.1676 « valetudinis causa revocatus »; iam anno 1679 nominatus Episcopus Volodimiriensis, post obitum Benedicti Glinskyj, sui consanguinei, et anno 1695 electus in Metropolitam Kioviensem (1695-1708). Obiit die 21 Julii 1708.

<sup>468</sup> Capitulum Zyrovicense an. 1694, diebus 1-5 Augusti; in hoc Capitulo Zalenskyj propositus fuit ex parte Ordinis in Metropolitam Kioviensem.

<sup>469</sup> In Capitulo Byteniensi an. 1698, diebus 25-31.VIII et eo durante signatum fuit praesens documentum.

Anno D. 1728vo, die 25. 7bris, Indictione Romana VI, Pont. autem SS.mi D. nostri in Christo Patris, D. Bened. Divina Providentia Papae XIII, Anno 6to: has septem suprascriptas Copias cum suo authenticato originali de verbo ad verbum concordantes, et a me collationatas testor. In quorum fidem subscribo Bytenij.

BARNABAS SWIDNICKI, O.D.B.M. etc. ....

(f. 93v) Anno Domini Millesimo septingentesimo vigesimo octavo, die vero quarta mensis Novembris, Varsaviae, in Cancellaria Nunciaturae Apostolicae Regni Poloniae etc. constituti personaliter Admodum Rev.di PP. Ignatius Kulczynski, Presbyter Ordinis Divi Basilij Magni, ex Provincia Lithuana assignatus Procurator Generalis Romam, et Rector ad aedes SS. Martyrum Sergij, et Bacchi in ibidem,<sup>470</sup> nec non Josephus Ostaszewski, et Artemius Piotrowicz, itidem Presbyteri, Professi ejusdem Ordinis Divi Basilij Magni, recognoverunt et medio juramento testati sunt retrospectum transumptum Documentum in numero septem pariter in septem locis subscriptum fuisse et esse manu propria Admodum Rev.di Patris Barnabae Swidnicki, Ordinis Divi Basilij Magni, Archimandritae Braclaviensis, et Notarij Apostolici, Signoque ejusdem Notariatus communitum. Ita est.

ADALBERTUS SKWARCZYNSKI, Publ. S. Auth. Ap. Not. et Nunt.

## 201.

Zyrovyci, 1.X.1728.

*Mittitur novus Procurator generalis in Urbem, P. Ignatius Kulczynskij.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 5, fol. 171-172.

Illustrissime, Excellentissime et Rnd.me Domine,  
Domine et Patrone Colendissime.<sup>471</sup>

Ex consilio unanimi inter nos facto assignatus est R.P. Ignatius Kulczynski, Procurator in Urbe Generalis Ordinis nostri,<sup>472</sup> quem singularissimis favoribus Excellentiae Vestrae recomendamus. Injunximus enim ei multa et magni momenti negotia, quae cum exposcant specialissimam Excellentiae Vestrae gratissimam opem et protectionem, idcirco humillime exoramus, quatenus Excellentia Vestra dignetur benignam aurem informationibus, quas faciet praedictus Procurator praebere, et clementer in omnibus juvare. Magna ex parte pendent favorabiles decisiones a graciousissimo patrocinio Excellentiae Vestrae, et cum minima Religio nostra Ruthena Basiliiana varijs exagitetur disturbijs, tum ob violationem (f. 171v) jurium ac constitutionum suarum,

<sup>470</sup> Ignatius Kulczynskij iam tunc designatus fuit in Procuratorem in Urbe (1729-1736).

<sup>471</sup> Ut videtur Secretarius de Prop. Fide, Bartholomaeus Ruspoli (1724-1730).

<sup>472</sup> Ignatius Kulczynskij, Procurator in Urbe (1729-1736); cfr. supra notam 416.

tum ob notabilia praejudicia, quae ipsius laudabilibus consuetudinibus, oraculis S. Sedis Apostolicae, et decreto S. Congregationis de Prop. Fide firmatis, inferunt; idcirco devotissimas preces nostras humillime praesentamus coram beneficentissimo conspectu Excellentiae Vestrae, exorantes, ut clementer provideat indigentibus nostris et justis petitionibus; quae insignis gratia si nobis, prout tutissime confidimus, praestabitur, perennem obligationem, et nunquam debilem gratitudinem nostris in cordibus fundabiliter erga singularissimam benevolentiam Excellentiae Vestrae, quam Deus optimus, ut omnibus bonis desiderabilibus cumulet longe (*f. 172*) vitamque faustissimam, incolumitatem ac felicitatem perennem tribuat, incessantes ad Divinam Majestatem supplicationes fundemus. Modo vero specialissimis gratijs nos resque nostras insinuantes, profundissimo cultu manemus.

Excellentiae Vestrae, Patroni nostri Clementissimi humillimi Servi et Exoratores

CORNELIUS LEBIECKI  
O.D.B.M. Protoarchiman. (mp)

ANTONIUS ZAWADZKI, O.D.B.M. Consultor (mpr)  
ANTONINUS TOMILLOWICZ, O.D.B.M. Consultor (mpr)  
BENEDICTUS TRULEWICZ, O.D.B.M. Consultor (mpr)  
MATHAEUS KOZACZENKO, O.D.B.M. Secretarius (mpr)

Die 1. 8bris, 1728. - Ex Mon. Zyrowicen.

## 202.

*Zyrovyci, 28.X.1728.*

*Commendantur negotia Basiliana et simul et novus Procurator.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol. e Ruteni*, vol. 5, fol. 175-176.

Eminentissime et R.dissime Domine,  
Domine et Mecoenas Amplissime.

Naturae hoc est commune donum rebus cunctis inditum, ut quae res ab aliquo habent esse, ab eodem obtineant et consequentia; ab essi totum suum esse Religio nostra Rutheno Basiliiana, sub auspicijs Sacro-Sanctae Sedis Apostolicae, agnoscit a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, a cujus patrocinio omne incrementum desumpsit. Quapropter et modo in nostris desideriis recursum facimus ad eandem Sacram Congregationem, vel maxime vero ad gratiosissimam protectionem Eminentiae Vestrae, in cujus manibus positae sortes nostrae et a cujus nutibus pendet felicitas nostra. Cum itaque ex consilio inter nos unanimi redeat in Provintiam R.P. Procurator nostri Ordinis Generalis praeteritus,<sup>473</sup> et in ejus locum pergat in Urbem novus assi-

<sup>473</sup> Patricius Zyravskyj, Procurator in Urbe (1726-1729).

gnatus Procurator, nempe R.P. Ignatius Kulczynski,<sup>474</sup> idcirco hunc nostrum (f. 175v) Procuratorem amplissimis favoribus et specialissimis gratijs Eminentiae Vestrae humillime recommendamus, et quidem circa desideria nostrae Provinciae, circa statum ejusdem, tum totius Hierarchiae Ruthenae informabit pro posse, quo praefatus Procurator Eminentiam Vestram, vel maxime quae et quanta praeiudicia juribus ac Constitutionibus nostris inferuntur, certas relationes faciet. Sed quatenus Eminentia Vestra dignetur justas petitiones exaudire, et ut favorabiles desideriorum nostrorum fiant decisiones clementissime providere, hanc insignem singularem ac nunquam debilem gratiam procidui ad plantas Eminentiae Vestrae humillime supplicamus. Quando vero alijs medijs impares sumus pro gratijs condignas rependere grates, hoc unicum medium assumimus exorandi Divinam Majestatem pro longaeva (f. 176) vita et felicitate Eminentiae Vestrae, cui optima quaeque ac faustissima cordicitus praecando, in devotissimo Sacrae Purpurae osculo manemus.

Eminentiae Vestrae, Mecoenatis nostri Amplissimi humillimi Servi et obligatissimi Exoratores

CORNELIUS LIEBIECKI  
O.D.B.M. Protoarchimandrita (mpr)

ANTONIUS ZAWADZKI, O.D.B.M. Consultor (mpr)  
ANTONINUS TOMILLOWICZ, O.D.B.M. Consultor (mpr)  
BENEDICTUS TRULEWICZ, O.S.B.M. Consultor (mpr)  
MATHAEUS KOZACZENKO, O.D.B.M. Secretarius (mpr)

Ex Monasterio Zyrovicien., die 22. 8bris 1728.

## 203.

(Russia), 1728.

*Illustratur praecedentia Protoarchimandritae in Ordine Basiliano et probatur variis documentis et exemplis etc.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1728, vol. 74, fol. 109-110v.

S. C. P. F.

Per dimostrare in breve la superiorità e precedenza del Protoarchimandrita, primo Padre nel monachismo, sopra li altri tutti Superiori tanto advitalizii quanto ad tempus, è massimamente sopra gli antichissimo ordine che si teneva nella nostra Basiliano-Ruthena Religione,<sup>475</sup> presumendo di sottrarsi dal ubidienza del loro primo Padre Proto-Archimandrita per vivere piu licentiosi, potranno raccogliere EE. Loro dalli antichissimi e autentici documenti; impri-

<sup>474</sup> Ignatius Kulczynskij, Procurator in Urbe (1729-1736); cfr. notam 416.

<sup>475</sup> Causa praecedentiae Archimandritarum in Ordine Basiliano tantummodo anno 1756, 30.III, a Benedicto XIV soluta fuit in constitutione apostolica « Super familiam »; cfr. supra nota 404.

mis S. Sede Apostolica à voluto che tutti li Monaci Basiliiani Rutheni elegesero un solo Generale o Proto-Archimandrita di tutta la Russia ed a questo solo tutti ubidissero; Decreto della S. Congregazione di Propaganda Fide nel 1624, a di 3 d'Ottobre emanato, e la S. Memoria d'Urbano Ottavo à confermato nel 1631, a di 20 Agosto.

Nelli Capitoli poi generali e principalmente nel Capitolo Vilnense nel 1636, fu stabilito, Sessione 16, a di 3 Agosto, che le Prelature religiose advitalizie al medesimo Proto-Archimandrita, come al primo Padre devono soggiacere come soggiaciono le temporalì, ne in nissuno Capitolo Generale che si facevano per bon governo del nostro Ordine mai fu mossa la questione della precedenza; solo adesso alcuni Archimandriti ambiziosi usurpandosi il titolo Perillustris et Reverendissimus Dominus et non Pater, nei quali Capitoli sempre aveva il primo logo il Protoarchimandrita dopo il Metropolitanò, nelli varij Congressi e funzioni pubbliche sempre a avuto il primo luogo il Protoarchimandrita sopra li tutti Archimandriti, come si raccoglie dal Colloquio Lublinense fatto nel anno 1680, ove per consultare e promuovere la Santa Unione e la fede catolica tra li Schismatici, sotto la protezione della fel. mem. Giovanni Terzo, Re di Polonia, si sono radunati assieme con il Capo loro, Metropolitanò (*f. 109v*) Cypriano Zochowski, molti Vescovi, Protoarchimandrita con il suo Consultorio ed altri molti Superiori Regolari, e Archimandriti, nel qual Colloquio o Congresso dopo aver fatti molti capitoli da sottoscrivere dalli convocati, il Metropolitanò a fatto un sermone alli presenti che si raccoglie dal libro autentico, pagina, 5, di questo tenore:

A voi dunque qui radunati, per ordine del nostro Monarcha, benedice l'anima mia suplicando l'Altissimo ed Invisibil Pastore che vi ponga e iscrivi gli nomi vostri nel Libro de predestinati, che siete comparsi nel cospetto del vostro benche indegno Pastore in questa Città di Lublino, etc.

Sequitano le sottoscrizioni delle cose stabilite nel Colloquio.

Metropolitanò

LEONE ZALENSKI, Prototronio della Metropolia e Vescovo Vladimirien.

DRUCKI SOKOLINSKI, Arcivescovo Smolenscense.

GIACOMO SUSZA, Vescovo Chelmense, etc.

MARTIANO BIALOZOR, Vescovo Pinscense, etc.

GIOVANNI MALACHOWSKI, Vescovo Premisliense.

Patre STEPHANO MARTISZKIEWICZ, dell'Ordine di S. Basilio Magno, Proto-Archimandrita o Generale, Theologo Romano.

GIOSAPHAT MICHNIEWICZ, Archimandrita Suprasliensis (mpr).

PACHOMIO OHILEWICZ, Consultore.

SIMEONE CYPRIANOWICZ, Consultore.

GIORGIO MALEJEWSKI, Cons., Sup. Zyrowiciense, Archim. Cerejense.

STEPHANO SIELUZINSKI, Archimandrita Braslaviense.

Dal medesimo Congresso o Colloquio Lublinense si deduce dal altro luogo la superiorità e preeminenza del nostro Proto-Archimandrita sopra tutti li altri Archimandriti, mentre dalla lettera scritta da medesimi adunati al Re,

ringraziandolo per l'assistenza per mezzo de suoi Comissarij al Congresso Lublinense, pagina 18, di questo tenore:

Serenissimo nostro Signore e Monarcha.<sup>476</sup>

Pervenendo noi in Lublino insieme con li Signori Commissarij, dalla Vostra Real Maestà deputati, de quali tre solamente la pietà (*f. 11v*) verso la Santa Unione a condotti, per prima posta almeno abbiamo dato la parte che quanto da una tanto dall'altra parte era la speranza di incominciare l'opera così pia e santa, eccetuando la Confraternità Luceoriense, la quale desiderava diferire questo negotio, facendo ricorso alla vostra Maestà Serenissima, perché già noi tutti dall'una ed altra parte, personalem comparitionem et mutuam actus hujus diligentiam stabilivimus, sed obtemperando voluntati Majestatis Vestrae Serenissimae, quae aliter disposuit, obsequimur, di questo solo umilmente supplichiamo che non permetta la consecrazione e promozione al Vescovato Praemisliense al Signor Winnicki, perche si non propter Christum, saltem propter spem tam pinguis Beneficij abbracciarà la Santa Unione etc. di Vostra Maestà umilissimi Servi.

CYPRIANUS ZOCHOWSKI,

Archi-Episcopus Polocensis, Metropolitanus totius Russiae.

LEO ZALENSKI, Prototronius Metropoliae et Episc. Bresten.

Metrophanes DRUCKI SOKOLINSKI, Archi-Episcopus Smolenscen.

JACOBUS SUSZA, Episcopus Chelmensis.

MARTIANUS BIALOZOR, Episcopus Pincensis.

JOANNES MALACHOWSKI, Episcopus Premisliensis et Samboriensis.

Pater STEPHANUS MARTISZKIEWICZ,

Ordinis Divi Basilii M. Protoarchimandrita, totius Religionis nomine.

JOSAPHAT MICHNIEWICZ,

O.D. Basilii, Archimandrita Supraslien.

Da tutto questo si ricava che li PP. Archimandriti ingiustamente pretendono sottrarsi dalla obediienza giurata con li altri voti pubblici al Protoarchimandrita, di più ex Nexu Sacrae Religionis cum Metropolitanato chiaramente si deduce l'obediienza de Archimandriti al Protoarchimandrita, mentre nel 5to capitolo si legge:

Capitula intimabit Protoarchimandrita, consulto Metropolitanato de tempore et loco; ad Episcopos tamen dabuntur intimatoriae Metropolitanae simul et Proto-Archimandritae manibus sigillisque munitae. Se dunque gli Vescovi obediscono alle Letere del Proto-Archimandrita con le quali chiama al Capitolo Generale, perchè non devono obedire (*f. 110v*) gli Archimandriti che sono assai meno dei Vescovi? Ex eodem nexu etiam deducitur, che siano tenuti a obedire gli Archimandriti al Proto-Archimandrita, mentre si legono le seguenti parole:

---

<sup>476</sup> Joannes III Sobieski, Rex Poloniae (1674-1696).

Capitolo 6. Proto-Archimandrita visitabit sive per se sive per alium omnia monasteria incorporata nostrae Congregationis, pro qua visitatione accipiet a Metropolitano expeditionem ad Dominos Episcopos titulo Archimandriarum gaudentes; tum cum reddet rationem de rebus Religionis, da questo ancora la superiorità del nostro Proto-Archimandrita, non solo sopra tutti gli Superiori ad tempus, ma andarà sopra gli padri Archimandriti.

204.

(Roma), 1728.

*De erectione novae Provinciae ad mentem Synodi Zamostianae, difficultates Hierarchiae et opiniones simplicium Monachorum favorabiles.*

APF, *Scritt. rif. n. Congregazioni Particolari*, a. 1728, vol. 74, fol. 111-113.

Al numero 14.

Quello riguarda alla nova Provincia in Volinia è cosa convenientissima, che quelli Monaci si riduchino in un corpo solo sotto il medesimo Generale, o Proto Archimandrita, quale deve essere eletto da ambedue le Provincie, conforme al Decreto della S. Congregazione: « Facultatem concessit eligendi sibi futuris perpetuis temporibus Generalem, sive *Proto-Archimandritam totius Russiae* ». <sup>477</sup> Questi termini si notino bene: *Generalem totius Russiae*, dunque il Generale della Provincia antica abusivamente si chiama dalli Padri Volinensi Generale della Provincia Lituana, perche si ha da chiamare Generale di tutta la Russia, massimamente quando sono pochi Monaci tanto in Lituania, quanto in Volinia; per rispetto all'altre Religioni non si trova questa necessità, che li Figliuoli dell'istesso Padre, dell'istesso Rito, e confermati tanto nella Fede Cattolica, quanto nell'osservanza monastica da Monaci Lituani, li quali da lungo tempo professano la Fede Cattolica con lo spargimento in fin del proprio sangue; massimamente è cosa convenientissima che si riduchino quelli Monaci in un Corpo con la Provincia antica, perche essi medesimi desiderano questa fratellanza, e connessione, come si puol vedere dalle Lettere, che scrivano tanto Monsignor Metropolitano, quanto altri Monaci principali di quella Provincia, che vogliono tutti per loro Provinciale primo il Procuratore Generale della Provincia Lituana, <sup>478</sup> benché il Procuratore Generale non pretendi detto onore, ma fà conoscere solamente la bona volontà che anno si con la Provincia Lituana, com'anche con tutti gli Religiosi; (f. 111v) seguono le lettere: 1°. Scrive Monsignor Metropolitano nell'anno 1727, alli 16 Aprile, al Procuratore Generale della Provincia antica: Nos hic die 26 Maij in Civitate

<sup>477</sup> Cfr. *Acta S. Congr. de Prop. Fide*, vol. I:1622-1667, pag. 26, nr. 34, sub dat. 4.X.1624.

<sup>478</sup> P. Patricius Zyravskyj, Procurator in Urbe (1726-1729); revera P. Patricius electus fuit in Capitulo Leopoliensi an. 1739, diebus 25.VIII - 3.IX, sed iam anno 1741 officio huic abdicavit, ob rationem unionis Provinciarum; cfr. M. M. WOJNAR, OSBM, *De Protoarchimandrita Basilianorum*, pag. 283-284.



dicta Dubno habebimus Capitulum Religiosum in quo formabitur nova Provincia, et novus eligetur Provincialis; peto celerem resolutionem si Persona vestra acceptabit hoc munus primi novae Provinciae moderatoris,<sup>479</sup> quia omnes Vestram Personam desiderant praeesse, velut nationalem illius Provinciae; peto non rescribat per modestiam excusando se, sed sincere, nam est huius vigentissima necessitas. Datum Vladimiriæ — Leo, Metropolitanus.

Anno 1727, die Maij scrive un Religioso della Corte di Monsignor Vescovo Premisliense, il quale Religioso è Auditore di detto Prelato, e Superiore del monastero Dobromilen. al suddetto Procuratore Generale queste formali parole.

Expectamus avidissime promissum nobis in Synodo Zamosciana Provinciale, sed non possumus obtinere, si in hoc anno approbatio non erit, debemus transire, et transportare nos ad Provinciam Lituamam. Datum in Monasterio S. Salvatori — Hieronimus Kuzmiz, Ordinis D. Basilij Magni.

L'istesso Religioso scrive un'altra volta in data delli 26 Gennaro dell'anno 1728, nella quale mette queste formali parole: Assecurò nomine totius Dioecesis nostrae quod non alius erit nobis Provincialis praeter Patrem Vestram, quae in hac functione est bene versata, et ad reformationem (*f. 112*) Religionis bene habilis; itaque dignetur filiorum suorum tueri partes, quia DD. Episcopi, non valde desiderant. — hoc est novam Provinciam formandam; e nell'istessa lettera, doppo altre cose aggiunge: — Dignetur R. Pater mederi huic, ut Provincialis nobis sit quam citissime, et non alius praeter ipsum, uti nationalis noster, et bene gnarus Ordinis D. Basilij Magni, quod unanimiter omnes desideramus. — Un'altro Religioso, Abbate Derazicen., Auditore della Dioecesi Premislien., detto Agostino Zyracowski, scrisse queste precise parole: — Negotium de non subsecuta electione Provincialis Russiae candidamente, et sacerdotali pectore exarro, considerata Partium contrarietate; R.R. Episcopi inculpant Provinciam PP. Vestrarum, insistendo rationi, quod Monasteria, stante schismate incorporata Provinciae Lituanae, debent subesse iurisdictioni novi Provincialis, et ante electionem debent restitui; e contra, Provincia PP. Vestrarum volebat electionem Provincialis, insistendo huic rationi: inveniatur Monasterium propter eligendum novum Provinciale ex istis Monasterijs, quae RR. Episcopi Vestris Episcopatibus applicata habetis, et sic sine effectu redijmus, et tantum invidiam contraximus, praecipue Superiores, qui vota dedimus et supplicavimus electionem Provincialis ab Ill.mis Episcopis (*f. 112v*) et specialiter ego qui, coactus officio, et aliorum petitionibus primus votum dedi in electionem Provincialis. Datum Leopoli, Augustinus Zyracowski, Abbas Derazycensis, Auditor Causarum Dioecesis Praemisliensis.

Solamente alcuni Archimandriti, abitanti in Volinia, o pure vicini non

---

<sup>479</sup> Capitulum Dubnense an. 1727, 26 Maji, in quo eligi debuit in primum Provinciale dictae Provinciae P. Patricius Zyravskyj, Procurator in Urbe (1726-1729); cfr. de eo notam 478.

volendo sottomettersi ne al Generale dell'antica Provincia, ne al Provinciale nuovo mille difficoltà cercano, e desiderano, che non fossero mai li suddetti Monasteri uniti in una Congregazione per governarsi da se medesimi, e non essere sottoposti a verun Superiore, per non esser visitati, ammoniti dal suddetto Superiore.

In quanto alla dismembratione delli Monasterij della Provincia antica, gli PP. Volinesi, o per meglio dire alcuni Archimandriti anno delle grandi pretenzioni impertinenti, mentre da cento anni incirca, che l'antica Provincia gli ha acquistati con le grandi fatiche, spese, et anche lo spargimento del proprio sangue. Oltre di che la nova Provincia radunando tutti li Monasterij, che sin'ora non sono radunati nelle diverse Diocesi, come si puol vedere nella lista data alla medesima S. Congregazione, sarà abbastante tanto per il loco del novitiato, quanto per li studij, e residenza del nuovo Provinciale. Di più, questi Monasteri Volinesi sono bastevoli per costituire una nuova Provincia, o no, se il primo ingiustamente pretendono di smembrare la Provincia antica; se non sono bastevoli meglio sarebbe unirsi col corpo antico, et in questa maniera sarebbe provisto con le forze e consigli uniti a tutte le necessità dell'una, e dell'altra Provincia, (f. 113) essendo ambedue Provincie sotto l'istesso Generale, il quale sarebbe eletto da ambe due le Provincie alternativamente.

In quanto all'opposizione, che il Generale dell'antica Provincia non visita li Monasteri Volinesi, si risponde, che tanto li passati Generali, come il presente hanno visitati Monasterij incorporati alla sua Provincia di propria persona; e se alcune volte non hanno potuto visitare in persona alcun Monastero, quest'ufficio hanno adempito per loro Visitatori; ma di rado succedeva questo, perchè erano sempre di persona, come costa dalli libri delle Visite, e se si dismembrassero quelli Monasteri della Provincia antica, non starebbe più in piedi detta Provincia per la povertà delle Foundationi degl'altri Monasterij, e pochi ne rimarrebbero.

All'opposizione che dicono li PP. Volinesi, che li Vescovi hanno ceduto la loro Iurisdictione, che avevano sopra li Monasterij; dunque il Generale deve similmente cedere; si risponde, che il Generale dell'antica Provincia non pretende Iurisdictione sopra li Monasterij che non erano incorporati alla sua Provincia, ma quelli, che sono da cento anni incirca incorporati o doppo dalla sua foundatione annessi, e annoverati alla Provincia antica, e chi non sono stati sotto la Iurisdictione de Vescovi, vole mantenere la sua Iurisdictione, e supplica la S. Congregazione, che lo mantenghi.

205.

